**Pharmacopoea Wirtenbergica, in duas partes divisa, quarum priot materiam medicam historico-physico-medice descriptam posterior composita et preparata modum prae parandi et encheireses exhibit ... Jussu ... domini ducis adornata et pharmacopoeis Wirtenbergicis in normam praescripta. Accedunt syllabus medicamentorum compositorum, in classes divisus, et indices necessarii.**

### Contributors

Reuss, A. R.
Breyer, J. F.
Hopfengärtner, Johann Georg.

### Publication/Creation

Stutgardiae : Ioannis Aristophori Erhardi, 1771.

### Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vfu586h6

### License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

= an 1785 =

Bouhier

ad hoc dat. mr. dedicavit et
emendavit

an 2 dedicatoriæ fuit

A1018/C

PHARMACOPOEIAS

Würtemberg

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30408052

HIPPOCRATES.
CELSUS.
GALENUS.
ANDROMACHUS.
DIOSCORIDES.
AVICENNA.
THEOPHRAST: PARACELSUS.
SALOMO
TEMPLUM SANITATIS
F. C. Geuterum del.
F. C. E. inv.
E. B. Winckler Sculps.

42550

# PHARMACOPOEA WIRTENBERGICA

IN

DUAS PARTES

DIVISA

QUARUM PRIOR

## MATERIAM MEDICAM

HISTORICO-PHYSICO-MEDICE

DESCRIPTAM

POSTERIOR

## COMPOSITA ET PRÆPARATA

MODUM PRÆPARANDI ET ENCHEIRESES

EXHIBET.

---

JUSSU

SERENISSIMI

## DOMINI DUCIS

ADORNATA

ET

## PHARMACOPOEIS WIRTENBERGICIS

IN NORMAM PRÆSCRIPTA.

---

ACCEDUNT

SYLLABUS MEDICAMENTORUM

COMPOSITORUM

IN CLASSES DIVISUS

ET

INDICES NECESSARII.

EDITIO NOVA REVISA AUCTA ET EMENDATA.

---

*Cum Gratia & Privilegiis Sacr. Cæs. Maj. Seren. Elect. Saxon. nec non Seren. Ducis Wirtenberg.*

STUTGARDIÆ

SUMTIBUS IOANNIS CHRISTOPHORI ERHARDI BIBLIOPOLÆ.

ANNO MDCCLXXI.

1771

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

# PRIVILEGIA.

I.

NOS JOSEPHUS SECUNDUS, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ & Hieroſolymarum Rex, Corregens & Hæres Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Slavoniæ, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ & Lotharingiæ, Magnus Dux Hetruriæ, Magnus Princeps Tranſylvaniæ, Dux Mediolani, Barri &c. Comes Habspurgi, Flandriæ & Tyrolis &c. &c. Agnoſcimus, & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cum Nobis Noſter, Sacrique Romani Imperii fidelis dilectus JOANNES CHRISTOPHORUS ERHARD, Bibliopola Stuttgardenſis humillimè ſupplicârit, quatenus Privilegium Impreſſorium ipſi ſuper librum, cui Titulus: *Pharmacopœa Wirtembergica, in duas partes diviſa*, in Folio, ſub die decima ſeptima Maji anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo ad decem annos renovatum, *ad aliud decennium*, & *ad omnes dicti libri partes*, extendere clementiſſimè dignaremur; Nos ſubmiſſæ pariter, ac æquæ ejus petitioni annuendum cenſuerimus; Ac proinde Authoritate Noſtra Cæſarea omnibus & ſingularis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscunque, rem librariam, ſeu negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis ſupra nominatam *Pharmacopœam Wirtembergicam* ſub hoc aliove titulo, aut hac aliave forma, ſeu ut ajunt, formato, *per ulterius decem annorum ſpatium* a lapſu prioris computandum, intra Sacri Romani Imperii fines recudere, vel aliis recudendum dare, aliorſumve impreſſam apportare, vendere, vel diſtrahere, citra præfati impetrantis, ejusdemque hæredum ac ſucceſſorum voluntatem, & aſſenſum in ſcriptis obtentum auſit vel præſumat. Si quis verò ſecus faciendo Privilegium hoc Noſtrum, ſeu Interdictum violare, contemnereque præſumpſerit, cum non ſolum ejusmodi Exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam quippe recuſis, ſeu apportatis, (quæ di-

ctus JOANNES CHRISTOPHORUS ERHARD, ſivè propria authoritate, ſive Magiſtratus illius loci auxilio ſibi vindicare poterit,) de facto privandum, ſed & *quinque marcarum auri puri pœna*, ærario, ſeu Fiſco Noſtro Cæſareo, & parti læſæ ex æquo pendenda, omni ſpe veniæ ſublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Noſtri privilegii in fronte libri impreſſus reperiatur, & conſueta quinque Exemplaria de qualibet hujus libri parte Conſilio Noſtro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & ſingulis Noſtris, Sacrique Romani Imperii fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, cujuscunque ſtatus, gradus, dignitatis, aut ordinis fuerint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu exiſtentes, vel ſuo, vel ſuperiorum ſuorum loco, aut nomine, jus juſtitiamque adminiſtrant, ne quemquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum impunè violare, ſpernere, aut transgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces compererint conſtituta à Nobis mulcta eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram indignationem, prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum teſtimonio literarum, manu Noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur Viennæ die vigeſima prima Maji, Anno Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo. Regni Noſtri ſeptimo.

JOSEPHUS mppr.

Vt. R. Princeps Colloredo mppr.

(L. S.)

Ad Mandatum Sacræ Cæsæ Majeſtatis proprium.

Andreas Nobilis de Stock mppr.

II. Der

## II.

**Der Durchlauchtigste Fürst und Herr, Herr Friedrich August, des heiligen Römischen Reichs Erz-Marschall und Churfürst zu Sachsen ꝛc. ꝛc. auch Burggraf zu Magdeburg ꝛc. ꝛc.** haben auf Johann Christoph Erhards, Buchhändlers in Stuttgard beschehenes unterthänigstes Ansuchen gnädigst bewilliget, daß derselbe folgendes Buch unter dem Titul:

Pharmacopœia Würtenbergica, &c. nebst der Würtenbergischen Apothecker-Taxe,

über welches sein verstorbener Vater das Anno 1750. erhaltene Privilegium, unterm 29. Augusti 1760. erneuert bekommen hat, nachdem nunmehro dessen Buchhandlung durch Erbgangs-Recht, auf ihn, Supplicanten gekommen, unter höchstgedachter Sr. Churfürstl. Durchl. Privilegio drucken lassen und führen möge, dergestalt, daß in dem Churfürstenthum Sachsen, desselben incorporirten Landen und Stifftern kein Buchhändler noch Drucker oberwehntes Buch in keinerley *Formate*, oder Stück- oder Auszugs-Weise in den nechsten von unten gesezten dato an, zehen Jahren, bey Verlust aller nachgedruckten *Exemplarien*, und dreyßig Rheinischen Gold-Gülden Straffe, die denn zur Helfte der Churfürstl. Sächsis. Renth-Cammer, der andere halbe Theil aber ihm Johann Christoph Erharden verfallen, weder nachdrucken, noch auch da dasselbe an andern Orten gedrucket wäre, darinnen verkauffen und verhandeln, worgegen er mehrgedachtes Buch fleißig corrigiren, aufs zierlichste drucken, und gut weiß Pappier darzu nehmen zu lassen, auch so oft es aufgeleget wird, von jedem Druck und Format zwanzig vollständige Exemplaria in Sr. Churfürstl. Durchlaucht Ober-Consistorium ehe es verkauffet wird, auf seine Kosten einzuschicken schuldig, und dies Privilegium niemanden ohne höchstgedachter Sr. Churfürstl. Durchlaucht Vorwissen und Einwilligung zu cediren befugt seyn soll. Gestallt er bey solchem Privilegio auf die bewilligte zehen Jahre geschüzet und gehandhabet, auch, da diesem Jemand zuwider handeln, und er um Execution desselben ansuchen würde, solche ins Werk gerichtet, und die gesezte Straffe eingebracht werden soll. Jedoch daß er, und zwar bey Verlust des Privilegii, von sothanem Buche, die obenbedungenen Exemplaria, zu der bestimmten Zeit, würklich und vollständig liefere. Immittelst und zu Urkund dessen ist dieser Schein, bis das Original-Privilegium ausgefertiget werden kann, und statt desselben in Sr. Churfürstl. Durchlaucht Kirchen-Rath und Ober-Consistorio unterschrieben und besiegelt, ausgestellet worden, welchen er durch den bestallten Bücher-Inspectorn, Christian Ernst Haubolden, denen Buchhändlern zu insinuiren, wiedrigenfalls die Insinuation vor null und nichtig erkannt werden soll. So geschehen zu Dreßden, den 30. Aprilis 1770.

(L. S.)

Hannß Gotthelff von Globig.

Friedrich August Justh.

III.

Von GOttes Gnaden, Wir **Carl Friderich**, Herzog zu Würtemberg und Teck, auch in Schlesien zu Oels, und Bernstatt, Graf zu Mömpelgardt, Herr zu Heydenheim, Sternberg, Medzibohr, und des freyen Königlichen Burg-Lehen Auras, Ritter des Königl. Pohlnischen weissen Adler-Ordens, Administrator und Ober-Vormunder ꝛc. ꝛc. fügen hiemit zu wissen, was massen Wir unserem Vormundschaftlichen Rath und Leib-Medico Dr. GESNER, auf sein beschehenes unterthänigstes Ansuchen, den Verlag des neuen *Dispensatorii*, ingleichem des neuen revidirten Apothecker-Taxes, und Ordnung, in Compensationem seiner damit gehabten Bemühung gnädigst überlassen, und ein Privilegium darüber dergestalten gnädigst ertheilt haben, daß sothanes Werk nirgends im Land nachgedruckt, oder heimlich ohne dessen Vorwissen verkauft werden solle; da hingegen Er Leib-Medicus Dr. GESNER das *Dispensatorium*, und die Ordnung zwar in einerley Format, jedoch ein jedes separatim drucken, und so dann zum Behuf des Publici in einem leidentlichen Preiß debitiren zu lassen; wie Wir dann hiemit gnädigst verordnet haben wollen, daß bemeldtes *Dispensatorium*, Apothecker-Tax, und Ordnung, von niemand in dem Land, wer der auch seyn mag, nachgedruckt und verkauft, vielweniger unter dessen Nahmen falsche Exemplaria ausgegeben, oder distrahirt werden sollen; befehlen auch hiemit allen und jeden in unserem Vormundschaftlichen Herzogthum und Landen wohnenden Buchdruckern, Buchführern, Buchbindern, und Buchverkäuffern, bey Vermeidung ohnausbleiblicher Strafe, daß weder Sie selbst, noch sonsten jemand von Unsern Vormundschaftlichen Unterthanen vorgemeldtes *Dispensatorium*, Apothecker-Tax, und Ordnung nachdrucken, oder also nachgedruckt distrahiren, fail haben, und verkaufen, sondern solches Ihme Leib-Medico Dr. GESNER allein gnädigst gestattet, und verwilliget seyn solle. In Urkund dessen haben wir Uns eigenhändig unterschrieben, und Unser Fürstlich Secret-Insiegel hievor drucken lassen. So geschehen Stuttgardt, den 25. Nov. Anno 1740.

Carl Friderich, H. z. W. O.

(L. S.)

Vt. Hochstetter.

## Cessio.

Extract aus dem Verlags-Accord, so den 1. Octobris 1741. zwischen dem Herzogl. Würtemberg. Rath und Leib-Med. D. Gesner und dem seel. Buchhändler Christoph Erhard, (als des Verlegers Vater,) geschlossen worden:

Art. 2. Dieses Werk übergeben Dieselbe (der Autor) in Verlag dem hiesigen Buchhändler Christoph Erhard, mit allem Recht und Gerechtigkeiten, und mit Uebergebung des darauf erhaltenen Hochfürstl. gnädigsten Privilegii, dem Verleger als eigen.

Rath und Leib-Med. D. Gesner.
T. Christoph Erhard.

AD

AD PRIMAM

# PHARMACOPOEÆ WIRTENBERGICÆ EDITIONEM PRÆFATIO.

L. B. S.

Recentiſſimam hancce mercem dum in forum extrudimus pharmacevticum, non diffitemur, BENEVOLE LECTOR, quod circa idem penſum plures alii non modo Germani, ſed omnium quoque nationum celeberrimi gnaviter jamjam deſudaverint viri, materiam medicam exploraverint ſtudioſiſſime: atque Chemiam non minus ac Pharmaciam expoliverint feliciſſime: Alii compoſitionum & formularum inſignes commentarios, imo integra prodige cumulaverint plauſtra: Alii ſelectum prudenter inſtituerint: Alii virgulam cenſoriam acerbe ſtrinxerint ac confuſum chaos ſcite digeſſerint: Alii nævos fraudesque nonnullorum pharmacopolarum ingenue detexerint: Alii medica-

menta ad juſtum religioſe reduxerint pretium: Alii denique & medici & integri magiſtratus leges ac ordinationes ſanxerint longe ſaluberrimas.

Nomen omnino laudesque manebunt egregie de pharmacia promeritos inſignes viros, qui ante ſesquiſeculum, & quod excurrit, illam dogmatice cœperunt excolere, novisque ſemper in hunc usque diem acceſſionibus atque commentariis augere, emendare ac perficere ſedulo perrexerunt. E plurimis nominaſſe ſufficiat Joh. WECKERUM, Caſp. BAUHINUM, Guern. ROLFINCIUM, Joſeph. QUERCETANUM, Joh. RENODÆUM, Joh. ZWELFERUM, Luc. SCHROECKIUM, Joh. SCHROEDERUM, hujusque commentatorem Frid. HOFFMANNUM, Georg. Wolfg. WEDELIUM, Dan. LUDOVICI, Moſen CHARAS, Nicol. LEMERI, Joh. Helfric. JUNCKENIUM, Auguſt. Quirin. RIVINUM, Joh. Cunrad. BARCKHAUSEN, Georg. Erneſt. STAHLIUM, Herm. BOERHAVIUM, & qui Halenſem Univerſitatem adhuc ornant, Frid. HOFFMANNUM, & Joh. Henr. SCHULZIUM &c.

Fraudes, vitia & mangonia candide ac data opera detexerunt Symphor. CAMPEGIUS, Liſettus BENANCIUS, Joh. Anton. LODETTUS, Petr. POMETUS, JUNCKENIUS &c. Taxarum moderationem ſolide docuit inprimis ſupra laudatus LUDOVICI. Diſpenſatoria vero, quibus partim, licet rarius & minus perfecte, ſimplicia deſcribuntur medicamenta, partim compoſitionum formulæ atque Taxæ, partim vero annexæ etiam leges ſunt publicæ, quæ medicos ſpectant atque pharmacopolas, tanto luxuriant numero, ut non integræ modo regiones & provinciæ, ſed & ſingulæ paſſim urbes ſingulis propriisque gaudeant diſpenſatoriis atque taxis.

E recentioribus jure meritoque laudamus *Pharmacopœam Auguſtanam* reformatam, *Bateanam*, *Diſpenſatorium Brandenburgicum*, *Vien-*

*Viennenſe* ac *Argentinenſe.* Inter taxas quamplurimas Onoldina, quæ 1714. & Windsheimenſis, quæ An. 1708. prodierunt, æquitate non modo ſe commendant præcipue, ſed & multarum compoſitionum novitate. Et, quanta eheu farrago eſt librorum, qui materiam medicam, domeſticam & exoticam per tria naturæ regna tradiderunt ampliſſime & iconibus illuſtraverunt nitidiſſime!

Igitur ne actum videamur agere & noctuas ferre Athenas, dum novum heic molimur Diſpenſatorium, aut arroganter velle ſupra laudatiſsimos illos ſapere viros arguamur, paucis primo cauſas afferre, quæ nos ad hoc impulerunt inſtitutum, tum vero ipſum inſtituti modum atque ſcopum explicare conſultum duximus.

Scilicet uſi hactenus ſunt pharmacopolæ noſtrates Pharmacopœa Auguſtana, tanquam auctore claſſico. Sed, cum non modo plurimæ medicamentorum hodie uſualium formulæ ibi exulent in genere, ſed illæ etiam maxime compoſitiones, quas patria noſtra ſibi quaſi proprias vindicat, a celebribus olim noſtris medicis, GABELKOVERO, HAUGIO, GMELINO, CELLARIO, BRODTBECKIO ZELLERO, CAMERARIO &c. officinis cum applauſu dudum introductas, ne verbulo tangantur, præter hæc autem a pharmacopœis noſtris deſcriptæ horum medicaminum formulæ paſſim diſſonare, imo ſubinde vel tituli obſervati fuerint confundi; Itaque operæ pretium nos facturos confiſi ſumus, ſi utrumque non modo ſupplentes defectum uno codice ſingulas tam extraneas, quam domeſticas colligeremus compoſitorum formulas, ſed uniformem quoque & conſtantem pharmacopœis noſtris præciperemus normam, ad quam omnes quascunque præparationes pharmacevticas atque chemicas exigerent ſtrictiſſime, neque vel vagas deinceps timide ſequerentur, vel, certas quidem, pro ingenio & lubitu temere porro mutarent præſcriptiones.

Accedunt & hæ ſatis, quod putamus, momentoſæ rationes, quod, etiamſi hoc Augiæ ſtabulum plures jam purgare cœperint, noſtræ tamen nihilominus etiam officinæ incondita obſoletorum, inutilium atque ſuperfluorum medicaminum mole adhucdum obrutæ in antiquo fere hæſerint luto, præparationes vero ipſæ paſſim vel præter neceſſitatem operoſæ ac ſumptuoſæ, vel inconcinnæ aut inſufficientes, vel arbitrio pharmacopœi nimis expoſitæ manſerint hucusque. Quot vero quantumque hinc non potuerint non propullulare incommoda atque damna, peritus in arte facile intelligit?

Neque minus Taxa noſtra Wirtenbergica & Ordinationes, quibus A. 1721. renovatis uſi ſumus ab eo tempore, aliquam paſſim mutationem & emendationem poſtulare videbantur. Unde juſſu & authoritate SERENISSIMI atque CLEMENTISSIMI DOMINI DUCIS noſtri manus operi admovere cœpimus, nos Georg. Burck. SEEGER, Joh. Wendel. BILFINGER, Joh. Albert. GESNER, atque ego Burck. Dav. MAUCHART, Med. Doctores, Conſiliarii & Archiatri Wirtenbergici ordinarii, habitaque prius ſeria deliberatione totum ita diſpeſcere penſum conſtituimus, ut, duobus voluminibus, altero tota materia medica, altero præparationes ſimplicium & compoſitorum comprehenderentur. Sub finem præter indices neceſſarios, Taxam ſeu pretium medicamentorum adjunximus. Laudabilem præcipuamque operam contulit honoratiſs. Collega noſter GESNERUS, in ipſa pharmaciæ ac chemiæ praxi dudum verſatiſſimus. Statuendis medicaminum atque laborum pharmaceuticorum pretiis adhibuimus una binos non modo e Stutgardienſibus Pharmacopœos, ſed & Tubingenſes, dexterrimos, & abſolutum denique totum opus cum ampliſs. Facultate medica Tubingenſi communicavimus, neque minus deſideriis monitisque medico-

dicorum atque pharmacopolarum tam indigenorum, quam extraneorum æquas præbuimus aures.

Hanc vero totius operis ichnographiam præmittimus, ut ſtatim in limine appareat, quænam ejus ſit materia, ordo atque ſtructura. Exhibemus itaque primo ſuccinctam, ex optimis quibusque auctoribus hiſtoriam phyſico-medicam, & diviſionem in certas claſſes totius materiæ medicæ, per tria, ſic dicta naturæ regna, notas bonitatis & mangonii, fideliter aperimus, vires atque uſus, nonnunquam etiam doſes, aliorum noſtraque experientia, vel juſto ſaltem ratiocinio confirmatas, ſubnectimus, ut ſic non modo tirones medicinæ ac pharmaciæ, ſed & provectiores compendium habeant doctrinæ pariter ac ſumptuum, in ampliorem materiei medicæ ſupellectilem librariam erogandorum. Nomina auctorum, unde plerasque hauſimus deſcriptiones, quod ſubticuerimus utplurimum, vel ſolum brevitatis ſtudium ſatis excuſabit. Magnifice & confidenter nimis elatas nonnullorum medicamentorum virtutes, ſed certo uſu & eventu nondum ſatis comprobatas, nemo, quod ſperamus, ægre feret, a nobis vel certe inter dubias fuiſſe relatas. Indicem nativorum pariter ac arte paratorum, ad certas claſſes relatorum, præfiximus, ut uno obtutu non modo tota materia medica conſpici, ſed & juxta hunc indicem viſitationes officinarum pharmacevticarum ſolennes inſtitui poſſint commodius, adjecto inſuper diſcrimine, quibus inſtrui debeant medicamentis ampliora majorum urbium pharmacopolia, quibus arctiora minorum.

Momenta Diſpenſatorii pharmacevtico-chemica quod attinet, animus primo fuit, vela contrahere, &, quantum fieri poſſit, arctiſſimis conſtringere limitibus luxuriantem planeque ſtupendum compoſitorum maxime numerum. Sed, ut ipſe ſelectus omnium

ingeniis adcommodari vix potuiſſet, præterea etiam extraneis, quibus amplior variusque remediorum apparatus ad palatum eſt, vel etiam indigenis, ad certas compoſitiones jam adſuetis, opera noſtra parum fuiſſet utilis vel jucunda; ita plures, vel invitis nobis, ſe ingeſſerunt formulæ, molemque, omiſſis tametſi quam plurimis ſuperfluis & obſoletis, auxerunt, atque ſic noſtrum Diſpenſatorium ipſa remediorum copia nulli palmam facile cedit alii, ſi quidem laureolam in muſtaceo quærere liceat.

In formularum recenſione ordinem ſervavimus alphabeticum, in ipſa vero diſpenſatione talem, a potiori, qui regulis pharmaciæ magis reſpondeat, atque ſic in arte minus verſatos vel incautos adjuvet dirigatque. Rejecimus vero antiquitus receptas claſſes medicamentorum, ad certas compoſitiones numeroſe adhibitorum, cum per experientiam conſtiterit, multo commodius aptiusque tractari in diſpenſatione, ſi conjuncta ſerventur. Medicamentorum nomina, pondus, doſin, expreſſis literis dilucide potius, quam numeris atque chemicis ſignis reddere maluimus, ut omnis, qui facile obrepit, evitetur error. Doſes medicamentorum, atque activorum vel draſticorum ingredientium proportionem, e.g. quantum Reſinæ Scammonii, quantum Opii, quantum Mercurii dulcis, &c. inſit ſingulæ drachmæ vel ſcrupulo totius compoſiti, nec non dubiam ſecuritatem & noxas certorum medicamentorum ideo adſtruximus, ut junioribus medicis ſtatim dispaleſcat, qua ſingulum tale medicamentum doſi tuto poſſit exhiberi, quibus abſtinere præſtet, vel circumſpecte ſaltem uti oporteat, &, ſi qua patientes inconſulto medico minus ſecurum expetant medicamentum, aut formulæ in officinas transmiſſæ immodicas & ſuſpectas præcipiant doſes, pharmacopœi regulam habeant conſtantem, damnumque imminens avertere ſciant.

Nec

Nec ingenua hac apertaque methodo empiriæ medicæ januam aperuiſſe redarguendi ſumus. Audaculos enim & naſutulos agyrtas, quemadmodum alias nihil eſt quod moretur, ita minime reticendum videbatur ideo monitum aliquod ſalutare, ne vertatur ab illis homuncionibus in abuſum. Ceterum qui veræ & dogmaticæ medicinæ præcepta vel primis deguſtavere labris, facile perſpiciunt, quod optimorum quorumlibet remediorum & arcanorum notitia nondum faciat medicum, ſed veriſſimum cedroque dignum ſit CAPIVACII reſponſum, medicinæ Candidato, ipſius arcana ſciſcitanti ac efflagitanti, datum: *Diſce meam methodum, & habebis mea arcana!* Unde per leges patrias dudum apud nos proſpectum ac denuo ſevere cautum eſt, ut ne quicunque alii, niſi in medicina legitime promoti, ultra crepidam ſapere, & in medicinæ ſacra illotis manibus irrumpere tentent.

Antiquis medicamentorum nonnullis formulis, civitate pharmacevtico-medica dudum gaudentibus, licet ſæpe admodum inconcinnæ ſint, limam non adhibuimus, cum vel ex ipſa ferragine incondita tertium quoddam laudabile queat reſultare medicamentum, theriacæ teſtimonio: recentiores etiam compoſitiones, quæ auctorum ſuorum nominibus clarent, utplurimum ſuo reliquimus pretio. At alibi paſſim a communi tramite diſceſſimus in præparationibus medicamentorum chemicis nec ratione, nec experientia, nec hinc inde etiam authoritate deſtituti. Aloën e. g. atque Opium, nuper demum evulgata methodo, corrigere hic juſſimus. Vagum illud in formulis præceptum: quantum vis, vel quantum ſatis, neque minus præſcribi ſolitos manipulos, pugillos, pro digitorum modulo & phantaſia pharmacopœi valde diſcrepantes, redegimus ad certum pondus atque numerum, hinc quoque effectum daturi, ut in poſterum aquæ, ſpiritus, tincturæ, eſſen-

tiæ, elixiria, easdem qualitates & vires ubique & conſtanter obtineant, ſyrupi etiam, noſtra methodo parati, reddantur gratiores, atque vires, longa coctione difflari ſolitas, ſervent integriores. Cæteras pariter præparationes, juxta modernæ ac ſanioris Pharmaco-chemiæ regulas, ubique inſtruximus ac emendavimus.

Factum hinc eſt, ut, quemadmodum nonnullorum præparatorum vires ſunt exaltatæ, doſes autem imminutæ, & ſuperflua pretioſa omiſſa, e. g. in præparatione Tartari emetici, ſine chryſtalliſatione parati, & Nitro perlato, ſubſtituta margaritis matre perlarum, ita aliorum compoſitorum pretia evehere, aliorum imminuere oportuerit.

Supereſt, ut pauca adhuc de Taxa medicamentorum moneamus. In ſcopuloſo & procellis tumenti hoc mare ceu cynoſuram ſecuti ſumus æquitatem, regionis populique conditionem, præſentia mercium pharmacevticarum pretia, artis, laboris tædii, periculi ac expenſarum juſtam æſtimationem: Inſtabile & varians certorum exoticorum pretium ſeorſum ad finem, ut uno conſpectu cerni, & juxta ſyllabos nundinales pretiorum authenticos, die Preiß-*courants* dictos, quoties opus fuerit, ex æquo accommodari queat in ſeparata pagina ſubneximus, atque ſingulis pretium præſens adpoſuimus.

Quamvis ergo haud perfunctorio labore, & citra cujuscunque obtrectationem, ſolo boni publici ſtudio cuncta fideliter exſecuti nobis videamur, tamen & excuſare ſilentium, quod in deſcriptione nonnullorum pharmacopolii noſtratis aulici arcanorum, e. g. Theriacæ cœleſtis, Emulſionis perlatæ, Maſſæ pilul. de ſuccino GREIPHII, ſervare cogimur, & errores, ſi qui obrepſerunt, deprecari fas exiſtimamus, bene gnari, ne quidem machinari licere opus ab omni parte beatum, imo ex ampliſſima hac meſſe non defuturum

ſatis

ſatis adhuc copioſum ſpicilegium. Unde, ſi quid humani videamur paſſi, humaniter moneri non detrectamus. Ad ultimum vero DEUM TER OPTIMUM MAXIMUM ſupplices rogamus, velit laboribus hisce noſtris ex alto benedicere, vires infundere medicamentis, cunctaque noſtra conſilia in ſui ipſius honorem & largiſſimos rei publicæ ac literariæ fructus clementer dirigere.

*Scripſi Collegarum nomine*
*Tubingæ Menſ. April. A. MDCCXL.*

BURCARDUS DAVID MAUCHART,
Med. & Chir. D. Med. Anat. & Chir. Prof. Ord.
Conſiliarius & Arch. Wirt. Collegii Archiatralis
& Facult. Med. Tubingenſis Senior.

AD
SECUNDAM ET TERTIAM
# PHARMACOPOEÆ WIRTENBEGICÆ
EDITIONEM
# PRÆFATIO.

L. B. S.

Agimus jam tertium luſtrum, BENEVOLE LECTOR, ex quo prima vice in lucem prodiit Pharmacopœa Wirtenbergica. Placuit noſter ille labor publico ita, ut, qui maximo numero typis exſcripta fuerant libri exemplaria, omnia nos inter, atque exteros gentes diſperſa, indiesque plura a Bibliopolis petita fuerint.

Reaſſumſit itaque Clariſſimus Collega noſter D. D. GESNERUS calamum, & uti eſt rerum pharmaceuticarum doctiſſimus, editio-

nem hanc ſecundam, priori hinc inde auctiorem, paravit, quam jam publico uſui tradimus.

Præfatus eſt multa perſpicue alter Collega Clariſs. D. D. MAUCHARTUS ad primam libri editionem, atque inſtituti Leges, librique ſummam indicavit, ut hac vice pauca ſaltim de differentia, & prærogativa hujus editionis, ejusque additionibus præfanda habeamus.

Prima libri pars, Materiam Medicam ſimplicem complectens, aucta eſt I. Nomenclatura Gallica, ut ſcilicet exterorum uſibus, qui magnam partem vel Galli ſunt, vel Gallica amant, inſerviamus. II. Numerus etiam ſimplicium auctus eſt, & III. Vires ſpecificas, plantarum inprimis, quæ experientia certa, vel auctoritate virorum clariſſimorum, quos inter, *Illuſtrem* HALLERUM, *Gœttingenſium decus*, primo loco nominamus, nituntur, adjunximus.

Exoticorum patriam, & hiſtoriam naturalem ex fontibus hauſimus, eumque in finem RAJI, KÆMPFERI, VALENTINI, GARCIÆ AB HORTO, PISONIS, LEMERY, POMETI, TOURNEFORTII, BOERHAVII, opera, imo *Germanorum* atque *Gallorum Ephemerides* in uſus noſtros adhibuimus, ut ita Lectoribus noſtris ſumtuum & laboris compendium, faceremus. Sunt quædam, quæ nuper demum erudito orbi innotuere, ab uno alterove magnis laudibus deprædicata, quorum tamen vires medicæ vel non ſatis cognitæ, vel non ſatis probatæ ſunt: his etiam hac editione, poſt reliqua locum dedimus, ut ne quid numero ſimplicium deſit.

Alteram libri partem, quæ præparata, & compoſita medicamenta complectitur, quod attinet: & hanc, multarum formularum inſperſione auctam damus. Haud quidem ignoramus, pharmacopolia & libros pharmaceuticos laborare copia magis, quam inopia, bonamque ac prudentem methodum medendi non opus habere

habere tot tantisque compoſitionibus & formulis : inde etiam in nos non recipimus, ut rationem omnium in hoc libro collectorum medicamentorum reddamus, cum non raro compoſitiones & decompoſitiones, quæ inconcinnæ, non neceſſariæ etiam, & inutiles videntur, occurrant, quæ tamen a poſteriori, & ex uſu ſe commendarunt, quorum illuſtriſſimum in *Theriaca Andromachi* exemplum habemus. Placuit tamen diverſitati guſtus inſervire, & divitias libri augere, atque eadem præciſione, multas novas formulas, clariſſimorum noviſſimorumque Doctorum progenies, deſcribere, qua in prima libri editione uſi ſumus : id enim eſt illud punctum, in quo labor noſter multorum aliorum curas antecellit, ut nihil indeterminatum relictum ſit, ſed omnia ad menſuram & libram dimenſa proſtent.

Quilibet vel pro uſu privato, vel publico eliget ex hac farragine formularum ſelectarum ea, quæ maxime neceſſaria, & utiliſſima judicabit, ita fiet, ut quæ centum pro ſuperfluis habebunt, alii centum tanquam maxime neceſſaria ſeligant.

Tandem Indici latino, gallicus & germanicus adjectus eſt, ut inſtar Lexici inſervire liber poſſit.

Hæc ſunt, BENEVOLE LECTOR, quæ ſecundæ libri editioni præmiſſa, hic repetimus. Supereſt, ut fidem olim datam & culpa aliorum hactenus non ſolutam, liberemus, atque *Taxam medicamentorum*, in partes vocatis celeberrimis pharmacopolis, iterata opera expolitam & correctam, ſuperaddamus. Utere noſtris BENEVOLE LECTOR, & ſi placet, meliora redde. Vale!

*Stutgardiæ*
*d. 8. Aprilis 1754.*

D. J. W. BILFINGER,
Archiater Wirtenberg.

# PRÆFATIO
## COLLEGII ARCHIATRALIS WIRTENBERGICI
### AD HANC NOVAM EDITIONEM.

Exemplaria ſatis numeroſa priorum editionum jam diu divendita, etiam ſi taceas libri deſiderium, novam hanc editionem abunde excuſant.

De ſtructura operis Collegæ noſtri, nunc omnes pie defuncti, ad primam & ſecundam editionem ampliſſime diſſeruerunt. Pauca igitur reſtant, hanc ſolummodo concernentia editionem, de quibus lectores erunt præmonendi, ut ſtatim à limine pateat, in quibus hæc à prioribus differat. Structuram libri intactam reliquimus, utpote omnibus huc usque ſatis probatam. Simplicibus ea addidimus, quorum vires medicas noſtri ævi medicorum ſagax immo nonnunquam audax detexit ſolertia; ſi quas receptorum qualitates adhuc incognitas recentiorum Practicorum obſervationes nobis ſubminiſtrarunt, eas tironum gratia ſuo loco adjecimus, deſcriptiones paſſim emendavimus, & ſingulas plantas Linnæana definitione determinavimus; appendicem quoque antecedentium editionum ordini alphabetico congrue inſeruimus.

Dum in ſecunda parte quasdam præparationes & compoſitiones chymicas emendavimus, manes noſtrorum Collegarum carpendi animus non fuit. Chymicorum enim recentiorum indefeſſus labor plura invenit compendia, de quibus ante aliquot luſtra ne doctiſſimus quidem cogitavit. Et quid, ſi aliquid humani paſſi fuiſſent? Idem nobis contigiſſe lectorum deteget ſolertia.

Nova inventa, quæ vel præparationis concinnitas, vel virtutis prærogativa, vel conſpicuus in aliis laboribus chymicis uſus, commendant, qualia ſunt: *Sal ſedativum Hombergii*, *Mucilago mercurialis Plenkii*, *Sulphur antimonii auratum liquidum*, *Extracta Stærkiana*, *Ceratum Saturninum Goulardi*, *Pilulæ alterantes Plumeri*, *Liquor probatorius*, *Julapium è Camphora acetoſum*, *Phosphorus &c.* locum jure quodam ſuo in hoc libro ſibi vendicant; nec veremur, ne horum additione compilatorum mereamur titulum, non adeo glorioſum. Circa finem præteriti & initium hujus Sæculi naſutuli quidam Pharmaco-Chymici artem ſuam ſine ſcientia exercentes, & laureolam in muſtaceo quærentes, ut producta ſua ſpecioſiora adpareant, magis figuram externam, quam internam pharmaci naturam, curarunt. Horum correximus errores. Salia vegetabilia fixa erunt pro exemplo. Sicubi denique proceſſus quidam chymicus, vel nimis tædioſo fatigavit artificem labore, vel operationes non ſatis curioſe determinavit, illum majori compendio inſtruximus, hunc vero ita adornavimus, ut operanti nulla ſuperſit ambiguitas.

Sed dum nova addidimus, defectuoſa emendavimus, falſa correximus; multa tamen reliquimus, quæ nos pariter, ac omnes rite ſapientes Medici, pro inertibus & ſuperfluis jam diu habuimus. Si quod in hac incuria crimen videtur, in eo diluendo nobis otium factum eſt in præfatione ad primam editionem. Nihilominus tamen Salium fixorum vegetabilium diverſa nomina, cum aliquot extractis, exulare juſſimus, parum curantes ea pharmaca, quorum compoſitionem hi exules ingrediuntur. Syllabum inſuper typorum differentia contractiorem reddidimus. Ea enim, quæ extempore parari poſſunt, vel quæ ætate corrumpuntur, præter ea, quæ obſoleta & inertia, vel præter neceſſitatem prætioſa judicantur, ut præſto ſint in officinis noſtris, non poſtulamus. Hoc modo pharmacopœis & medicinæ practicis conſuluimus. Scripſimus Stutgardiæ d. 18. Septembris 1771.

Sereniſſimi Domini Ducis Wirtenbergici
Conſiliarii & Archiatri ordinarii.
D. A. R. Reuſs.
J. F. Breyer.
J. G. Hopfengærtner.

DE

DE

# NONNULLIS,

# LECTORIBUS & PHARMACOPOEIS,

## SCITU NECESSARIIS.

Quantum interſit, ut in medicamentorum præſcriptione omnia ad pondus & menſuram ſumantur, etiam hoſpiti in medicina notum eſt. Sunt enim pondera & menſuræ quaſi regulæ & canones, ſecundum quas in medicamentorum compoſitione & medicina facienda, omnia ad æquitatem & pro intentione Medici ponderantur, ne vel exceſſu noceant, vel defectu peccent.

Neceſſu igitur eſſe putavimus, pondera & menſuras, quibus in Diſpenſatorio hoc noſtro uſi ſumus, & quibus Medici in præſcribendis formulis uti ſolent, adponere.

Libræ, ubi mentionem fecimus, libram medicam, quæ uncias pendet duodecim, intelligi voluimus. Libra vero civilis noſtra uncias habet ſedecim.

Uncia una octo habet drachmas.

Drachma una tres habet ſcrupulos.

Scrupulus unus viginti habet grana.

Menſura noſtra ordinaria Wirtenbergica pendet aquæ libras quatuor medicas, vel uncias quadraginta octo.

Menſuræ quadrans (ein Schoppen) libram unam facit medicam, vel uncias duodecim.

Manipulum, quando ſcribimus, quod plerumque in herbis & floribus præſcribendis fieri ſolet, illam intelligi vo-

lumus quantitatem, quam manus modica capere poteſt.

Sub Pugillo tertiam partem manipuli, vel quod tribus digitis capitur, intelligimus.

Præſtat tamen, herbas & flores etiam pondere determinare, & pro manipulo drachmas tres, pro pugillo drachmam unam ſumere, ut, ſi forſan repetitione opus habeat præſcriptio quædam, illa eo accuratior parari poſſit, & tam quoad ſaporem, quam odorem, in omnibus cum priori conveniat, atque ægrotis omnis ſcrupulus, mancæ ac minus accuratæ præparationis dematur.

Plura etiam nonnunquam ſimplicia uno nomine præſcribi ſolent: exempli gratia cum Medicus præſcribit:

Radices quinque aperientes majores, ſumantur
- Apii
- Aſparagi
- Fœniculi
- Petroſelini &
- Ruſci.

Radices quinque aperientes minores.
- Capparis
- Eryngii
- Graminis
- Ononidis
- Rubiæ tinctorum.

Herbæ quinque emollientes.
- Altheæ
- Malvæ
- Mercurialis
- Parietariæ
- Violariæ

vel

- Malvæ
- Brancæ urſinæ
- Betæ
- Parietariæ
- Mercurialis.

Herbæ

| | |
|---|---|
| Herbæ quinque capillares. | Adianti aurei<br>Capilli Veneris<br>Ceterach<br>Rutæ murariæ<br>Scolopendrii. |
| Flores quatuor cordiales. | Borraginis<br>Bugloſſæ<br>Roſarum<br>Violarum. |
| Semina quatuor calida majora. | Aniſi<br>Carvi<br>Cumini<br>Fœniculi. |
| Semina quatuor calida minora. | Ammeos<br>Amomi<br>Apii<br>Dauci. |
| Semina quatuor frigida majora. | Citrulli<br>Cucumeris<br>Cucurbitæ<br>Melonum. |
| Semina quatuor frigida minora. | Cichorii<br>Endiviæ ſive Scariolæ<br>Lactucæ<br>Portulacæ. |
| Quinque Genera Myrobalanorum. | Belliricæ<br>Chebulæ<br>Citrinæ<br>Emblicæ<br>Indæ. |

| | |
|---|---|
| Fragmenta Lapidum quinque pretioſorum. | Granati<br>Hyacinthi<br>Sapphiri<br>Sardæ ſive Carneoli<br>Smaragdi. |
| Quatuor Aquæ cordiales. | Bugloſſæ<br>Borraginis<br>Roſarum<br>Violarum. |
| Quatuor Aquæ pleuriticæ. | Cardui benedicti<br>Cardui Mariæ<br>Scabioſæ<br>Taraxaci. |
| Aquæ quatuor catarrhales. | Farfaræ<br>Scabioſæ<br>Taraxaci<br>Veronicæ. |
| Quatuor Unguenta calida. | Aggrippæ<br>Altheæ<br>Martiatum<br>Nervinum. |
| Quatuor Unguenta frigida. | Album camphoratum<br>Infrigidans Galeni<br>Populeum<br>Roſatum Meſues. |
| Tria Olea Stomachica. | Abſinthii<br>Cydoniorum<br>Maſtiches. |

# PHARMACOPOEÆ
# WIRTENBERGICÆ
## PARS PRIMA
# MATERIAM MEDICAM
EXHIBENS.

ejus eſt proventus in Helvetia, in cavernis montis pileati ſive fracti, & montis Wallenſtock; reperitur etiam in caverna illa celeberrima Ducatus Wirtenbergici, quæ Nebelloch vocatur. *Virtutem habet abſorbentem, & ad lactis augmentationem nutricibus* (annon incongrue?) *præſcribitur.*

Lithomarga, Medulla ſaxorum, *Moëlle de pierre*, Steinmarck. Eſt ſubſtantia ſolida, coloris utplurimum griſei, pinguis, lubrica; *adſtringentis ſaporis & virtutis.*

Ochra, *Ochre*, *Ocre*, Ochergelb. Eſt terra martialis, coloris ſubflavi. *Pictoribus inſervit.*

Rubrica fabrilis, Sinopis veterum, *Craye rouge*, Röthel-Stein. Eſt Ochræ ſive potius Margæ martialis ſpecies, Bolo durior, valde adſtringens. Ex Epiſcopatu Salisburgenſi magna in copia advehitur. *Raro tamen in uſum medicum venit; cum melle roſato mixta ad Aphthas commendatur.*

Terra Japonica. Vide Succi condenſati.

† Terra Lemnia, *Terre Lemnienne*, *ou de Lemnos*, Lemniſche Erde, Erde aus der Inſul Lemnus. Coloris diverſi, vel pallidi, vel flavo fuſci, vel rufeſcentis; nobis ex Turcia advehitur. Eligatur, quæ ſaponis inſtar, pinguis eſt, modice adſtringit, nec digitos colore inficit. *Virtute gaudet adſtrictiva. Pulveres varios, Bezoardicos dictos, ingreditur, hodie vix amplius probatos.*

† Terra ſigillata alba Turcica, *Terre ſigillée blanche de Turquie*, weiſſe Türckiſche Siegel-Erde.

† Terra ſigillata alba Goldbergenſis, *Terre ſigillée blanche de Sileſie*, weiſſe Schleſiſche Siegel-Erde.

Terra ſigillata Melitenſis, ſive de Maltha, *Terre ſigillée de Malthe*, Maltheſiſche Siegel-Erde. Coloris albi, & plerumque effigie S. Pauli ſignata eſt. Uti reliquæ terræ ſigillatæ, impalpabilis & pinguis eſſe debet. *Terræ ſigillatæ albæ omnes viribus conveniunt, nec adeo, ſicut rubræ, adſtringunt.*

† Terra ſigillata rubra Turcica, *Terre ſigillée rouge de Turquie*, rothe Türckiſche Siegel-Erde. *Hæc, & aliæ hujus coloris, cum Bolo Armena conveniunt.*

† Terra ſigillata Sileſiaca griſea, vel lutea Strigonienſis, *Terre ſigillée griſe de Sileſie*, graue Schleſiſche geſiegelte Erde. A nonnullis *Axungia ſolis* vocatur. Pinguis, minus friabilis, atque ſabuli omnis expers, eligenda. *Viribus cum terra Lemnia convenit.*

Terra Tripolitana, Tripela offic. *Tripoli*, Tripel-Erde. Eſt terra argilloſo-arenoſa, martialis indolis. Coloris vel cinerei, vel lutei, vel albi. *Uſus potius eſt mechanicus, (maxime luteæ, quæ levis atque impalpabilis eſſe debet,) quam medicus.*

Terra viridis, Viride montanum, Chryſocolla veterum, *Terre verde*, *Verd de montagne*, *Chryſocolle*, grüne Erde, Berggrün. Eſt ochra venerea.

venerea. Ex Hungaria nunc, olim ex Armenia adferebatur; eligenda, quæ ſaturate viret. *Pictoribus inſervit potiſſimum; Chirurgi vero etiam ad purganda & exſiccanda ulcera maligna, ea uti poſſent.*

## CAPUT II.

# DE SALIBUS NATIVIS ET ARTE FACTIS.

Alumen crudum vulgare, album, glaciale, *Alum ou Alun blanc, vulgaire*, gemeiner, weiſſer Alaun. Eſt ſal minerale, quod in Anglia, Suecia & Germania ex propria minera educitur. Paſſim invenitur etiam alumen nativum. Acidum Aluminis, cum Vitrioli acido, convenit; terra vero Aluminis, ſpecificæ, alcalinæ, argillaceæ, & Vitrioli, metallicæ indolis eſt. *Uſus ejus eſt multifarius medicus, valide adſtringens, coagulans, exedens.*

Alumen Romanum, rupeum, rubrum, *Alum ou Alun Romain, de roche*, rother Römiſcher Alaun. Ex Italia advehitur, & prope *Tulfam*, ex ſaxo calcinato, certis encheireſibus, extrahitur. Coloris roſei pallidi, & in cryſtallis eſſe debet; *cum præcedente convenit.*

Alumen ſaccharinum, ad præparata pertinet, & in parte poſteriori quærendum eſt.

Borax, Borax Veneta, Chryſocolla, *Borax de Veniſe*, Borras, Borax. Eſt ſal, quod ex peculiari mixto ſalino, quod ex Orientalibus Indiis ſub nomine *Tinkal* advehitur, Venetiis & in Hollandia paratur. Eligenda eſt alba, cryſtallina, levis, in igne facile fluens, atque vitreſcens. Curioſum eſt, Boracem, ad cujus ſolutionem viginti aquæ partes requiruntur, addito cremoris tartari duplo, pauca aqua ita ſolvi, ut ne formam quidem ſolidam amplius induat. *Incidit, attenuat, abſtergit, ſtimulat; urinam, menſtrua & partum promovet, atque hoc ſcopo aliis calidis, ſanguinem commoventibus medicamentis præferri meretur. Doſis ſcrupulus unus vel drachma ſemis. Aurifabri borace ad aurum fragile, ductile reddendum, utuntur.*

Cineres clavellati, Sal alkali vulgare, *Potaſſe, Vedaſſe, Cendre gravelée*, Potaſche. Sunt ſal fixum lixivioſum, ex cineribus lignorum, præſertim duriorum, e. g. querni & fagini extractum & calcinatum, quod in magna quantitate e Moſcovia, Curlandia & Haſſia advehitur, atque etiam apud nos in ſylva martia paratur. Non purum eſt alkali, ſed ſal continet neutrum ſive medium, cum Tartaro vitriolato conveniens, quodque facile ſolutione & cryſtalliſatione ſeparari poteſt. *Uſus Cinerum clavellatorum eſt varius, & plurimus in arte tinctoria & vitriaria. In Medicina, ſi a terra & ſale neutro depurantur, loco ſalis tartari inſervire poſſunt. Salium alcalinorum fixorum omnium vis eſt acidum domans, glutinoſa dividens, exæſtuans, diuretica, externe, ſi ſoluta in forma fomenti applicentur, tumores lymphaticos & lacteos potenter reſolvens.*

Nitrum, Sal petræ, *Nitre, Salpetre*, Salifer, Salniter, Salpeter. Tam regno animali, quam vegetabili & minerali, originem debet. Elicitur apud nos, mediante aqua, ex terra nitroſa, quæ in hypocauſtis & ſtabulis foditur, atque urina, vel aliis excrementis animalium, a longo tempore impræ-

gnata fuit. Solutio ſive extractio, ob pinguitudinem nunquam in cryſtallos abit; hinc per lixivium, ex vegetabilium cineribus & calce viva paratum, depuratur, atque evaporata ſuperflua aquoſitate, ad cryſtalliſandum reponitur. Eligendum album, purum, quod cryſtallos exhibet longas, ſexangulares, prismaticas; carbonibus ignitis inſperſum, absque crepitatione promte deflagrat, atque in aqua facile diſſolvitur. *Eſt medicamentum polychreſtum, refrigerans, orgasmum ſanguinis & bilis acrimoniam temperans, antiſpasmodicum, iſchæmum & diureticum. Datur a granis quinque ad ſcrupulum unum & ultra. Uſu nimio debilitatem, inprimis ventriculi, induxiſſe, experientia docuit.*

Sal Anglicum laxativum, Ebshamenſe, *Sel d'Epſon, Sel purgatif amer*, Engliſches Laxier-Salz. Olim ex fonte medicato Ebshamenſi in Anglia ſolum, aquam evaporando, parabatur; nunc etiam ex ſalis culinaris lixivio reſiduo, etiam apud nos Sulzæ ad Nicrum, certa encheireſi conficiunt. Advehitur nobis ex Anglia, ubi prope urbem Lemmington, quæ ad comitatum Southampton vel Hant-Shiere pertinet, magna ejus quantitas ex reſiduo lixivio a ſalis marini depuratione, paratur. Eligitur album, ſiccum, purum, in aqua facillime ſolubile. *Medicamentum eſt, alvum ciens, incomparabile, & ſecure etiam in febribus ab uncia ad unam ſemis in aqua ſolutum dari poteſt.*

Sal armoniacum, ammoniacum, *Sel ammoniac ou armoniac*, Salmiac. Sal eſt artificiale, ex ſtercorum animalium & ſtraminis fuligine in placentas ſublimata, paratum. Advehitur ex Ægypto, ubi magna quantitas hujus ſalis in provincia, quæ Delta vocatur, non procul ab urbe *Menſoura*, in pagis *Damire* paratur. Eligatur candidum & purum, quod addito ſale alcalico ſtatim odorem ſalis volatilis ſpargit. Datur & nativum, quod inter rariora numerandum. Vulgare hoc ſal continet acidum ſalis communis, & alcali volatile urinoſum. *Uſus illius eſt varius, tam medicus, quam mechanicus. Incidit, attenuat humores pituitoſos, diaphoreſin auget; a nonnullis pro ſpecifico habetur antifebrili, & a ſcrupulo uno ad duos exhiberi ſolet.*

Sal Egranum, *Sel purgatif d'Eger*, Eger-Sauerbronnen-Salz. Paratur ex acidulis evaporatis. Seligitur album in cryſtallis. *Alvum leniter & absque torminibus laxat. Doſis drachmæ duæ ad ſex. Datur aquas minerales bibentibus.*

Sal gemmæ, *Sel gemme, mineral, foſſile, de roche*, Stein-Salz. Sal eſt foſſile ſeu nativum, quod ex Polonia adfertur. Eligendum pellucidum, album. *Uſus eſt tam culinaris, quam medicus.*

Sal marinum, *Sel marin*, Meer-Salz. Eligendum purum, cryſtalliſatum, cubicam figuram exhibens. *Sal culinare noſtrum, fontanum, gemmæ, & marinum ejusdem ſunt indolis, & non niſi puritate differunt; hinc etiam culinare illis ſubſtitui poteſt. Sal eſt condimentum ciborum univerſale, & vim habet incidentem, diſcutientem & diureticam.*

Sal Sedlizenſe, *Sel purgatif de Sedliz*, Sedlizer Salz. Ex aquis mineralibus amaris Sedlizenſibus in Bohœmia conficitur. Eligendum album, cryſtalliſatum. *Cum Sale Anglico virtute laxativa convenit; in eo autem differt, quod illud acidum quoque Salis communis, hoc purius vitriolicum contineat. Siquidem affuſo Oleo vitrioli ex Sale Anglico Spiritus acidus fumans expellitur, ex Sale vero Sedlizenſi non ita.*

Soda

Soda Hiſpanica, *Soude*, *Soude en pierre*, Spaniſches Aſchen-Salz. In glebis diverſæ magnitudinis, coloris cinerei, ex Hiſpania advehitur. Paratur per incinerationem plantæ, quam *Kali geniculatum*, vel *Salicorniam* vocant. Planta nimirum exſiccata, in faſciculos collecta, in ferrea crate ſuper foveam poſita, comburitur, cineres inde orti, in fovea collecti, cooperiuntur, qui, ſucceſſu temporis, in maſſam, duritie lapidem æmulantem, coëunt. Quæ maſſa diffracta, ubicunque divehitur. Præfertur Soda, quæ *Soude d'Alicante* vocatur, & ex portu Valenciæ *Alicanta* advehitur, quæ ex cœruleo cinerea, ſicca & tinniens, intrinſecus & extrinſecus ſpongiæ inſtar poroſa & odoris paludoſi madefacta expers eſt. *Uſus ſodæ in medicina nullus, niſi ad Sal Seignette; in arte vitriaria & tinctoria plurimus.*

Vitriolum album, *Vitriol blanc*, weiſſer Vitriol, Galitzen-Stein, Augen-Stein. Apud Goslarienſes, ex minera plumbi argentifera montis Rammelsberg elicitur. Modum parandi, *Schlüterus*, in elegantiſſimo opere de arte fuſoria, Schmelz- und Hüttenwerck, deſcribit, ferrum, cuprum & copioſam terram zinci habet. Sit, ſacchari inſtar, album, & non nimis durum. *In collyriis adhibetur; mundificat, ſiccat & adſtringit. Ob particulas cupreas interne ſumtum vomitum ciet, & caute hoc ſcopo exhibendum.*

Vitriolum cœruleum, de Cypro dictum, *Vitriol bleu de Chypre*, blauer Vitriol, blauer Galitzen-Stein. Artificiale, cupreæ vel venereæ indolis eſt. Eligendum Sapphiri inſtar cœruleum, cryſtalliſatum. *Virtutem habet ſepticam & adſtringentem; raro vero in uſum venit medicum, niſi externe, & ad pulverem ſympatheticum.*

Vitriolum viride, Romanum, Hungaricum, Anglicum, *Vitriol verd*, *Romain*, *d'Hongrie*, *d'Angleterre*, Römiſcher, Ungriſcher, Engliſcher, grüner Vitriol. Ferri dives eſt. Sit herbacei coloris & cryſtalliſatum. Ex Hungaria & Anglia, nec non Epiſcopatu Salisburgenſi, ubi tam e minera propria, quam ex pyrite calcinato conficitur, advehitur. Datur etiam nativum, quod in metallo-thecis curioſum adſervatur. *Uſus eſt mechanicus & medicus. Tartarus vitriolatus Tachenianus optime ex hoc Vitriolo paratur.*

Vitriolum vulgare, *Vitriol d'Allemagne*, *vulgaire*, gemeiner Vitriol, Kupferwaſſer. Coloris dilute vireſcentis, ſiccum & cryſtallinum eſſe debet, pariter cupri & ferri particeps eſt, & apud Goslarienſes magna in copia paratur. *Tinctoribus uſus eſt maximus; cum gallarum infuſione mixtum, atramentum præbet ſcriptorium, & ad decoctum requiritur nigrum.*

## CAPUT III.

# DE LAPIDIBUS VULGARIBUS ET MINUS PRETIOSIS.

Aëtites, Aquilæ lapis, *Pierre d'Aigle*, *Aëtites*, Adlerſtein. Lapis quaſi prægnans, alio in utero ſonante. Differt a Geode, qui non ſonat, & intus marga plenus eſt. Præfertur Orientalis, qui plerumque ovalis figuræ eſt & magnitudinis. *Uſus ad partum promovendum ridiculus; cum vero martialis indolis eſt, vis adſtringens omnibus innoteſcit.*

Alabaſtrum, Alabaſtrites, *Albâtre*, Alabaſter. Eſt Gypſi purioris ſpecies, polituram admittens, plerumque albi coloris. *Vim habet refrigerantem, & ad unguentum alabaſtrinum requiritur.*

Alumen plumoſum, plumeum, Trichites, *Alum ou Alun de Plume*, Federweiß. Asbeſti eſt ſpecies, quæ ex Inſulis Rhodo & Creta advehitur. *Propter fibras acutas pungentes, & per affrictionem cutem rubefacientes, unguentis ad membra tabida, admiſceri a nonnullis ſolet.*

Alumen ſciſſile, Lapis ſpecularis, *Talc transparent*, *Pierre ſpeculaire*, *Miroir d'Ane*, Frauen-Glaß, Frauen-Eiß. Eſt Spatum ſelenitticum, lamellatum, vitri inſtar pellucidum. *Uſus plurimus eſt mechanicus; ad pulverem Viennenſem album etiam requiritur.* Non confundendum eſt cum hoc lapide ſpeculari Vitrum Moſcoviticum, *Verre de Moſcovie*, Moſcowitiſches Frauen-Glaß, quod in Gypſum per ignem non mutatur; ſed pellucidiſſimum, lamellatum, igni reſiſtit, & ad *Micarum* claſſem pertinet.

Amiantus, vide Asbeſtus.

Armenius lapis, *Pierre Armenienne*, *Azur*, Armenier-Stein, Bergblau. Opacus eſt, cœruleus, maculis nonnunquam argenteis, viridibus & nigris, intermixtus. Minera eſt Veneris; inde etiam eſt virtus ejus purgans. *Melius & ſecurius ad pigmenta, quam in Medicina adhibetur. Probatur ſaturate cæruleus.*

Asbeſtus, *Asbeſte*, *Amiante*, Stein-Flachs. Lapis eſt ſciſſilis, & filamentoſus, igni reſiſtens. Veteres, induſia, aliaque, ex hoc lapide præparare ſciebant; quæ, ubi ſordida igni tradebantur, pura evadebant. Fibras Alumine plumoſo habet molliores, & optima ex Japonia & China advehitur. Amiantus & Asbeſtus paſſim ut ſynonyma occurrunt. Lapides hujus varietates nonnullis impoſuerunt, ut diverſas ſtatuerint ſpecies.

Bufonites, Bufonius lapis, Batrachites, Brontias, Chelonites, *Crapaudine*, *Batrachite*, Krötenſtein. Lentem vitream ſimulat, una parte convexam, altera concavam. Coloris eſt ex fuſco pallentis, aliquando fuſci, interdum nigri, viridis, verſicoloris. Sunt, qui diſtinctionem inter Bufonitam & Batrachitam faciunt, atque priorem a bufone, poſteriorem vero foſſilem & mineralem eſſe credunt. De utroque nullum eſt dubium, illos ad petrefacta, vel lapides ſic dictos figuratos, pertinere. Haud raro in Daniæ regno reperitur. *Alexipharmaca, antepileptica & litbontriptica venditatur virtus.*

Calaminaris lapis, *Pierre Calaminaire*, *Calamine*, *Cadmie*, Gallmey. Vocatur etiam *Cadmia foſſilis.* Eſt minera terrea ſive Ochra Zinci coloris ſubflavi, rufeſcentis, nonnunquam griſei; eruitur ex fodinis propriis & metallicis, inprimis circa Aquisgranum magnus ejus eſt proventus. *Metallicæ indolis eſt; cum cupro enim fuſus, non ſolum colorem ejus rufum in aureum mutat, ſed & pondus auget & in orichalcum transmutat. In Medicina, ad collyria, emplaſtra & unguenta exſiccantia adhibetur.*

Calx, Lapis calcarius, *Chaux*, *Pierre a chaux*, Kalchſtein. Calcinatus lapis, calx viva dicitur. Marmoris ſpecies eſt, ſiquidem ex quovis marmore, forti igne calcinato, calx viva producitur. *Varius ejus eſt uſus in medicina.*

*dicina. Cum ſalibus alcalinis, vel etiam cineribus mixta, dat lixivium forte, ex quo* Lapis cauſticus, *vel* Cauterium potentiale, *paratur; item ad ſaponis confectionem, nec non ad aquæ calcis vivæ præparationem, requiritur. Aqua multa lota atque edulcorata,* Emplaſtrum defenſivum *ingreditur.*

Cryſtallus montana, *Criſtal, Criſtal de roche,* **Cryſtall, Berg-Cryſtall.** Vitri inſtar transparens, dura, atque ſexangularis eſſe debet; duritie a fluoribus, qui ſæpius in metallifodinis reperiuntur, diſtinguitur. Variis in locis reperitur, inprimis ex Helvetia nobis adfertur. *Vis abſorbens & ſpecifica ad diarrhoeas biliоſas infantum a lacte coagulato ortas, merito in dubium vocatur.*

Glacies Mariæ vulgaris, *Pierre ſpeculaire, Miroir d'Ane,* **gemein Frauen-Eiß, Federweiß.** Glacies Mariæ, Specularis Lapis & Selenites, multum inter ſe conveniunt, ut vix discerni poſſint. Multis in locis, etiam in Ducatu Wirtenbergico, reperitur; Coloris albicantis, figuræ rhomboideæ, ſciſſilis. Præfertur clara & pellucida. *Calcinata, a veterinariis pecudibus ad calorem febrilem temperandum, exhibetur. Argentifabris ad polienda vaſa inſervit.*

Hæmatites, *Pierre Hematite, Pierre Sanguine, Ferret d'Eſpagne,* **Blutſtein.** Minera eſt Martis, coloris obſcure rubentis, ſaporis terrei adſtringentis. Diverſæ reperitur ſpeciei, *fibris longioribus*, qui in uſum medicum vocatur; *fibris brevioribus*, figura convexa, ſicut cranium humanum, qui germanis metallicolis Glaskopf audit; tertia ſpecies *Schiſtus* eſt, qui loco fibrarum lamellas, ſicut Alumen ſciſſile, habet. *Omnes virtute adſtringente martiali pollent.*

Judaicus lapis, Phœnicites, Tecolithus, *Pierre judaïque,* **Judenſtein.** Lapis eſt variæ figuræ, ut plurimum olivaris, cum & ſine petiolo. Colore eſt cinereo; duritie vix ſilici cedit, facile tamen in pulverem redigitur. Reperitur in Judæa, unde forſan nomen accepit: tamen haud raro etiam in aliis obvius eſt provinciis. Ad petrefacta pertinet, & ſecundum modernorum ſententiam, ſunt radioli Echini marini petrefacti. *Adſcribuntur huic & aliis ejusmodi petrefactis vis diuretica & abſorbens.*

Lazuli lapis, *Pierre d'Azur, Azur, Outre mer,* **Laſurſtein.** Coloris debet eſſe cyanei, punctulis aut flammulis, ac venis aureis, ornatus. Durior eſt armenio lapide; ambo autem ſunt mineræ cupreæ proſapiæ. Eligitur pulchre, Sapphiri ac Cyani florum inſtar, cœruleus; ex Oriente allatus, & in igne colorem non mutans, in uſum trahitur medicum. Duplo vel triplo, ſalis alcali, igne forti fuſus, in vitrum abit nigerrimi coloris. Quod ſignum præbet, præter cuprum etiam ferrum, & quidem in majori quantitate, reſpectu cupri, continere; quin *Marggrafius* in experimentis de hoc lapide inſtitutis, ne veſtigium quidem cupri, ſed pyritis martialis invenit. Circumferuntur etiam nonnunquam a metallicolis vagabundis, lapides, coloris dilute violacei, ſtriis aureis ornati, quos pro vero Lapide Lazuli vendere conantur. Sunt vero arſenicalis & martialis indolis; hinc pharmacopœi caveant, illos vero Lapidi Lazuli ſubſtituere. Quamvis non negandum, etiam vero eleganter carere officinas noſtras poſſe. *Ingrediens eſt* Confectionis Alkermes, *& ad melancholicos humores educendos commendatur. Pictoribus largitur colorem elegantiſſimum cæruleum,* Ultramarinum *dictum.*

Lyncis lapis, Belemnites, Ceraunius, Dactylus Idæus, *Pierre de Lynx, ou Belemmite*, Katzenſtein, Luchsſtein, Donnerſtein, Druydenfinger. Figuræ & magnitudinis diverſæ reperitur. Succini inſtar eſt diaphanus, & fere ejusdem coloris flaveſcentis, figuræ teretis, & dum corporibus duris affricatur, urinoſum graveolet. Ille, qui pyramidalis vel coni figura, coloris griſeo-nigricantis & non pellucidus eſt, Belemnites ſtricte dicitur; ambos ex concharum & quidem Holothuriorum familia, & inter petrefacta eſſe, certum eſt. *Virtute, cum lapide judaico, convenit. A plebe ad incubum & febres intermittentes commendatur.*

Magnes lapis, *Pierre d'Aimant ou Aiman*, Magnetſtein. In ferrifodinis reperitur. Ferri colorem habet, & ferrum continet. Virtutes ad polos directivæ, ferrique ac arenæ martialis attractivæ, omnibus notæ. Quo validius ferrum attrahit, eo melior. *Uſus in Medicina eſt rarus; emplaſtris ſiccantibus nonnunquam additur.*

Nephriticus lapis, *Pierre Nephretique*, Grießſtein. Coloris obſcuræ viridis, variis coloribus permixtus; ſemper quaſi oleo inunctus videtur. Falſo Jaſpidum familiæ adnumeratur. Gypſum potius eſſe, inſtituta experimenta demonſtrant. Affertur ex Hiſpania & Bohœmia. *Virtus ex nomine patet; interne datur a drachma dimidia ad integram, externe vel carpo, vel regioni renum, alligare jubent.*

Oſteocolla, *Oſtéocolle*, Beinbruch, Bruchſtein. Tophus calcareus, cylindricus, perforatus. Ob figuram, oſſa æmulantem fiſtuloſam, ita vocatur, oſſiumque fractorum coalitum promovere creditur. A nonnullis pro radice populi nigræ petrificata habetur. Coloris eſt albicantis & Coralli inſtar. In locis arenoſis in Palatinatu, Sileſia &c. reperitur. *Emplaſtris additur ſiccantibus & catagmaticis.*

Pumex, *Pierre ponce*, Bimſenſtein. Eligendus eſt levis, albicans, & tritu facilis. Ab ignivomis montibus Ætna & Veſuvio ejicitur; reperitur etiam haud procul a Thermis Embſenſibus. *Virtutem habet ſiccantem, adſtringentem & mundificantem. Uſus plurimus eſt ad dentifricia.*

Selenites, *Selénite*, Selenit. Lapis eſt figuræ & coloris varii. Igne calcinatus, gypſeam indolem oſtendit; nam cum acidis non uti calcareæ terræ efferveſcit. Multis in locis reperitur, & varias ſub ſe comprehendit ſpecies.

Silex, *Caillou*, Kieſelſtein. Omnibus notiſſimus. Laudatur e fluviis collectus. *Ad liquorem ſilicum requiritur.*

Smiris, Smyris, *Emeri, Emeril*, Schmergel, Schmirgel. Lapis eſt ponderoſus, ferruginei coloris, ad nigredinem tendentis. Ex Hiſpania adfertur, & in ferrifodinis reperitur. *Uſus eſt mechanicus, & raro vel nunquam in Medicina adhibetur.*

Spongiarum lapis, *Pierre d'éponge*, Schwammſtein. In ſpongiis marinis reperitur. Eſt concretum tophaceum ſalſum, ordinario coloris griſeo-albicantis & ſubſtantiæ friabilis. *Strumis opponitur, atque virtute gaudet diuretica & abſorbente.*

Talcum,

Talcum, Stella terræ, *Talc*, Talch, Talck. Varii eſt coloris, lamellis molliuſculis, tenuioribus, ad tactum quaſi pinguibus, igni reſiſtentibus, conſtans. Præfertur illud, quod Venetiis nobis advehitur, pingue & coloris virideſcentis. *Uſus eſt cosmeticus. Non niſi in mortario probe calefacto in pulverem teri poteſt.*

Vitrum Moſcoviticum, vide Alumen ſciſſile.

## CAPUT IV.

# DE LAPIDIBUS PRETIOSIS.

Amethyſtus, *Ametiſte*, Amethiſt. Gemma, violacei coloris, pellucida. Eſt Orientalis & Occidentalis. *Viribus conveniunt, & ebrietatem geſtati arcere antiquitus credebantur.*

Carneolus, Sarda, Sardius lapis, *Sardoine*, *Sardienne*, *Cornaline*, Carniol, Carneol. Gemma eſt ſemidiaphana, carnis loturæ, ſive carni ſanguinolentæ ſimilis, unde nomen. Vero nomine eſt Achates rufeſcens. Nam reliquæ gemmæ figura polyhedra cryſtallina diſtinguuntur. Optimus ex Sardinia inſula adfertur; in Bohemia, Sileſia, aliisque regionibus, etiam reperitur. *Sanguinis profluvia, tam interne ſumtum, quam externe geſtatum, ſiſtere prætendunt.*

Chryſolithus, Topaſius, Chryſopaſius, *Chryſolith*, *Topaſe ou Topaze*, Chryſolith. Diaphana eſt gemma, luteo-virideſcentis coloris, lævigatus aureo fulgore ſplendens. Advehitur ex Indiis; reperitur etiam in Bohemia. *Ad Epilepſiam & Phrenitidem laudatur.*

Granatus, *Grenat*, Granat. Gemma pellucida, ſaturate violaceo-rubri coloris. Ex Oriente advehitur; reperitur etiam in Bohemia, Hiſpania & Sileſia. Apud nos Granati orientales minoris ſunt pretii, quam Boji & Hiſpani. *Commendatur ad cordis palpitationes, melancholiam & ſanguinis ſputum.*

Hyacinthus, *Hyacinthe*, Hyacinth. Gemma pellucida, ex flavo aut croceo colore rubens. Orientalis & Occidentalis habetur; præferenda tamen Orientalis. Vitro Saturni adulterata, facile diſtinguitur mollitie & pondere. *Adſcribuntur vires antiſpasmodicæ & roborantes.*

Rubinus, Carbunculus, *Rubis*, Rubin. Gemma diaphana, pulchre rubens, duritie ab adamante ſecunda. Optimus ex inſula Ceylon affertur. *Geſtatus & intus hauſtus, venenis reſiſtere, atque a peſte præſervare traditur.*

Sapphirus, *Saphir*, Sapphyr. Gemma pellucida, colore cœruleo, duritie ab adamante tertia. *Cordialis, alexipharmaca & ophthalmica creditur.*

Smaragdus, *Emeraude*, Smaragd. Ad pellucidas pertinet gemmas; coloris eſt viridis, omnium gemmarum fragiliſſima. Orientalis eſt & Occidentalis; Occidentalis e Peru advehitur. *Alvi & ſanguinis fluxum ſiſtere, & in febribus peſtilentialibus conferre perhibetur.*

Gemmis quidem eleganter officinas pharmacevticas carere poſſe, ſiquidem omnes, tanquam lapides pyromachi, vix alium effectum, quam ſilex, in corpore humano præſtent, plurimi contendunt; vitra enim quaſi ſunt indiſſolubilia, quæ vix aquis ſtygiis obediunt, unde facile etiam hoſpes in medicina perſpicere

ſpicere poteſt, quid ab earum uſu expectari queat. Verum cum a longo tempore in republica medica receptæ ſint, eas quidem exulare noluimus; monemus tamen pharmacopœos, ut ſibi proſpiciant, ne pro genuinarum gemmarum fragmentis, fluores ſive vitra, & gemmas artificiales, Saturno infectas, emant, quod quidem facile ex duritie, quam genuinæ ſibi propriam habent, & qua falſæ diſtinguuntur, cognoſcitur. Operam porro dent, ut gemmæ, non in mortariis æneis, ſed ferreis, in pollinem ſubtiliſſimum terantur, antequam ſuper porphyritem lævigentur. Præſtat etiam, ante ſic dictam præparationem, integras leviter calcinare, atque ignitas in aquam frigidam effundere, quam absque prævia hac calcinatione crudas terere.

## CAPUT V.

# DE METALLIS, MINERALIBUS ET PIGMENTIS.

Antimonii minera, *Mine d'Antimoine*, Spießglaß-Erz. Eligenda ponderoſa, ſtriata, obſcure cœrulei ac plumbei coloris. Adfertur ex Hungaria, quæ optima cenſetur; reperitur vero etiam multis in locis Germaniæ. *Pro Antimonii diaphoretici præparatione expetitur, quod hinc albidius conficitur, ſi modo ab adhærente ſilice vel ſpato prius purgetur.*

Antimonium crudum, Stibium, *Antimoine*, Spießglaß. Probatur, quod ſtrias longas ſplendentes habet, & ex Hungaria advehitur. *Olim pro veneno habebatur; a Kunckelio vero ab hac ſuſpicione vindicatum, & in uſum medicum vocatum eſt. Commendatur ab illo in morſulis ad ſcabiem, & dolores rhevmaticos pertinaces. Uſus in decoctis vix probandus. A veterinariis, in equorum & pecudum morbis, ejus uſus eſt frequens, nec non ad varios labores chemicos expetitur.*

Argentum foliatum, *Argent fin en feuilles*, geſchlagen Silber, Silber-Blättlein. Fit laminas argenti, ſæpius calefaciendo, & inter membranas interiores inteſtini recti bubuli, ſingulari methodo præparatas, mallei ope extendendo. *Folia ad pilulas obducendas requiruntur, & admiſcentur pulveribus, ſplendoris gratia.*

Argentum vivum, Mercurius vivus, *Argent-vif*, *Mercure*, Queckſilber. Eſt Semimetallum fluidum. Reperitur nativum, quod Mercurius virgineus vocatur, maxima vero pars ex minera deſtillatur. Largiſſimus mineræ & ipſius Mercurii virginei proventus eſt in Iſtria. Reperitur vero etiam in Hungaria, Tranſylvania & Germania. Optimus Mercurius vivus habetur virgineus, a nullo alio metallo vel ſemimetallo inquinatus. Fraus facile detegitur, ſi drachma una aut altera in cochleari ferreo carbonibus ſuperimponitur; ſic Mercurius in auras abit, atque metallum vel ſemimetallum, quo inquinatus fuit, relinquit. *Variis uſibus tam chemicis, quam medicis, & mechanicis inſervit.*

Arſenicum album, *Arſenic blanc*, weiſſer Arſenic, Maus- oder Ratten-Gift. Eſt concretum minerale, ex multa terra metallica & ſale conſtans. Non ſolum ex minera arſenicali, (Gift-Kieſen) ſed etiam ex mineris ſtanni, & cobalto pro cœruleo, in uſtulatione harum minerarum, ſub forma fumi albi,

allium

allium redolentis, expellitur, atque in camino, peculiari modo in hunc finem conſtructo, dem Giftfang, capitur, & ſubſtantia pulverulenta, coloris albi & cinerei, colligitur: qui pulvis a metallicolis, Hüttenrauch & Giftmehl, appellatur, & addita portione ſalis alcali ſublimatur. Præſentiſſimum eſt venenum; hinc caute cum illo verſandum, & omnia ex illo præparata medicamenta pro ſuſpectis habenda, donec evidentius oſtenſum ſit, poſſe ſalutarem reddi internum arſenici uſum. Odore allii, carbonibus inſperſum, ſe prodit.

Arſenicum citrinum, ſive flavum, *Arſenic jaune*, gelber Arſenic. Artificiale eſt concretum, & ex Arſenico albo, addita decima ſulphuris parte, ſublimatione paratur. *Cauſticum venenum eſt, paulo tamen, ob additum ſulphur, mitius albo.*

Arſenicum rubrum, *Arſenic ou Orpiment rouge*, *Réalgar*, rother Arſenic, Rauſchgelb. Pariter ex Arſenico albo & pyrite ſulphureo ſublimatur. *Pictoribus inſervit. Datur etiam nativum, quod* Riſigallum *ſeu* Sandaracha Realgar *vocatur.*

Auripigmentum, Sandaracha Græcorum, *Orpin*, *Orpiment*, Operment, Auripigment, Goldgelb. Eſt minerale nativum & foſſile. Optimum cenſetur, quod ex Turcia advehitur, punctulis ſive micis, velut aureis, nitet, & coloris citrini eſt. *Venenatum eſt, & ex arſenicalibus particulis, cum ſulphureis mixtis, conſtat. A pictoribus expetitur, & iis, qui cuticulam depilandam curant. Cum calce viva Liquorem conſtituit illum probatorium vini Lithargyrio infecti, & atramentum ſympatheticum. Auripigmentum ad rubedinem calcinatum, a veteribus* Sandaracha *vocabatur.*

Aurum foliatum, *Or fin en feuilles*, *Or battu*, geſchlagen Gold, Goldblättlein. Eodem modo, quo Argentum foliatum, paratur, *iisdemque uſibus inſervit.*

Cadmia nativa, foſſilis, metallica, Cobaltum, *Cadmie*, *Calamine*, *Cobalt*, Kobalt, Mücken- oder Fliegen-Stein, Arſenic-Stein. Minera eſt arſenicalis, & ab illa, quæ ad Smalti præparationem adhibetur, & non raro Argenti dives eſt, differt. Metallicolæ, hanc, vulgo Giftkieſe; Cobaltum vero, ex quo, additis ſilicibus, & ſale alkali, ſmaltum conficitur, Farben-Cobalt appellant, prius copioſe in Misnia effoditur; poſterius etiam in diverſis Wirtenbergicis argentifodinis reperitur. *Ambo inter venena reponenda. Septicæ eſt virtutis cobaltum, & ad enecandas muſcas in uſum trahitur.*

Ceruſſa alba Norica, *Ceruſe blanche*, *Blanc de plomb*, weiß Bleyweiß. Factitium eſt, & calcinatione vaporoſa mediante aceto, ex plumbo conficitur. Eligenda alba & ponderoſa, creta vel bolo non adulterata. *Siccat, adſtringit & refrigerat; ad emplaſtra & unguenta requiritur, & pictoribus inſervit.*

Ceruſſa citrina, *Ceruſe jaune*, Bleygelb. Eſt calx plumbi, ad flavedinem calcinata. Citrini coloris eſſe debet. *A pictoribus expetitur.*

Ceruſſa Veneta, *Ceruſe de Veniſe*, Venediſches Bleyweiß. In minoribus conis, quam ceruſſa alba advehitur, & olim Venetiis parabatur. Alba, & quæ guſtu dulcis eſt, eligi debet. *A pictoribus, quia color ejus albus conſtantior, quam vulgaris illius Noricæ eſt, requiritur; præfertur tamen omnibus*

*illa cerussæ speciès, quæ ex laminis plumbi paratur, & quam* Schieferweiß *appellant. Sicut reliqua producta ex plumbo, adstringit, reprimit & siccat. Usus est in emplastris, unguentis & collyriis.*

Chalybis limatura, *Limaille d'acier*, Stahlfeil, Martis limatura, *Limaille de Mars, ou de Fer*, gefeiltes Eisen, Eisenfeil. Eligatur limatura chalybis, seu ferri puri, Venere non inquinati. Irritum est tentamen, limati ferri separationem, a Venere, ope magnetis suscipere; nam quamvis limatura Veneris & Martis singula seorsim limata & commixta, tali modo secerni possint; tamen id non succedit cum limatura fabrorum, multis miculis interspersa, quæ ex altera parte vel latere, ferreæ, ex altera autem cupreæ existunt, & sub una eademque portione lima abrasæ fuerunt. Quales propterea ex latere ferreo arripere solet magnes, licet ex altera parte vel latere, particula cupri illiquata adhæreat. Imo duplum Veneris, cum ferro susum, magnetem sequi, *Henckelius* observavit. *Ad varios usus medicos & chemicos expetitur.*

Chrysocolla, Viride montanum, Berggrün. Vide Terra viridis.

Chrysocolla crystallisata, factitia, est Borax. Vide Salia nativa.

Cinnabaris factitia, *Cinabre ou Vermillon artificiel*, Zinnober. Est compositum ex Mercurio & Sulphure. Videatur Pars posterior Pharmacopœæ Wirtenberg. ubi & *Cinnabaris Antimonii* fit mentio.

Cinnabaris nativa, *Cinabre ou Vermillon mineral*, Berg-Zinnober. Est minera Mercurii, nonnunquam Auri particeps, septem plerumque partes Mercurii & unam Sulphuris continet. Optima ex Transylvania, Hungaria & Japonia advehitur. Sit pura ab adhærentibus lapillis, spato & sabulo liberata, nec Risigallo inquinata. *Usus ejus est in Medicina, uti factitiæ; præstat vero, eam, antequam interne exhibeatur, sublimare.*

Cobaltum. Vide Cadmia nativa, fossilis, metallica.

Fel vitri, Recrementum vitri, Sal vitri, Anatron, *Sel ou Fiel de verre*, Glasgalle. Est spuma, aut materia recrementitia, in vitri fusione & præparatione, supernatans. Alcalicæ est prosapiæ, & ad neutrorum salium naturam proxime accedit. Sit album, leve, spongiosum. *Usus est ad dentifricia; vim habet diureticam.*

Ferri flores, *Fleurs de Mars*, Eisenblüthe. Sunt concretum album, ex fodinarum & cuniculorum martialium parietibus exsudans, quod ramosas, Coralliorum instar, stirias ostendit, & ad stalactitas pertinet. Ex Styria afferuntur, nonnunquam etiam ejusmodi substantia in ferrifodina Wirtenbergica, prope civitatem Imp. *Aalen*, reperitur. *Adstringunt, parum vero martialis continent.*

Indigo, Indicus color, *Inde*, *Indigo*, Indig. Est præparatum artificiale, quod ex planta Anil, in India tam Orientali, quam Occidentali, paratur. Optimæ notæ, coloris cœrulei parum diluti est, & præfertur obscuriori. Bonus porro censetur, qui aquæ supernatat. *Tinctoribus & pictoribus inservit; in Medicina rarus illius est usus; valde adstringit, & fluxiones alvi & lochiorum nimias sistit. In Ictero profuisse, fama est.*

Lacca

Lacca Florentina, *Lacque ou Laque fine de Florence*, Florentiner Lack. Pigmentum eſt rubrum, ad purpureum colorem accedens, & ex Coccinella, vel etiam non raro ex ligno Braſilienſi, in lixivio cocto & alumine præcipitato, conficitur. *Adſtringens eſt, & pictoribus inſervit; in Medicina pro tingendis trochiscis Alkermes & ad pulveres dentifricios atque electuaria gingivalia, adhibetur. Eligatur colore pulchre rubens & levis.*

Lacca in globulis, *Lacque colombine*, *Laque en boules*, Kugellack. Uti modo dictum, ex ligno Braſilienſi, lixivio, alumine & creta paratur. Ad colorem dilute purpureum vergit. *Adſtringit, & præter pictorios uſus etiam ad dentifricios pulveres adhibetur.*

Lacca cœrulea, *Tourneſol en pâte, en pain, en pierre*, *Orſeille*, Lackmuß, blauer Lack. Sunt glebæ cubicæ ſiccæ, ex ſucco Heliotropii Tricocci, ſive Ricinoidis *Tournefortii*, plantæ in calidioribus Europæ regionibus ſponte naſcentis, calce & urina paratæ. Adfertur ex Gallia & Batavia; laudatur illa, quæ colore pulchre cœruleo & levitate ſe commendat. *Tinctoribus & condita parantibus inſervit.*

Lithargyrium auri, Lythargyrus, *Litharge d'or*, Goldglette. Eſt productum ex plumbo, & in purgatione argenti per plumbum acquiritur. Coloris eſt paulo rubicundioris, quam, quod ſequitur, Lithargyrium Argenti; nimirum magis coctum ſeu calcinatum eſt, unde color ſaturatior.

Lithargyrium argenti, Lithargyrus, *Litharge d'argent*, Silberglette. Cum præcedente convenit, niſi quod coloris pallidioris. Facile plumbum ex ambobus reſtitui poteſt. Plumbum in cupellatione, im Abtreiben, cuprum, quo argentum infectum eſt, abſorbet, & cum illo, in hanc ſemivitream ſubſtantiam abit, unde Saccharum Saturni ex lithargyrio, a particulis cupreis inquinato, ad uſus medicos, præſertim internos, non probatur. Præſtat, quod ex puro plumbo acquiritur. Solutio lithargyrii, cupro inquinati, virideſcit, quod cum illo, ex puro plumbo, non contingit. *Amborum uſus eſt in Medicina, ad emplaſtra & unguenta conficienda; ſiccant & refrigerant.*

Marcaſita, Marcaſita argentea, ſive Bismuthum, *Etain de glace*, *Bismuth*, *Marcaſſite*, Bismuth, Wismuth. Eſt ſubſtantia metallica, quæ ex ſua propria minera extrahitur. Invenitur in argenti venis, & prope illas; in Misnia inprimis, nec non Ducatu Wirtenbergico. Eligenda eſt alba, argentei coloris, a Zinco differt colore, pondere & fragilitate. *Uſus eſt ad cosmetica & varia mechanica; Internus vero ſuſpectus, quia Bismuthum arſenicalis indolis eſt, & plerumque vel ſemper, cum cobalto pro cœruleo mixtum reperitur.*

Minera Martis ſolaris, *Mine martial d'Heſſe*, Heßiſcher Eiſen-Vitriol-Kieß. Eſt minera martialis, ab omni venereo inquinamento libera, & ad claſſem pyritarum, quos vulgo Waſſerkieſe metallicolæ vocant, refertur. Ex obſcuro glauca eſt, nitidis fruſtulis, inſtar mineræ Antimonii reſplendet; ſaporis eſt vitriolacei. Latet plerumque in luto ſeu argilla, in fruſtis figuræ ovalis. In Haſſiæ variis locis, præcipue vero juxta *Almerodam* pagum, invenitur. *Verum Vitriolum Martis exinde parari poteſt, & in ſubſtantia etiam, ubi alia martialia adhiberi ſolent, dari. Doſis grana decem ad viginti.*

Minium rubrum, *Minium*, *Plomb rouge*, Mennig, rother Meng, Mini. Eſt calx plumbi, ad rubrum hunc colorem reverberata. A minio vix differt *Sandix*, quæ nihil aliud eſt, quam Cerussa ad rubedinem calcinata. *Siccat & refrigerat; in Medicina ad emplaſtra & unguenta, in arte pictoria ad pigmenta, Turcicum præſtantius ipſo Norico, noſtratibus uſuali, uſurpatur.* Minium veterum, noſtra eſt Cinnabaris.

Nihilum album, Pompholyx, *Calamine blanche*, *Pompholyx*, weiſſes Nichts. Eſt quaſi flos plumbi, qui inter fuſionem minerarum, & in reductione Lithargyri & cineritiorum, ad latera camini ſublimatur. Eligendum, quod album, leve, & impalpabile, atque acrimoniæ expers. *Ad collyria, emplaſtra & unguenta requiritur. Refrigerante & ſiccante gaudet virtute.*

Oleum Petræ album, Petroleum album, *Pétrole blanc*, *ou Huile de pétrole clair*, weiß Stein-Oel.

Oleum Petræ nigrum, Petroleum nigrum, *Pétrole noir*, *Huile de Gabian*, *ou de pétrole noir*, ſchwarz Stein-Oel.

Oleum Petræ rubrum, Petroleum rubrum, *Pétrole rouge*, *ou Huile de pétrole rouge*, roth Stein-Oel. Ad regnum minerale referuntur; Petroleum enim eſt Naphta ſive Bitumen liquidum, quod ex rimis rupium & terræ exſtillat, & in fontibus aquæ innatans colligitur.

I. Album, ex Sumatra inſula, Perſia, & Modenenſi Italiæ Ducatu,

II. Nigrum, ex Languedocia, ubi prope pagum *Gabian* reperitur, advehitur.

III. Rubrum, quod ex Sicilia & Italia venit, uſitatiſſimum eſt. Deſtillatur etiam ex carbonibus foſſilibus oleum, Petroleo ſimillimum, ubi primo album, poſtea rubrum, & ultimo ignis gradu, nigrum empyrevmaticum fœtidum prodit; quæ olea vix a nativo Petroleo diſtingui poſſunt, viribus etiam cum illo conveniunt. Eligatur Petroleum fluidum, ſpirituoſum, odoris non ingrati, quod in ſpiritu vini non ſolvitur: hac enim nota ab illo diſtinguitur, quod in Hollandia ex oleo templino paratur, & pro Petroleo venditur. *Album & rubrum Petroleum calefaciunt, digerunt & reſolvunt, atque nervoſo generi conferunt; interne nunquam vel raro, quia ſanguinem valde commovent, adhibentur; a quibusdam tanquam probatiſſimum anthelminticum commendatur petroleum nigrum nativum, ad guttas tres vel ſex interne exhibitum.* Cum Petroleo convenit

Oleum terræ, *Huile de terre*, Erd-Oel, quod ante paucos annos ex India Orientali advehi cœpit. Colore eſt rubrum, diaphanum, & odoris Petrolei, atque *in nervorum affectibus externe adhiberi ſolet.*

Orleana, Orlean, *Achiote*, *Orléan*, *Rocou*, *Roucou*, Orlean. Sunt grana Bixæ, ſive Mitellæ Americanæ maximæ tinctoriæ *Tournefort.* in maſſam coacta. Ex America adfertur. *Refrigerat & adſtringit; raro tamen in Medicina, ſæpius vero a tinctoribus, ad pannos & lintea, colore aurantio inficiendos, expetitur.* Eligenda levis, quæ neque nimium madida, neque tota exſiccata eſt.

San-

Sandaracha Græcorum, Riſigallum, Rauſchgelb. Vide Arſenicum rubrum.

Sandix, vide Minium.

Sulphur caballinum, *Soufre groſſier*, Roß-Schwefel. Sunt feces; quæ in rectificatione & purificatione ſulphuris citrini remanent. *Pulverem equorum ingreditur.*

Sulphur citrinum, *Soufre jaune, commun*, gelber Schwefel. E pyrite, magno igne, expellitur. Largus ejus eſt proventus in Suecia, Germania, & ejus provinciis. Ducatus etiam Wirtenbergicus non caret eo. Eligitur purum, citrinum. Reperitur etiam nativum, pellucidum & opacum. *Uſus eſt varius, tam medicus, quam mechanicus. Interne ſumto adſcribuntur vires aperientes, balſamicæ & alexipharmacæ; externe adhibitum ſiccat & repellit.*

Sulphur vivum griſeum, *Soufre vif gris*, lebendiger grauer Schwefel. Reperitur in Islandia & Italia, inter Puteolos & Neapolin. Eligitur, quod purum, & arena non permixtum eſt. *Viribus cum antecedente convenit.*

Torna Solis rubra, Bezetta, *Tourneſol en drapeau*, Farb- oder Schminck-Fleckleín, Spaniſcher Flor. Sunt lintea, coccinella tincta. Eligenda pulchre rubra, & ſaturate tincta, quæ ex Turcia advehuntur. *Uſus eſt in culinis, ad gelatinas, condita & liquores tingendos, & abuſus ad fucos notiſſimus.*

Torna Solis cœrulea, Bezetta cœrulea, *Tourneſol bleu*, blaue Farb-Fleckleín. Sunt lintea, mixtura illa, ex qua Lacca cœrulea paratur, tincta. *Ejusdem ſunt uſus in culinis, & apud conditores.*

Tutia, Thutia, Nihilum griſeum, Cadmia, Botrytis, Tutia Alexandrina, *Tutie*, Tutia. Productum eſt metallicæ proſapiæ, & in fornacibus, ubi æs caldarium funditur, reperitur. Eligenda eſt denſa, modice gravis, quæ fracta cinerea eſt. *Siccat, detergit; uſus eſt in collyriis. Ad unguenta opbthalmica & emplaſtra ſiccantia adſumitur. Cuprum colore tingit aureo.*

Viride æris, Ærugo, Æs viride, *Verdet, Verd de gris*, Grünſpan, Spangrün, Spaniſch Grün. Eſt factitium ex cupro, mediantibus vinaceis, corroſo. Paratur in Gallia & Hiſpania. Eligendum, quod colore ad cœruleum vergit, & quod creta non adulteratum. *Septicum eſt, & ad* Unguentum Ægyptiacum *& alia, requiritur. Internus uſus ſemper noxius. Etiam a pictoribus, & aliis mechanicis, expetitur.*

Vitrum Venetum, *Verre de Veniſe*, Venediſches Glas. Artificiale eſt, ex arena vel ſilicibus, cum ſale quodam alcalino, ex vegetabili regno, conflatum, omnibus notum. *Creditur anthelminthicum, cum melle umbilico ſuperimpoſitum, ſed falſo. Si quis enim experimentum ſequitur effectus, melli potius adſcribendus erit, quam vitro.*

## CAPUT VI.

# DE MARINIS.

Ambra griſea, Ambarum, *Ambre gris*, Ambra, Amber, graue Amber. Bituminis eſt ſpecies, ex venis alveisque terræ, in mare depoſita, ubi quandoque a balænis deglutitur; ex earum enim inteſtinis non raro, ſed nigricantis coloris & deterioris qualitatis, eximitur. Fruſta nonnunquam monſtroſa, & vix credibilis magnitudinis, paſſim in Indiis reperiuntur; *Kæmpferus* mentionem facit maſſæ Ambræ, in litore Japonico inventæ, libras Belgicas centum & triginta pendentis. Eligatur Ambra levis, odorata parum, & quæ, ſi candenti laminæ imponitur, gratum edit odorem, & parum, vel plane nihil, relinquit, quæ facile liqueſcit, & bene cohæret. Veteribus plane ignota fuit, & demum ab Arabibus in uſum vocata eſt. Adulteratur glumis orizæ, in pollinem redactis, maſtiche & ladano; fraus facile detegitur maſticatione, ſolutione, combuſtione ſuper lamina ignita. *Calefacit & reſolvit, atque analeptica, cephalica, cordialis, & ad longævitatem facere, cenſetur; nec non ad varia compoſita in pharmacia adhibetur.*

Asphaltum, Bitumen Judaicum, *Aſphalte, Bitume de Judée*, Juden-Pech. Bitumen eſt ſolidum, nigrum, fragile, reſplendens; odoris, dum accenditur, ingrati. Reperitur magna ejus copia in mari mortuo, & in Chinæ lacubus nonnullis. Conficitur ex hoc, cum pice mixto, Piſasphaltum. *Mundificat ulcera ſordida; uſus eſt in emplaſtris & unguentis digeſtivis, & ad Balſama tingenda adhibetur. Ingreditur etiam Theriacam; veteres eo ad condienda cadavera uti ſolebant.*

Corallina, Muſcus corallinus, marinus, *Coraline, Mouſſe marin*, Corallen-Mooß, Meer-Mooß. Eſt planta, ſub aqua rupibus marinis, conchis, & nonnunquam etiam coralliis adnaſcens, coloris albicantis, viridiuſculi, griſei, ſaporis ſubſalſi, odoris ingrati piſculenti. Præfertur integra, & quæ ſabulo & conchis variis non commixta eſt. Ex mediterraneo mari colligitur. *Anthelminticis, a nonnullis quoque emenagogis adnumeratur, & a dimidia ad integram drachmam præſcribitur.*

Corallium ſive Corallum album, *Corail blanc*, weiſſe Corallen. Planta eſt marina, quæ cum corallio rubro, præter colorem, per omnia convenit, niſi quod rarior eſt. *Corallium album officinale.* J. B. quod pro vero plerumque venditur, *Madreporæ* vel *Coralliodis* eſt ſpecies, quæ in mediterraneo mari copioſe reperitur, & cum Corallio vero albo viribus convenit. Crudum nunquam, præparatum autem ſæpius in uſum medicum vocatur.

Corallium ſeu Corallum rubrum, *Corail rouge*, rothe Corallen, Corallen-Zincken. Planta eſt marina, quæ rupibus, & nonnunquam conchis adnata reperitur. Variis in locis, præprimis vero in mediterraneo mari ad littora provinciæ, Cataloniæ & Siciliæ oras, & non tam in fundo maris, quam in cavernis rupium, provenit, atque, non ſicut aliæ plantæ ſurſum, ſed ex ſuperiore parte cavernarum deorſum, creſcit. Eligitur pulchre rubens, & a ſordibus liberum. *Uſus & virtutes inter præparata occurrunt.*

Coral-

Corallium nigrum, *Corail noir*, ſchwarze Corallen. Rarum eſt, & ex India, ubi in Oceano Orientali circa Bantam reperitur, advehitur. *Uſus in Medicina nullus.*

Pila marina, Sphæra marina, Sphæra Thalaſia Galeni, Halcyonium rotundum, *Pelote de mer*, Meer-Ballen. Nondum conſtat, quæ earum origo ſit; probabile videtur, concrementum eſſe, perpetuo fluxu maris & magnorum lacuum, e junco, pilis animalium marinorum, & non raro conchulis, cum ſpuma maris ita compactum. Non eandem figuram habent; ſunt enim aliæ prorſus rotundæ, aliæ depreſſæ vel oblongæ. Eligendæ ſunt leves & ſiccæ, quæ odorem marinum ſpirant, recentes. *Exſiccandi & calefaciendi vis adſcribitur; toſtæ pulverem ſtrumalem ingrediuntur, & a nonnullis pro anthelminticis habentur.*

Spongia marina, *Eponge*, Badſchwamm. Dicitur etiam *fungus marinus.* Eſt plantæ genus molle, foraminibus pervium. In mari ſaxis, conchis, & aliis concretis adnaſcens. Eligantur Spongiæ albæ, foraminibus exiguis perviæ, leves. Per deſtillationem ex retorta, magnam quantitatem ſpiritus urinoſi, & ſalis volatilis elargiuntur, quod illis, qui ſpongias Zoophyta eſſe credunt, pro argumento inſervit. Magnus earum proventus eſt in mari mediterraneo. *Spongiarum uſus eſt varius, tam chirurgicus, quam œconomicus; in medicina, toſtæ ad pulverem ſtrumalem requiruntur.*

Succinum, Electrum, Carabe, Ambarum, Gleſſum, *Ambre jaune*, *Succin*, Agtſtein, Bernſtein. Succino, omnibus cognito, ſolum fere Boruſſiæ regnum, dives eſt. Colligitur enim ibi, non ſolum in littore maris Baltici, aut & ex ipſo mari, piſcando quaſi hauritur, & vocatur *hauſtile*, ſed effoditur etiam ex terræ viſceribus, montibus & cavernis, littori illi propinquis, & in aliis regionibus, in Suecia, Sicilia, Gallia, & dicitur *foſſile.* Licet de ſingulari ejus natura nondum ſatis clare conſtet; a vero tamen non multum aberrare videntur, qui putant, in eo componendo concurrere oleum bituminoſum, petroleo non diſſimile, ceu baſin, & ſalem acidum vitriolicum ſive ſulphureum, una cum ſubtiliſſima terra & aquæ portione, & pro diverſa horum ingredientium combinatione, ſuccinum non ſolum generari ſolidum, ſed & varie coloratum, album, quod reliquis præſtare credunt, citrinum, nigrum, rubrum, plus minus opacum, transparens &c. Succinum in prima ſua origine liquidum eſſe, teſtantur varia animalcula, quæ involuta in eo reperiuntur, uti muſcæ, araneæ, culices &c. Characteres, quibus dignoſcitur, ſunt, quod igni impoſitum fumet, fluat, ardeat, quod ita tractatum odorem Succino ſpecificum ſpargat, quod neque ab aqua ſola, neque Alkohole ſolo, neque facile ab alio quocunque menſtruo, ſi oleum Vitrioli excipias, perfecte ſolvatur, & quod electricitate ſive vi attractiva gaudeat & emineat, quibus notis etiam a *factitio* illo & *ſpurio* Americano, *Gummi de Loock* alias vocato, quod vero etiam in deſtillatione Sal volatile non exhibet, diſcerni poteſt. *Laudatur tanquam reſolvens, roborans, balſamicum, nervinum, diureticum medicamentum, & hinc multiplici uſu inſervit, tam interno in lymphæ vitiis, catarrhis, rheumaticis fluxionibus, pectoris atque capitis morbis, affectibus ſoporoſis, convulſivis, nephriticis, urinariis, uterinis; quam externo in læſionibus maxime capitis & partium nervoſarum atque tendinearum, uti & in ſuffitibus ad ſeroſas congeſtiones reſolvendas; unde etiam quam plurimas compoſitiones ingreditur.*

Adnumerantur a quibusdam marinis, quæ tamen ad regnum animale pertinent, ex. gr.

Blatta Byzantina, Unguis odoratus, *Blatte Byzantine*, Indianiſche wohlriechende Muſchel-Schaalen. Sunt opercula muricis ramoſi inodora. Odor enim, quem ſpirat conchylium cum vivo incola recenter extractum, aliquot dierum ſpatio perit. *Ad ſuffitus, hyſtericis præſertim adhibetur, alvum laxare & lienis vitiis mederi, interne ſumpta cenſetur.*

Dentalia, Syringites, *Dentales*, Zahn-Purpur-Schnecken. Canaliculi ſunt ſtriati, parum inflexi, in utraque parte obtuſi, pollices duos vel tres longi, coloris pallido-griſei. Veteres credebant, eſſe dentes piſcium, & hanc ob cauſam dentalii nomen impoſuerunt. Hodie inter conchilia numerantur. A Rumphio *Solenes univalves*, ab aliis *Buccina* vocantur.

Entalia, *Entalies*, Zahn-Schnecken. A præcedentibus, non niſi magnitudine, differre, atque minora & acutiora eſſe, nonnulli perhibent. *Aldrovandus*, concharum marinarum, quas *Tellinas* cum *Entalibus* vocant, eſſe partes, ſcribit. Alii conchas Veneris parvas, quæ Porcellanæ appellantur, ſubſtituunt.

Margaritæ, Uniones, Perlæ officinis, *Perles*, Perlen. Sunt lapilli in conchis, quas Rumphius *Oſtrea* vocat, ex eadem materia, qua teſtæ generantur, producti, qui etiam nonnunquam in ipſis animalculis, quæ conchas inhabitant, inveniuntur. Species Oſtrearum, in quibus reperiuntur, enumerat laudatus Rumphius: *Oſtreum cratium*, *Oſtreum ſaxatile*, *Oſtreum placentiforme* ſive *Ephippium*. Sunt vel Orientales vel Occidentales; priores ſunt ſplendidiores, & cæteris præferuntur, ac circa inſulam Ceylon, & in Sinu Perſico, maximæ & optimæ habentur; poſteriores ſive Occidentales, quæ lactei quaſi ſunt coloris, & minus ſplendent, ex America advehuntur, & in multis Europæ locis, in Scotia, Sileſia, Bohemia, etiam reperiuntur. *Sæpius in uſum medicum vocantur, & fere ad omnes pulveres pretioſos requiruntur. Virtutes cordiales, abſorbentes acidum & præcipitantes, cenſentur.*

Mater perlarum, Nacra perlarum ſive margaritarum, *Nacre de Perle*, Perlen-Mutter. Sunt conchæ, Oſtrei placentiformis ſive Ephippii, quæ in mediterraneo mari & alibi inveniuntur, nec unquam veras margaritas includunt. *De præparatione & viribus videatur pars poſterior Pharm. Wirtenb.*

Umbilicus marinus, Belliculus marinus, Faba marina, *Nombril marin*, Meer-Bohnen, Nabel-Stein. Sunt opercula cochleæ lunaris, *Rumphii*, ſive cochleæ celatæ *Rondeleti*. Reperiuntur ad littora maris Adriatici. Habentur majores & minores, rubri & Cati oculum referentes. *Creduntur, umbilico impoſiti, colicos dolores ſedare. Interne raro in uſum venit; abſorbet & adſtringit. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

Hoc caput de marinis plurimis forſan ſuperfluum atque inconcinnum videbitur: cum omnia, quæ in illo continentur, vel ad regnum minerale, uti Ambra, Aſphaltum, Succinum; vel ad vegetabile, uti Corallia, Corallina, Spongiæ; reliqua vero ad animale regnum, ſcilicet Blatta Byzantina, Dentalia, Entalia, Margaritæ, Mater perlarum, Umbilici marini referri potuiſſent ac debuiſſent; Maluimus tamen peculiarem claſſem illis aſſignare, & ordinem, in plurimis officinis a longinquo tempore introductum, ſervare, quam illum, corallia & ſpongias ad plantas, margaritas & matrem perlarum ad animalia relegando, præter neceſſitatem turbare.

CLASSIS

# CLASSIS SECUNDA.

# REGNUM VEGETABILE.

## CAPUT I.

## DE RADICIBUS.

Rad. Acetoſæ, Oxalidis, Acetoſæ pratenſis, C.B. Rumicis floribus dioicis, foliis oblongis ſagittatis, Linn. *Racine d'Ozeille, d'Oſeille, d'Aceteuſe,* Sauerampfer-Wurzel. Naſcuntur in pratis, & verno tempore colliguntur. *Linguæ gratum acorem imprimunt, & decoctæ rubrum aquæ colorem conciliant. Datur decoctum ad æſtum febrilem temperandum.*

Acori veri, Calami aromatici officinarum, *Racine de Calamus aromatique, ou d'Acorus veritable,* Calmus, rechter Ackermann. Indigenæ ſunt; naſcuntur ut plurimum in aquis ſtagnantibus. Colligendæ primo vere vel adulto auctumno. Vocatur etiam *Radix nautica,* ob eximium uſum, quem navigantibus præſtant. Utuntur ea, ut ſibi vel nauſeam arceant, vel præcaveant, ne aquæ putridæ exitio ſint. De Tartaris, extremæ Lithuaniæ incolis, Cluſius refert: quod radices Calami ſive Acori veri plerumque ſecum ferant, nec aquam ex paludibus prius bibant, quam in illa radix hæc infuſa fuerit. Hinc Simon Pauli, viris caſtra ſequentibus, Tartaros imitari, ſuadet. *Vires ſunt alexipharmacæ, ſtomachicæ, carminativæ, balſamicæ, attenuantes & reſolventes. Datur hæc radix ſicca in pulvere a granis quinque ad decem, in infuſo ad unciam dimidiam. Decoqui non debet.*

Acori vulgaris, Pſeudacori, Gladioli lutei, Ireos corollis imberbibus, petalis inferioribus ſtigmate minoribus, foliis enſiformibus, *Racine de faux Acorus, d'Acore bâtard, de Glayeul,* Ackermann, gelbe Schwertelwurz, falſche Acorus-Wurz. Ad aquaticas plantas pertinent. *Adſtringunt, & in decoctis pro collutione oris, ſcorbuticis præſcribuntur; recentes ad* Electuarium diacori *expetuntur. Datur in infuſo vinoſo ab uncia dimidia ad unciam unam.*

Alcannæ veræ, Liguſtri Ægyptiaci, Lawſoniæ racemis inermibus, Linn. *Orcanette du Levant,* roth Aegyptiſches Färberkraut, roth Mundholz. Ex Syria & Ægypto nobis adportatur. Saporem habet auſterum, adſtringentem. Colorem rubrum ſuppeditat. *Decoctum laudatur in aphtis fungoſis infantum.*

Alceæ vulgaris, majoris, Malvæ ſilveſtris folio cannabino, *Racine d'Alcée, de Mauve ſauvage,* Fellriß-Wurzel, Sigmars-

Kraut, Sigmunds-Wurzel. *Cum radicibus Malvæ conveniunt; commendantur etiam ad oculorum morbos, & veterinariis inſerviunt.*

Rad. Allii ſativi, vulgaris, Allii caule planifolio bulbifero, radice compoſita, ſtaminibus tricuſpidatis, Linn. *Ail*, Knoblauch. Colunntur in hortis. *Vires ſunt alexipharmacæ, diureticæ, anthelminticæ & carminativæ. Calculoſis etiam prodeſt.*

Altheæ, Bismalvæ, Ibiſci, Malvaviſci, Altheæ foliis ſimplicibus tomentoſis, Linn. *Racine de Guimauve, d'Althé*, Eibiſch-Wurzel, Althea-Wurzel. Planta colitur in hortis, floret Julio. Radices colliguntur auctumno. *Interne & externe adhibentur; vires ſunt anodynæ & emollientes, & præcipue interne, ad pectoris & viarum urinariarum affectus in uſum vocantur. Externe, cataplasmatibus emollientibus & maturantibus adduntur.*

Amaræ dulcis, Dulc-amaræ, Solani ſcandentis, Solani caule perenni flexuoſo, foliis ſuperioribus haſtatis, Linn. *Racine de douce-amere, ou de Morelle rampante*, Hinſchkraut-Wurzel, Je länger, je lieber. *Tuſſientibus, aſthmaticis, ictericis, & ab alto lapſis, in decocto commendantur. Viribus Pareiram pravam ſuperare noviſſimis experimentis contendunt.*

Anchuſæ, Anchuſæ floribus puniceis, Bugloſſi arvenſis annui, Anchuſæ tinctoriæ, Linn. *Racine d'Alkanna, de Bugloſe, ou d'Orchanette*, rothe Ochſenzungen-Wurzel. Ex Galliæ provinciis affertur, unde etiam Monspeliaca vocatur. Eligendæ ſunt radices parvæ fibroſæ, quæ colorem purpureum, in tota ſubſtantia magis diffuſum, habent; majores intus albicant. *Requiruntur ad Unguentum rubrum potabile, & alia colore rubro tingenda. Spiritum ſalis armoniaci colore inficiunt amethyſtino.*

Angelicæ ſativæ, Angelica foliorum impari lobato, Linn. *Racine d'Angelique, ou du ſaint Eſprit*, Angelick-Wurzel, Heilig Geiſt-Wurz, Engel-Wurz, Bruſt-Wurz. Colitur in hortis. Eligantur recentes, non carioſæ, & in loco ſicco aſſerventur. *Vis alexipharmaca, ſtomachica, carminativa & uterina omnibus nota.*

Angelicæ ſilveſtris, Angelica foliolis æqualibus, ovato lanceolatis ſerratis, Linn. *Racine d'Angelique ſuavage*, wilde Angelick. Raro in uſum veniunt; *virtutes antecedentibus haud inferiores prædicantur.*

Anthoræ, ſive Antithoræ flore luteo, Aconiti ſalutiferi, Anthoræ foliorum laciniis linearibus, ubique ejusdem latitudinis, Linn. *Racine d'Anthore*, Giftheil-Wurzel, Herz-Wurz. E bulbis, olivæ magnitudinis, conſtant, foris fuſci, intus albi coloris; guſtu ſunt amaræ, & ſapore acres. Eligendæ recentes, vermibus non exeſæ, vel carioſæ. Proveniunt in Alpibus, & aliis Tirolis & Helvetiæ montibus. *Non tantum adverſus Napelli, ſed & cætera quæcunque venena laudantur. Ob vim alexipharmacam, nonnulli* Contrayervam germanicam *appellant, & in morbis malignis exanthematicis, ad vermes & dolores colicos commendant.*

Sed

*Sed cum ſit aconitum, pro remedio ſuſpecto haberi & circumſpecte in uſum vocari debet.*

Rad. Apii paluſtris, Paludapii, Hydroſelini, *Racine d'Ache, d'Api*, gemeiner Eppich, Waſſer-Eppich. *Inter quinque radices aperientes majores referuntur.* Alia etiam *Apii paluſtris* ſpecies, quæ *Sium alterum* a Dodoneo & *Cicuta aquatica* a Gesnero vocatur, reperitur, quæ vero venenata eſt, & non niſi foliis anguſtioribus ab officinali differt; ſecurius igitur radices Apii hortenſis, *Racine de Celeri*, Garten-Eppich, Seleri, quæ fere eandem vim habent, ſubſtituuntur.

Aquilegiæ, Aquilegia nectariis incurvis, Linn. *Racine d'Ancolie*, Agelei-Wurzel. Coluntur in hortis. Verno tempore effodiuntur. *Vim habent diureticam, alexipharmacam & aperitivam.*

Ari, Barbæ Aronis, Serpentariæ minoris, Dracontiæ minoris, Laphæ, *Racine de pied de veau*, Aron, Aron-Wurzel, Pfaffen-Pint, Teutſcher Ingber, Zehrwurz. Promiſcue diverſæ ſpecies Ari in uſum vocantur, quia eandem habent virtutem. Sunt vero *Arum vulgare non maculatum, maculatum maculis albis, maculatum nigrum.* Colligenda radix verno tempore. Recens valde acris eſt; majori doſi noxia, imo lethalis; exſiccata mitior, vix periculoſa. Recens coctione in aqua multum, in aceto in integrum miteſcit, ut etiam edulis ſit. *Vires Ari ſunt aperientes, incidentes, reſolventes, attenuantes, abſtergentes, diureticæ, & alvum laxantes. Ad membra paralytica & arthritide vexata externe in uſum vocatur.*

Ariſtolochiæ Clematitidis rectæ, C. B. Saracenicæ, Ariſtolochiæ foliis cordatis, caule erecto, floribus axillaribus confertis, Linn. *Racine d'Ariſtoloche clématite des vignes, de Rattelou, d'Oſtroloche, de Sarraſine ou Sarazene*, kleine Oſterlucey-Wurzel. Tenuis eſt radix, & multis fibris dotata, ſaporis amari, acris, ſubadſtringentis, odoris haud ingrati. Ex Hiſpania & Italia advehitur; naſcitur etiam in vineis Alſatiæ, & nonnunquam in noſtris. *Præfertur a nonnullis, reliquis Ariſtolochiæ ſpeciebus, & eſſentia inde parata; remedium creditur eſſe antipodagricum. Diuturnum vero ejus uſum tunicam villoſam ventriculi deſtruere, atque nocere, languore appetitus, & totius corporis illato, b. Bærhave, monente Ill. Hallero, obſervavit.*

Ariſtolochiæ fabaceæ, Fumariæ radice bulboſa, rotunda, non cava, C. B. Pſeudofumariæ, *Racine d'Ariſtoloche petite ronde*, kleine runde Hohlwurzel, Oſterlucey-wurz. *Remiſſior & debilior eſt cava, majorem tamen vim habet exſiccantem & abſorbentem; a Chirurgis pulveriſata denudatis oſſibus inſpergitur; interne vinis medicatis additur; cachecticis, hydropicis & ictericis convenit.*

Ariſtolochiæ longæ veræ C. B. *Racine d'Ariſtoloche longue veritable*, lange Oſterlucey-wurzel, lange Hohlwurzel. Specie, ſecundum Linnæum, a ſequenti differt. Eligantur radices craſſiores, non carioſæ, ſed ponderoſæ. Ex Hiſpania, ubi in vinetis & dumetis provenit,

nit, advehitur. *Odore, virtute & ſapore amaro, cum reliquis Ariſtolochiæ radicibus conveniunt.*

Rad. Ariſtolochiæ rotundæ veræ, Ariſtolochiæ fœminæ Lugd. Ariſtolochiæ caule infirmo ramoſo, foliis cordatis integerrimis, floribus ſolitariis erectis, Linn. *Racine d'Ariſtoloche ronde veritable*, rechte runde Oſterluceywurzel. Laudantur radices ponderoſæ non carioſæ; advehuntur ex Gallia & Hiſpania. *Virtutibus conveniunt cum Ariſtolochia longa & rotunda vera, ac ob vires alexipharmacas, Theriacæ ingredientia ſunt; laudantur etiam uterinæ & vulnerariæ.*

Ariſtolochiæ rotundæ vulgaris, Fumariæ bulboſæ, radice cava majore, Fumariæ caule ſimplici diphyllo, floribus ſubnudis, Linn. *Racine d'Ariſtoloche ronde commune*, Hohlwurzel, gemeine runde Hohlwurz, Herzwurz. Indigena eſt planta, & largus ejus proventus. *Viribus, cum præcedentibus Ariſtolochiæ ſpeciebus, conveniunt, atque in ciendis menſibus, lochiis, & fœtum mortuum pellentibus, commendantur.*

Arnicæ, Ptarmicæ montanæ, Calthæ vel Calendulæ alpinæ, Nardi Celticæ alterius, Doronici Plantaginis folio, Doronici foliis caulinis oppoſitis, Linn. *Racine de Betoine de montagne*, Arnick, Mutterwurz, Wolverley, Lucians-Kraut, Engels-Tranck-Wurzel, Fallkraut-Wurzel. In pratis & locis humidioribus alpinis & montanis provenit; in Ducatu Wirtenbergico, non procul ab urbe Calwa, & aliis locis naſcitur. *Ob virtutem reſolventem ſanguinem grumoſum merito panacea lapſorum vocatur. Non ſolum radix, ſed plerumque tota planta in decocto exhiberi ſolet; quod decoctum in largiori doſi propinatum nonnunquam anxietates & vomitus creaſſe obſervatum eſt; hinc delicatioribus cum circumſpectione præſcribendum. Radix raro ſola in uſum venit.*

Artemiſiæ, Parthenii, *Racine d'Armoiſe*, Beyfuß, St. Johannis-Gürtel-Wurz. *Radix in uſum medicum raro vocatur; carbonibus vero Artemiſiæ, qui nihil aliud, quam radices annoſæ, demortuæ, a multis etiam celeberrimis practicis adſcribuntur vires antepilepticæ. Colligendos eſſe hos carbones circa feſtum Johannis Baptiſtæ, perhibent.*

Aſari, Nardi ruſticæ ſive ſilveſtris, Vulgaginis, Aſari foliis petiolatis ſubcordatis, floribus trifidis, Linn. *Racine de cabaret, d'Aſarum, ou Oreille d'homme*, Haſelwurz, wilder Nardus. Eſt planta indigena, ac in ſilvis & dumetis, plerumque ſub corylis invenitur, unde etiam nomen germanicum accepit; nam corylus Haſelſtaude audit. *Vomitus excitare ſolent in ſubſtantia exhibitæ, in infuſo, præprimis aquoſo, rarius. Menſes cient, vehementer purgant, & urinam movent; ſuſpectis igitur non temere dari debent. A nonnullis ad quartanam commendantur, ante paroxismum exhibendæ. Fortiori decoctione, vim emeticam & purgantem deponunt, atque diureticam & uterinam acquirunt. Hydropicis & phlegmaticis præ aliis conducunt; Melancholicis vero peſſima ſymptomata excitaſſe, Hermannus tradit.*

Rad.

Rad. Aſparagii ſativi, hortenſis, Aſparagi altilis, Aſparagi caule herbaceo erecto, foliis ſetaceis, Linn. *Racine d'Aſperge*, Spargel-Wurzel. Coluntur in hortis, & radicibus quinque aperientibus majoribus, adſcribuntur. Eligendæ carnoſæ, primo vere collectæ.

Asphodeli, Haſtulæ regis, Asphodeli caule nudo, foliis enſiformibus carinatis lævibus, Linn. *Racine d'Asphodele*, Goldwurzel, Affodillwurz. Quæ in officinis occurrunt radices Asphodeli, non ſunt veri Asphodeli, ſed *Lilii floribus reflexis*, aliis *Martagon* dicti, radices ſeu bulbi. Naſcuntur in montoſis ſilvis, & indigenæ ſunt. *Menſtrua & urinam pellunt, interne ſumtæ; externe emolliunt & maturant.*

Barbæ caprinæ, Barbulæ caprinæ, Ulmariæ, Reginæ pratorum, Filipendulæ foliolo impare majore trifido, Linn. *Racine de barbe de chevre, de la Reine des prés*, Geißbartwurzel. *Adſtringunt & ad emplaſtrum contra rupturas requiruntur. Habentur a nonnullis alexipharmacæ, vulnerariæ, & decoctum in dyſenteria & ad injectiones in ulceribus fiſtuloſis commendantur.*

Bardanæ, Lappæ majoris, Perſonatiæ, Arctii, Linn. *Racine de Bardane, ou de Glouteron*, groſſe Klettenwurzel, Buzen-Klettenwurzel. Eligantur radices juniores, non lignoſæ. Ubique occurrunt. *Habentur alexipharmacæ & ſudoriferæ, atque in arthritide, lue venerea & mercurii in corpore deliteſcentis ægritudinibus commendari ſolent. S. Pauli decoctum radicis Bardanæ, lignorum decocto præfert, præſertim in emaciatis, & raræ texturæ ægris.*

Been albi, ſive Behen, Centaureæ calycibus ſquamatis, foliis radicalibus lyratis, pinnulis oppoſitis, caulinis amplexicaulibus, Linn. *Racine de Been blanc*, weiſſer Behen, Wiederſtoß, Gliedweich-Wurzel. Secundum *Rajum*, radices ſunt *Faceæ Orientalis Carthami* facie, flore luteo magno. Optimæ cenſentur radices majores, non carioſæ, amarore haud ingrato. *Adſcribitur vis cordialis & alexipharmaca. Raro præſcribuntur.*

Been rubri, Statices caule nudo ramoſo, *Racine de Been rouge*, rothe Behenwurzel. Sunt *Limonii maritimi majoris* C. B. Optimæ cenſentur, quæ ſunt colore ſaturato rubro, recentes, ſapore adſtringente, & ſubaromatico præditæ. *Exoticæ ſunt, & easdem cum præcedentibus vires habent.*

Betæ rubræ, Rapi rubri, *Bêterave*, rothe Rüben. Coluntur in hortis, & ſiccatæ raro in uſum vocantur; recentium etiam uſus magis culinaris, quam medicus eſt. *Succus vero præbet errhinum egregium; mucum prolicit absque ſternutatione: hinc illis, qui obſtructione narium vel coryza ſicca laborant, imo ubi metus eſt ozænæ, bonam opem præſtat. Radix ano, ſuppoſitorii loco immiſſa, alvum ſtimulat.*

Bismalvæ, vide Rad. Altheæ.

Rad. Biſtortæ, Serpentariæ vulgaris rubræ, Colubrinæ, Polygoni caule ſimpliciſſimo monoſtachyo, foliis ovatis in petiolum decurrentibus, Linn. *Racine de Biſtorte*, Schlangen- oder Natterwurz, Wurmwurzel. Naſcuntur in locis humentibus. Indigenæ ſunt. *Manifeſte adſtringunt; vulnerariis & alexipharmacis adnumerantur.*

Borraginis, Bugloſſi latifolii, veri, urbani, *Racine de Bourrage ou Bourrache*, Borragen, Borretſchwurzel. Colitur in hortis. *Adſcribuntur vires antimelancholicæ; rarus tamen earum eſt uſus.*

Bruſci, Ruſci myrtifolii aculeati, Myrtacanthæ, Ruſci foliis ſupine floriferis nudis mucronatis, Linn. *Racine de petit Houx, de Ruſc, ou de frêlon*, Bruſchwurz, Mausdornwurzel. Sunt albicantes, ſaporis ab initio ſubdulcis, poſtea amari. Copioſe in Italia proveniunt. Radices Phalangii ramoſi flore parvo nonnunquam in officinis pro his venduntur. *Diureticæ ſunt, & radicibus quinque aperientibus majoribus adnumerantur.*

Bryoniæ, Vitis albæ, Vitis ſilveſtris, Uvæ anginæ, Bryoniæ foliis palmatis utrinque calloſo ſcabris, Linn. *Racine de Bryone, de Coulevrée, ou de Vigne blanche*, Zaunrüben, Zaunrebenwurzel, Stickwurz, Hundskürbſenwurzel, a nonnullis etiam weiſſer Enzian vocantur. Radix prægrandis, rapæ inſtar, omnibus nota. Saporis eſt acris, amari & nauſeabundi. *Interne ſumta, valide purgat, & ſerum educit; Anthelminticis nec non emmenagogis, adſcribitur. Doſis in infuſo ſcrupuli quatuor vel drachmæ duæ, in ſubſtantia ſcrupulus unus ad drachmam ſemis. Externe diſcutit & reſolvit.*

Bugloſſi, Linguæ bovis, Bugloſſi anguſtifolii, *Racine de Bugloſe*, Ochſenzungenwurz. *Cum radicibus Borraginis conveniunt, & raro in uſum vocantur.*

Calami aromatici, Calmus. Vide Rad. Acori veri.

Capparis, vel Capparidis ſpinoſæ fructu rotundo minori, Capparis aculeatæ, Linn. *Racine de Caprier*, Cappernwurzel. Naſcuntur copioſe in Apulia. Eligendæ albæ, non carioſæ. *Cortices ſaltim hujus radicis in uſum veniunt, & inter radices quinque aperientes minores numerantur. Spleneticis, hypochondriacis & arthriticis commendantur; uſus eſt in infuſis.*

Cardopatii, Cardopatiæ, Carlinæ humilis, Chamæleonis albi, Karlinæ, Carlinæ caule unifloro, Linn. *Racine de Carline, de Chardouſſe, ou de Chardonnerette*, Eberwurz. Amant montoſa & aprica; copioſe in Ducatu Wirtenbergico reperiuntur. Saporis & odoris aromatici grati; *virtutis alexipharmacæ, carminativæ & ſtomachicæ ſunt.*

Cardui benedicti, Cardui ſancti, *Racine de Chardon benit*, Chardobenedicten-Wurzel, Spinnendiſtel-Wurz. Hortenſis eſt planta. *Uſus radicis rarus in officinis; frequentior herbæ.*

Rad.

Rad. Caroli ſancti, *Racine de St. Charles*, St. Carls-Wurzel, ob inſignes facultatis ita dicta. *Garcias ab Horto* ſequentibus verbis plantam deſcribit: noſtro lupulo ſimilis eſt, & perticis ſe convolvit illius more, quibus ſi careat, humi ſpargitur & diffunditur. Folia etiam lupulo ſimilia colore viridi ſed obſcuriore, odore gravi. Neque florem, neque fructum fert. Radix craſſo capite eſt, ex quo aliæ oriuntur digiti majoris craſſitudine, colore candicantes. Cortex radicum, qui pro optima & medicinali parte plantæ habetur, facile abſcedit, & odoris eſt aromatici, guſtus amari, cum quadam acrimonia. Naſcitur temperatiſſimis provinciæ Mechoacan locis, ſolo neque nimium ſicco, neque humido. *Cortex hujus radicis matutino tempore commanducatus, multam pituitam, aliosque humores ex capite elicit, eamque ob cauſam rheumatismos, capitis dolores & defluxiones curat. Gingivis abscendentibus auxilio eſt, dentes ſtabilit, eosque a corruptione defendit ac liberat. In nonnullis etiam vomitu multam bilem & pituitam e ſtomacho expellit. Menſes movet, & ad Epilepſiam commendatur.*

*Exhibetur tam in pulveris forma, quam in decocto. Doſis in ſubſtantia non definitur; parvam tamen eſſe debere, Auctor monet. Drachmas duas in tribus aquæ ſextariis, ad dimidias coqui ſuadet, additis ſub fine coctionis citri & cinnamomi corticibus. Decocti hujus ſex uncias ſingulis diebus mane, addito ſaccharo ſumere jubet.*

*Non ſemper tamen emeticum habere effectum, ſed & per ſudorem operari hoc decoctum, Monardes auctor eſt.*

Caryophyllatæ vulgaris, Sanamundæ, Lagophthalmi, *Racine de Benoite, de Réciſe, de Galliot*, Benedictwurzel, Weinwurzel, Nägelein-Benedictwurz. Proveniunt in incultis, ad dumeta & juxta ſepes. *Odorem ſpirant, & ſaporem aromaticum, caryophyllaceum; colorem intus habent carmeſinum, & virtutem roborantem, cereviſiam ab acore præſervant. Aphrodiſiacæ, vulnerariæ, pectorales & uterinæ habentur.*

Caſſummuniar, Riſagon, M. Lond. R. Bringalle Indorum, Zedoaria, radice lutea Breyn. Prodr. an Zerum beth, ſeu Zingiber rubrum ſylveſtre Ternatenſe, Camell. Syllab. Stirp. Inſul. Luzon. *Racine de Caſſummuniar*, Caſſummuniar, Caſſamoniar, falſcher runder Zittwer, Blockzittwer. Radix eſt tuberoſa, ad digitum & amplius craſſa. In taleolas transverſim ſecta ad nos venit. Superficie laterali, circulis quaſi geniculatis, uti Galanga, notatur. Foris eſt cinerea, intus flaveſcens, ſapore ſubacri, amaricante, aromatico, odore fragrante. Ex India adfertur Orientali. Plantæ characterem Botanici hucusdum ignorant. *Vires prædicantur nervinæ & confortantes; hinc in affectibus hyſtericis, colica, vertigine, apoplexia & motibus convulſivis commendatur. Doſis in ſubſtantia ſcrupulus ſemis ad drachmam ſemis.*

Cavæ, vide Rad. Ariſtolochiæ rotundæ cavæ.

Chelidonii vulgaris majoris, Chelidoniæ majoris, Chelidonii pedunculis multifloris, Linn. *Racine de grande Chelidoine*, groß Schellkraut-Wurzel. Scatet tota planta ſucco acri luteo. *Ictericis & hydropicis commendantur.*

Rad. Chelidonii, ſive Chelidoniæ minoris, Ficariæ minoris, Chelidonii rotundifolii, Ranunculi foliis cordatis angulatis petiolatis, Linn. *Racine de petite Chelidoine*, Feigwarzenwurzel, klein Schellkrautwurzel, Scharbocksfrautwurzel. Colligendæ primo vere. *Spleneticæ & antiſcorbuticæ habentur; recentes contuſæ, cum pulpa pomorum & croco mixtæ, ad tumores & dolores hæmorrhoidum laudantur.*

Chinæ, Chinnæ, Cinæ, Smilacis caule angulato aculeato foliis dilatato-cordatis inermibus, Linn. *Racine de Quinquina, d'Esquine, ou de Squine*, Chinawurzel, Pockenwurzel. Planta a pleriſque pro *Smilacis* ſpecie habetur. *Kæmpferus* ſub nomine *Smilacis minus ſpinoſæ, bacca ſive fructu rubicundo*, Japonenſibus *Sankira*, officinis China dictæ, deſcribit, atque in incultis locis, inter ſilices & vepres, luxuriari perhibet. Et hæc eſt *China orientalis vera.* Ex America aliam aſportant, cujus planta ſub eodem genere militat. Olcacatzan pahuatanica. *Hernand.* Jupicanga Braſilienſibus. *Piſon Hiſt. Bras.* Smilax aſpera, fructu nigro, radice nodoſa, magna, farinacea, *Sloane Catal. Pl. Jam.* Orientalis in Malabaria, Cuncan, China aliisque regionibus; Occidentalis in Hiſpania nova, Peru & Braſilia naſcitur. Eligantur recentes, non carioſæ, ponderoſæ, foris fuſci, intus ex albo rubeſcentis coloris. *Commendari ſolent Chinæ radices in morbis ſeroſis, lue venerea, podagra & cæteris. Uſus eſt in decoctis. Hodie non tanti æſtimantur harum radicum virtutes.*

Cichorei hortenſis, ſativi, Seris ſativæ, *Racine de Chicorée*, Wegwarten, Garten-Wegwarten, Hindläuften-Wurzel. Coluntur in hortis, atque primo vere, vel adulto auctumno effodiuntur. Eligendæ ſunt carnoſæ, non lignoſæ. *Ad hepatis & bilis vitia commendari ſolent, atque etiam in uſum culinarium cedunt.*

Cichorei, Cichoreæ agreſtis ſeu ſilveſtris, Cichorii caule ſimplici, foliis dentato ſinuatis, Linn. *Racine de Chicorée ſauvage*, wilde Wegwarten, Wegweiß, Hindläuf-Wurzel. Creſcuntur juxta vias in campeſtribus. *Decoctis colorem reddunt, vario gradu coctionis, vel flavum, vel ſmaragdinum, & ſaporem amarum. Vires habent hortenſis.*

Cipo de Cameras. Hujus radicis Acta phyſ. Med. N. C. Vol. I. mentionem faciunt, & cum Hypecacuanha easdem vires adſcribunt, mitiores tamen, & quod ſine moleſtia operetur: addunt, quod coloris ſanguinei, majoris etiam pretii. Forſan hæc radix eſt Hypecacuanha flava & ſpecies Caa-apiæ.

Colchici communis, autumnalis, Colchici foliis planis lanceolatis erectis, Linn. *Mort aux Chiens, Tue-Chien, Chiennée, Colchique*, Zeitloſen, Spinnblumen-Wurzel. In pratis copioſe provenit; floret verſus autumnum. Ab antiquiſſimis temporibus hæc radix pro venenatiſſima habita; ſeculo elapſo a Cl. *Wedelio* ut amuletum contra peſtem & alios morbos contagioſos corpori humano adplicata; noviſſima ad debellandos pertinaciſſimos diverſi generis morbos interne propinata eſt. *Stærkius & alii Mel colchicum aſthmaticis & hydropicis ſummopere commendant.*

Rad.

Rad. Colubrinæ. Vide Rad. Biſtortæ.

Conſolidæ majoris, Symphyti majoris, Symphyti foliis ovato lanceolatis decurrentibus, Linn. *Racine de grande Conſoude, d'Oreille d'Ane*, Wallwurzel, Schwarzwurzel, Schmeerwurzel, Beinwelle. Sponte proveniunt in locis humidis, coluntur etiam in hortis. *Sunt admodum mucilaginoſæ & adſtrictivæ. Adduntur decoctis vulnerariis, & emplaſtris catagmaticis. Ad contuſiones & ſuffuſiones cataplasma ex radicibus multum laudatur.*

Contrayervæ, Drackenæ, Cyperi odoris, Peruviani, Dorſteniæ ſcapis radicatis, Linn. *Racine de Contrayerve*, Peruvianiſche Giftwurzel. Sunt nodoſæ & fibroſæ, coloris foris rufi, intus pallidi. Locus natalis eſt Peru, Mexico, nova Hiſpania, Vera Crux, Tabago & Inſula St. Vincentii. Optimæ cenſentur radices recentes, ponderoſæ, ſapore ſubadſtringente aromatico præditæ. Tam aqua pluviali, quam ſpiritu vini extracta, tincturam exhibet rubram. *Contrayerva*, vocabulum Hiſpanicum, ſignificat *contra venena. Sunt alexipharmacæ, roborantes, ſudorem movent, & ſpecifice ad dyſenteriam malignam commendantur.*

Contrayervæ novæ, albæ, majoris, Mexicanæ; Pſoraleæ, foliis quaternis & quinis. Pſoralea foliis digitato quinatis: foliolis inæqualibus, Linn. *Racine de Contrayerve blanche de Mexique*, weiſſe, groſſe, Mexicaniſche Giftwurzel. Radix eſt digitorum vel pollicum duorum craſſitiei. Cortex eſt inæqualis, nodoſus fuſci coloris. Subſtantia radicis alba cum medulla lignoſa guſtu deprehenditur aromatica ſubdulcis. Naſcitur in Americæ meridionalis Provincia Gujana & easdem habere perhibetur virtutes, quas *Contrayerva officinalis.*

Coſti amari, officinalis, Comagenii, iridem redolentis, *Racine de Coſtus amèr*, bittere Coſtuswurz. *Coſtus Indicus, violæ martiæ odore.* Mus. Zeil. *Tſiana-Kua*, Hort. Malab. Part. II. tab. 8. *Chianſou*, Sinenſium. Radices ſunt ſolidæ, craſſæ, oblongæ, interdum per medium diſſectæ, foris cinerei vel pallidi, intus albicantis coloris, ſaporis aromatici, amaricantis, odoris ad Iridem Florentinam accedentis. Coſtus, olim ex Arabia & Syria advectus, Arabicus & Syriacus dicebatur; creſcit vero etiam in nemoribus Malabariæ, Braſiliæ & Surinamæ. Planta eſt graminifolia, quæ florem in caulis folioſi vertice profert. Terminatur vero hic caulis capitulo piriformi imbricato; ſquamis ovatis, obtuſis, concavis, e quibus exeunt flores candidi ſinguli. Perianthium parvum, tridentatum germini inſidet. Petala ſunt tria lanceolata, concava, erecta, æqualia. Nectarium monophyllum, magnum, oblongum, tubuloſo-inflatum, ore ringens, bifidum in duo labia, e medio reflexum. Antheræ duæ parallelæ. Capſula ſeminalis ſubrotunda, trilocularis; ſemina plana triangularia.

Coſti dulcis, *Racine de Coſtus doux*, ſüſſe Coſtuswurzel. Ejusdem plantæ radicem eſſe, cujus deſcriptionem ex *Horto Cliffortiano Linnæi* modo dedimus, plurimi perhibent, & non niſi loco natali, & vetuſtate radicis, differre; per vetuſtatem enim, non ſolum obſcuriorem colorem, ſed amaritudinem quandam contrahere, & tunc ſub *Coſti amari*

nomine venire; recentes vero radices albicantes, *Coſtum dulcem* exhibere ſolent. *Tam Coſti amari, quam dulcis vires ſunt ſtomachicæ, uterinæ, carminativæ & alexipharmacæ. Ad Theriacæ compoſitionem requiruntur; violaceo odore urinam inficiunt.*

Rad. Cucumeris ſilveſtris, Cucumeris aſinini, Elaterii, Momordicæ absque cirrhis, Linn. *Racine de Concombre ſauvage*, Eſelskürbiswurzel, Springkürbiswurz. Sunt radices rapi inſtar magnæ; coluntur in hortis; planta eſt annua. Ex fructu paratur Elaterium. *Vehementer alvum movent, & raro interne, niſi hydropicis, præſcribi ſolent; recentes ad Unguentum de Arthanita expetuntur.*

Curcumæ, Curcuma foliis lanceolatis utrinque acuminatis, nervis lateralibus numeroſiſſimis, Linn. *Racine de Curcuma, Safran d'Indes*, Gilbwurz, Gelbſuchtwurz, gelber Jngwer. *Mangella-Kua.* H. M. Arabibus *Curcum*, aliis *Terra merita.* Radix Zingiberis facie, intus flava; celeberrimo Bœrhavio ſunt *Cannacori radice crocea.* Ex India Orientali advehuntur. Eligantur recentes, ponderoſæ, non carioſæ, ſaporis aromatici. *Incidunt & reſolvunt, atque hydropicis & ictericis commendantur. Præter medicos uſus etiam tinctoribus inſerviunt. Indi, loco croci, ad cibos colore flavo inficiendos, Curcuma utuntur.*

Cyclaminis, Arthanitæ, Panis porcini, Cyclaminis orbiculato folio interne purpuraſcente, Cyclamen foliis cordatis corolla reflexa, Linn. *Racine de pain de pourceau*, Schweinsbrod, Erdäpfel, Waldrüben, Erdſcheibwurz. Radix colligenda autumno. Saporem primo linguæ mucilaginoſum, dein acrem fervidum, imprimit. *Potenter reſolvit, & ob vim menſes & fœtum pellentem, cum circumſpectione dari debet; recens ad Unguentum de Arthanita adhibetur.*

Cynogloſſæ majoris vulgaris, Cynogloſſi ſive Linguæ caninæ, Cynogloſſum foliis lanceolato ovatis tomentoſis, corollis calycem æquantibus, Linn. *Racine de langue de chien*, Hundszungenwurzel. Sponte proveniunt in locis aridis, & circa ſæpes. *Refrigerant & adſtringunt, vulnerariis adſcribuntur, & ad Pilulas de Cynogloſſo in officinis expetuntur. Sunt anodynæ, humorum acrimoniam mitigantes, & ad alvi fluxus, hæmoptyſin &c. commendabiles. Pediculos pellere perhibentur.*

Cyperi longi odorati, Cyperi odorati, Panicula ſparſa ſpecioſa, Cyperus culmo triquetro folioſo, panicula folioſa ſupradecompoſita, pedunculis nudis, ſpiculis alternis, Linn. *Racine de Souchet long*, lange Cyperwurz. *Vires ſunt ſequentis.*

Cyperi rotundi, Orientalis majoris, C. B. Cyperi Syriaci & Cretici, Cyperus culmo triquetro ſubnudo, umbella decompoſita, ſpiculis alternis linearibus, Linn. *Racine de Souchet rond*, runde Cyperwurz. Longus Cyperus in Gallia, præſertim in Provincia & Italia reperitur; rotundus vero ex Ægypto, & Orientalibus regionibus advehitur. Ab Ægyptiis *Hodweg* vocatur, & in lacubus, aliisque locis palu-

paluſtribus provenit. *Alpin.* Eligendæ ſunt radices odoratæ, graves, non carioſæ. *Utplurimum ad odoramenta Cyperi eſt uſus; interne vero adhibitus, vim habet ſtomachicam, diſcutientem, & urinam moventem. Doſis in pulvere drachma ſemis.*

Rad. Dentariæ majoris, Squamatæ, Squamariæ, Anblati, Plumbaginis foliis amplexicaulibus, Linn. *Racine de Dentaire grande*, Schuppenwurzel, Streubelwurz, Creuzwurz. Locos amant umbroſos, & primo vere colliguntur. *Raro in uſum vocantur. Aqua, inde deſtillata, antepileptica habetur.*

Dentariæ minoris, Dentariæ pentaphyllæ, Violæ dentariæ, Saniculæ albæ, Symphyti dentarii, *Racine de Dentaire petite*, Zahnwurzel, weiſſe Steinbrechwurzel. Ex Helvetia adferuntur. *Adſtringunt & ſiccant; Herniosis & vulneratis commendantur.*

Dentis Leonis, vide Rad. Taraxaci.

Dictamni albi, Diptamni officinalis, Fraxinellæ, Fraxini pumilæ, *Racine de Fraxinelle*, weiſſer Diptam, gemeiner Diptam, Aſchwurzel. Naſcuntur in montoſis Galliæ, Italiæ & Germaniæ locis. Eligantur radices albicantes, ab interiore parte lignoſa liberæ, non carioſæ. *Alexipharmacæ potiſſimum & anthelminticæ habentur; ad Epilepſiam, menſes & lochia pellenda commendantur.*

Doronici, Doronici latifolii, ſcorpii radice, Romani, Doronici foliis cordatis obtuſis, radicalibus petiolatis, caulinis amplexicaulibus, Linn. *Racine de Doronic*, Gemſenwurzel, Schwindelwurz. Proveniunt in montibus Helvetiæ, Tirolis, Stiriæ & Auſtriæ. Eligantur, quæ ſunt albicantes, ſaporis ſubdulcis, aromatici, acris, non carioſæ. *Specificum contra vertiginem habentur, & ad nonnullas compoſitiones pharmaceuticas expetuntur.*

Ebuli, Sambuci humilis, Sambuci agreſtis, Chamaeactes, Sambuci caule herbaceo ſimpliciſſimo, Linn. *Racine d'Ieble, d'Hieble*, Attich, Acker-Holunderwurz. Cortices radicis in uſum vocantur, abjecta lignoſa parte. *Vehementer purgant, & inter hydragoga numerantur.*

Ellebori albi, Veratri flore ſubviridi, Veratri caule ramoſo, Linn. *Racine d'Ellebore blanc*, weiſſe Nießwurzel, Schampanierwurzel. Naſcuntur in montoſis & aſperis locis Helvetiæ, Sileſiæ, Auſtriæ & aliis Germaniæ provinciis. *Tournefortius* diſtinctionem facit inter *Elleborum* & *Veratrum:* album potius Veratrum appellari debere cenſet, quod & *Rajus* monet. Differt enim ab *Helleboro*, quod corniculis careat, & ſemen habeat marginatum; ideo etiam, diverſis nominibus hæc duo genera diſtinguenda eſſe, perhibent. *Vehementer per ſuperiora & inferiora purgant, etiam in parva doſi exhibitæ, & nonnunquam convulſiones excitaſſe, exempla proſtant; proinde in ſubſtantia, non niſi robuſtiſſimis, maniacis vel melancholicis, dari debent: ſufficit grana ſex vel octo pro una doſi præſcribere; ſecurius vino maceratæ, & vehementia orbatæ, ubi ad ſcrupulum*

*unum aſcendere licet, dantur. Uſus frequentiſſimus vero Ellebori eſt in pulveribus ſternutatoriis, ſed & hic caute inſtituendus. Suibus etiam egregia eſt medicina. Succus Ellebori albi, vulneribus inditus, lethalis. Tela ſive ſagittæ, ſucco intincta, vulnera faciunt inſanabilia, modo non lethalia.*

Rad. Ellebori nigri, Hellebori nigri anguſtioribus foliis, flore roſeo, Melampodii, Veratri, Hellebori ſcapo ſubnudo bifloro, foliis pedatis, Linn. *Racine d'Ellebore noir*, ſchwarze Nießwurzel, Chriſtwurzel. Naſcitur optimus Helleborus niger in Stiria. Eligendus radicibus fibroſis, longis, nigris, carnoſis. Caveant Pharmacopœi, ne Helleboraſtrum, qui Hellebori albi eſt ſpecies, pro nigro vero emant. Folia Hellebori nigri veri, ſunt glabra, ſerrata, & ſeparatim ſpectata, foliis lauri fere ſimilia. Pharmacopœi ſubſtituunt nonnunquam, parvo, ut putant, vel nullo errore, radicem *Ranunculi fœniculaceis foliis, Hellebori nigri radice.* Linnæo vocatur hæc planta: *Adonis flore dodecapetalo, fructu ovato. Raro ſolus, niſi illis, qui absque febre delirant, in ſubſtantia, ſed plerumque in infuſis & vinis medicatis, ad educendos humores melancholicos, præſcribitur. Datur in ſubſtantia robuſtioribus, a grana quindecim ad drachmam dimidiam, in infuſo ad drachmam integram, imo unam ſemis, exhibere licet. Sicut autem, quid veterum Elleborus, non certo conſtat; ita nec ſatis certa videtur laus a veteribus adſcripta. Inprimis caveant Pharmacopœi a radice apud Materialiſtas & Rhizotomos paſſim obvia, quæ fibras habet tenuiſſimas, nigerrimas, guſtantis linguam primum ſapori non adeo ingrato, ſed poſtmodum acri-nauſeo inficiente, & caput per aliquot horas imo integrum diem tentante.*

Enulæ campanæ, Helenii, Elenii, *Racine d'Aunée, d'Aune, d'Enule campane*, Alantwurzel. Vocatur etiam ab aliis *Panax Chironium. Linnæo, Aſter foliis ovatis, rugoſis, ſubtus tomentoſis amplexicaulibus. Aſter omnium maximus Raji.* Coluntur in hortis; effodiantur primo vere. *Incidunt & reſolvunt; alexipharmacæ, ſtomachicæ & pectorales ſunt: Cum aqua, per veſicam deſtillatæ, oleum præbent butyraceum, & ſpermatis ceti inſtar foliaceum.*

Eryngii, Lyringii, Acus veneris, Capituli Martis, Aſteris inguinalis, Cardui volutantis aculeati, Eryngii foliis radicalibus pinnato tripartitis dentatis, Linn. *Racine de Panicaut, ou de Chardon Roland*, Mannstreu, Radendiſtel, Brackendiſtel. Vocantur in uſum Eryngii vulgaris, campeſtris radices. Eligantur carnoſæ. *Radicibus quinque aperientibus minoribus adnumerantur; urinam cient, & venerem languidam ſtimulare creduntur.*

Eſulæ minoris, Tithymali Cypariſſiæ, Cupreſſini officinalis Linariæ admodum ſimilis, Euphorbiæ foliis lanceolatis, umbella univerſali polyphylla: partialibus trifidis triphyllis: propriis dichotomis, Linn. *Racine de Tithymale, d'Eſule*, Wolffsmilchwurzel. Proveniunt copioſe in locis ſterilibus, incultis, aridis, circa vias. Succo ſcatent lacteſcente, acri, cauſtico. Eligantur cortices radicum. *Hydragogis adnumerantur; vehementer purgant, hinc per acida corriguntur*

*tur atque mitigantur. Dosis a scrupulo uno ad duos, raro ad drachmam, in substantia; in infuso vero, ad drachmam unam ascendere licet, hac tamen præcautione, ut acido antea corrigantur, aceto vel succo citri.*

Rad. Farfaræ, Tussilaginis, Bechii, Ungulæ caballinæ, Tussilaginis scapo imbricato unifloro, foliis subcordatis angulatis denticulatis, Linn. *Racine de Pas d'Ane, de Tussilage,* Brand-Lattich, Huff-Lattichwurzel. Crescunt in locis humidis, circa rivos. Primo vere, dum florescere incipiunt, colligi debent. *Pectorales sunt, & phthisicis conveniunt; ex recentibus paratur* Looch de Farfara.

Filicis, *Racine de Fougére femelle,* Farnkrautwurzel. In usum vocari solet illa species, quam *Filicem majorem ramosam,* sive *fœminam radice repente* vocant. Linnæus in sua Materia medica *Filicem non ramosam dentatam* sive *Filicem marem* substituit. Colligi debent autumnali tempore. Ubique proveniunt, præcipue vero apud nos in silva martia largissimus earum est proventus. *Latis tæniis & lumbricis expellendis vel solæ, vel cum Æthiope minerali, & quovis laxante mixtæ, ad scrupulum unum vel drachmam dimidiam exhibitæ, inserviunt; commendantur in decocto etiam lienosis, calculosis & podagricis.*

Filipendulæ, Oenanthes, Saxifragiæ rubræ, Filipendulæ foliis pennatis: foliolis uniformibus, Linn. An Molon Plinii? *Racine de Filipendule, de Saxifrage rouge, de Fougére aquatique,* rothe Steinbrechwurz. Proveniunt in pratis & pascuis montosis. Vocatur etiam planta, *Filix florida, Osmunda,* Wasserfarn. Præter vires aliarum filicis specierum, huic præprimis virtus vulneraria attribuitur, atque ex alto lapsis, læsis & ruptis commendatur; sanguinem enim coagulatum dissolvere creditur. Bœcler. Sic etiam ad fluorem album, & *a Sylvatico* ad epilepsiam laudatur. *Rajus* pro specifico ad rachitidem vel in decocto, vel in forma pulveris exhibitam, habet. *Hist. Plant.*

Fœniculi, Fœniculi vulgaris, Anethi fructu ovato, Linn. *Racine de Fenouil,* Fenchel-Wurzel. Seruntur in hortis, & altero post sationem anno effodiuntur. Pars radicis corticosa in usum vocatur. *Radicibus quinque aperientibus majoribus adscribuntur.*

Fragariæ, Fragulæ, Fragariæ vulgaris, Fragariæ flagellis reptantis, Linn. *Racine de Fraisier,* Erdbeer-Kraut-Wurzel. Sponte in silvis proveniunt. Auctumnali tempore colligendæ sunt. *Vim habent subadstringentem; adduntur decoctis vulnerariis.*

Fraxinellæ vide Rad. Dictamni albi.

Galangæ, ad Aromata referuntur.

Gentianæ cruciatæ, Gentianæ minoris, *Racine de Gentiane Croisette,* Modelgeer, Creuzwurz. Indigenæ sunt. *Incidunt, abstergunt, aperiunt, menses provocant, febribus medentur, lumbricos enecant, atque vulnerariæ sunt.*

Gentianæ majoris, luteæ, Gentianæ veterum, Gentianæ corollis rotatis, verticillatis, Linn. *Racine de Gentiane,* Enzian,

Genzian, Bitterwurzel. Copioſe in Helvetia proveniunt, etiam in Ducatu Wirtenbergico, in ſilva nigra, & alpibus noſtris, largus earum eſt proventus. Eligendæ ſunt ponderoſæ, carnoſæ, non carioſæ. *Alexipharmacæ, roborantes & ſtomachicæ ſunt.*

Rad. Gentianæ Indicæ, *Racine de Gentiane d'Indes*, Indianiſcher Enzian. Sub hoc nomine a Luſitanis radix quædam geniculata, pallide flaveſcens, variis nodulis ac circulis inſtar Hypecacuannhæ calamiſtrata, ante aliquot annos ex America allata fuit. Tantæ & tam penetrantis aromaticæ, neutiquam tamen ingratæ, amaritudinis deprehenditur, ut gentiana noſtra, centaureum minus, colocynthis, aliaque amara cum hac collata, (ſed noſtro palato nunquam eſt oblata,) inſipida ac inertia vocari mereantur.

De charactere botanico nihil nobis conſtat. *Laudatur adverſus omnium malæ moratarum febrium indolem, atque unicum hujus radicis ſcrupulum, ad febrile fermentum ex viſceribus excutiendum, plus efficere, quam plures Corticis Chinæ drachmæ. Quinimo plurimos ex ſola hujus radicis Gentianæ Indicæ maſticatione, & ſaliva deglutita, tanquam incantamento reſtitutos fuiſſe*, Excell. D. Schendo, Ruſſorum Exercituum medicus, *perhibet.*

Graminis, Graminis arvenſis, loliacei, radice repente, Graminis canini, Tritici radice repente, foliis viridibus, Linn. *Racine de Chien-dent*, Graßwurzel, Queckenwurzel, Hundsgraß. *Adnumerantur radicibus quinque aperientibus minoribus; cenſentur etiam diureticæ & anthelminticæ.*

Helenæ S. Cyperus Hernand. *Racine de la Ste. Heléne*, St. Helenen-Wurzel. Nodoſa eſt, craſſitudine pollicari, foris nigra, intus alba, ſaporis aromatici, Galangæ inſtar. Plantam tradunt ramos per tertam diffundere, & folia ampla viridia habere. A Botanicis pro ſpecie Cyperi habetur. Ex radicum nodis perforatis faciunt Sphærulas, recitandis ad numerum precibus idoneas, quibus de collo ſuſpenſis, tam Hiſpani, quam Indi multas tribuunt virtutes. Indi radices recentes lapidibus conterunt, totique corpori ſibi balneaturis inducunt, perſuaſi, cutim conſtringere & membra roborare. *Interne pulvis radicis, ex vino hauſtus, ad ventriculi dolores & urinæ difficultatem commendatur.* Hæc Monardes.

Hellebori albi & nigri. Videantur Rad. Ellebori.

Hermodactyli, Colchici alba radice, C. B. J. B. *Racine d'Hermodattes, d'Hermès*, Hermodattel, oder fremde Zeitloſen-Wurzel. Sunt radices oblongæ rotundæ, latæ, & quaſi compreſſæ, cordis figuram referentes, foris albicantes, intus prorſus albæ, ſaporis dulceſcentis & acris, odoris nullius. Nonnulli Botanicorum putant eſſe Radices Colchici, radice alba ſiccatas, C. Bauh. Ex Syria, Smirna & Aleppo advehuntur. Eligantur albæ & ſolidæ. *Leniter laxant; decoctis adduntur antarthriticis, antivenereis, ac a Wedelio inter leniora & mitiora purgantia recenſentur; ſpecifice laudantur ad guttam ſerenam in collyriis.*

Hirundinariæ, Aſclepiadis, multis floribus albicantibus, Vincetoxici, Aſclepiadis caule erecto ſimplici herbaceo, foliis cordato lan-

lanceolatis, racemis conglomeratis alternis, Linn. *Racine de Dompte venin, ou d'Aſclepias*, Schwalbenwurzel. Amant montoſa. *Vires habentur alexipharmacæ, incidentes, reſolventes & urinam pellentes; Hydropicis præcipue commendantur. Sunt tamen, qui, propter affinitatem & ſimilitudinem, quam planta cum Apocynis habet, non ſine ſuſpicione admittere volunt. Certum eſt, recentes radices vomitum provocare.* Doſis in decocto uncia ſemis, in pulvere ſcrupulus unus vel etiam duo.

Rad. Hydrolapathi, Lapathi aquatici, magni, J. B. longifolii, nigri, paluſtris, ſive Britannicæ antiquorum, Munt. Rumicis floribus hermaphroditis, valvulis integerrimis: omnibus graniferis, foliis lanceolatis, vaginis obſoletis, Linn. *Racine de Patience de Marais, de Hydrolapathum*, Waſſer-Mengel-Wurz, groſſe Mengel-Wurzel. *Laudantur antiſcorbuticæ, reſolventes & leniter adſtringentes; ſuccus vel decoctum ſpecifice ad ſtomacacem, aliaque ulcera putreſcentia commendatur.*

Hyoſcyami, Jusquiami, Fabæ ſuillæ vel porcinæ, Hyoſciami albi majoris, Hyoſciami foliis petiolatis, floribus ſeſſilibus, Linn. *Racine de Jusquiame blanche, d'Hannebane*, Bilſenkraut-Wurzel, Toll- oder Schlafkraut-Wurzel. Diſtinguuntur albus & niger, ratione florum & ſeminis; albus præfertur nigro, qui virulentior creditur. Diſtinguitur ab albo foliis amplexicaulibus. *Raro in uſum veniunt; interdum ad ſomnum conciliandum in pediluviis adhibentur.*

Hypecacuanhæ, Ipecacuanhæ, Hyppoacannæ, dyſentericæ radices, Loniceræ caule procumbente repente foliis obverſe ovatis acutis ſcabris, Linn. *Racine d'Ipecacuanha*, Indianiſche Ruhr-Spey-Wurz. Tres apud autores recenſentur ſpecies, nigra, alba, & flava. Ex his prima, ſcilicet nigra, apud nos in uſum vocatur; alba, a Portugallis blanca vocata, rarior eſt, & flava, quæ tamen optima cenſetur, rariſſima. Ex America, & præſertim ex Braſilia advehitur. Planta in *Horto Cliff.* vocatur *Ouragoga*, a *Pluckenetio*, *Periclimenum parvum Braſilianum, alexipharmacum*, a *Rajo*, *Herba Paris Braſiliana polycoccos.* Eligantur a fibris mundatæ, aſperæ, multis annulis notatæ, tenaces, compactæ, pulpoſæ & reſinoſæ, quæ craſſiori cortice ſunt cinctæ. *Ipecacuanha lene & ſecurum præbet emeticum, quod etiam infantibus dari poteſt, non raro per inferiora quoque purgat. Præſcribitur utplurimum in ſubſtantia, adultis, a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis, infantibus, pro ratione ætatis, a granis duobus vel tribus ad decem, addito ſtimulo ſalino. Celebratur etiam alexipharmaca & antidyſenterica, in quo morbo tamen cum circumſpectione adhibendam eſſe cenſemus. Non magna ejus quantitas inſimul in pulverem teri debet, ſed tempore uſus tantum recenter teratur; aër enim, qui minimas particulas ſubit, vim emeticam aufert.*

Jalappæ, Gialappæ, Chelapæ, Mechoacannæ nigræ, Gelapii, Rhabarbari nigri, Jalappa officinarum fructu rugoſo Tournefortii, & Convolvulus Americanus, Jalappium dictus, *Racine de Jalap*, Jalappen-Wurzel. *B. Bærhave, Mirabilem*

*Peruvianam*, pro Jalappa habet, ea tamen diſtinctione, quod ſub Nr. 5. Jalappam fructu rugoſo officinarum ponit. *Ind. pl. T. 1. Gleditſchius* ſaltim mirabilem longifloram pro vera Jalappa agnoſcit. Radices ſunt craſſæ, oblongæ, raparum inſtar, & orbiculatim inciſæ nobis adferuntur. Patriam agnoſcunt *Americam*, ubi in inſula *Madera* largus & ſponţaneus earum eſt proventus. Eligendæ ſunt nigricantes, reſinoſæ, ponderoſæ, quæ candelæ admotæ mox accenduntur. *Uſus & virtutes radicis hujus ſunt purgantes, omnibus notæ, anodynæ vero & ſommiferæ incertæ. Doſis reſinoſæ in ſubſtantia ſcrupulus unus ad drachmam dimidiam.*

Rad. Ikan. Radices ſunt mole parvæ, oblongæ, teretes tenuem in caudam exporrectæ; intus reſinoſæ, flavæ inſtar curcumæ, quam & aliis dotibus æmulantur, ſapore tamen magis aromatico excellunt. Creſcunt in Chinenſi provincia Suchuan. Virtutes adſcribuntur ſanguinem purificantes, emmenagogæ, ſtomachicæ, carminativæ & ſudoriferæ. Doſis ſcrupuli duo ad drachmam unam ex vino vel cereviſia.

Imperatoriæ vide Rad. Oſtrutii.

Ipecacuanhæ vide Rad. Hypecacuanhæ.

Iridis Florentinæ, Iridis albæ Florentinæ C. B. Iridis corollis barbatis, caule foliis longiore multifloro, Linn. *Racine d'Iris de Florence*, Florentiniſche Veil- oder Violen-Wurzel. Ex Italia, Rhodo inſula, Cypro & Dalmatia advehuntur. Eligantur radices albæ, longiores, craſſæ, odore Violas martias æmulantes. *Tam ad odoramenta, quam in Medicina, multus earum eſt uſus. Reſolvunt, alvum & urinam movent, & præſertim hoc ſcopo infantibus, bono cum effectu, præſcribuntur. Doſis grana tria ad ſcrupulum unum. Pulvis adſpergitur oſſibus denudatis, & ad cariem præſervandam, vel præſentem auferendam, laudatur.*

Iridis noſtratis, Iridis vulgaris Germanicæ, ſive ſilveſtris C. B. *Racine d'Iris bleue, ou de Glayeul*, gemeine Veilwurz, blaue Schwertel- blaue Lilienwurzel. Linnæus hanc radicem pro varietate præcedentis habet. Nonnunquam ſponte proveniunt, coluntur etiam in hortis. Radix colligenda auctumnali tempore. *Commendatur hydropicis & œdematoſis; alvum laxat & ſerum educit. Datur uncia dimidia in ſero lactis decocta.*

Lapathi acuti, folio acuto, C. B. Oxylapathi J. B. Rumicis ſilveſtris, Rumicis floribus hermaphroditis, valvulis crenatis grano incumbente, Linn. *Racine de Patience ſauvage, de Parelle*, Grindwurzel, wilder Ampfer, Mangelwurz, Lendenwurz. Ubique occurrunt. *Adſtringunt & vulnerariæ cenſentur; ad ſcabiem & cutaneos morbos externe commendantur.*

Leviſtici, Lybiſtici, Liguſtici, Laſerpitii Germanici, Liguſtici foliis multiplicibus, foliolis ſuperne inciſis, Linn. *Racine de Leveche ou Liveche*, Liebſtöckel, Badkraut, Saukraut-Wurzel. Coluntur in hortis. Verno tempore effodiendæ ſunt. *Vires habent alexipharmacas, carminativas, uterinas & diureticas.*

Rad.

Rad. Liliorum alborum, Liliorum candidorum, Liliorum foliolis ſparſis, corollis campanulatis intus glabris, Linn. *Racine des Lis blancs*; weiſſe Lilienwurzel. Sunt radices bulboſæ, ex pluribus ſquamis carnoſis conſtantes. Coluntur in hortis; auctumnali tempore colligendæ. *Uſus internus eſt rarus; in clyſteribus & cataplasmatibus emollientibus frequens.*

Liquiritiæ, Glycyrrhizæ, Glycirrhizæ leguminibus glabris, Linn. *Racine de Réglisse*, Süßholz, Süßholzwurzel. Præfertur Liquiritia, quæ in Germania & præcipue circa Bambergam colitur, Hiſpanicæ & Italicæ, quæ raro ſatis recens, & ſitu non corrupta, advehitur. Diu in aqua cocta amareſcit; hinc decoctis in fine addi debet, remoto cortice exteriore. *Acrimoniam humorum demulcet, dolores nephriticos mitigat, atque expectorationem promovet. Datur in pulvere & in decoctis.*

Malvæ, Malvæ vulgaris, flore minore, folio rotundo, Malvæ caule procumbente, foliis cordato orbicularibus obſoleto-quinquelobis, Linn. *Racine de Mauve*, Pappelwurzel. *Cum Radicibus Altheæ conveniunt; raro tamen in uſum vocantur, niſi ad dentes affrictione extergendos.*

Mandragoræ, Mandragoræ fructu rotundo, vel Maris, *Racine de Mandragore*, Alraunwurzel. Naſcuntur in calidis regionibus, Italia & Hiſpania; coluntur apud nos nonnunquam in hortis. *Uſus in Medicina eſt rarus, quia ob vim ſtupefacientem inter infida medicamenta locari merentur. In pediluviis, contra dolorem capitis & ad ſomnum conciliandum, nonnunquam adhibentur.*

Mechoacannæ albæ, Bryoniæ Mechoacannæ albæ C. B. *Racine de Méchoacan*, weiſſe Jalappa, weiſſe Rhabarbara. Pertinet ad convolvulorum claſſem, & *Rajo* pariter ac *Linnæo*, *Convolvulus Americanus*, *Mechoacanna* dictus, audit. Ex America advehitur, & in regione Mexicana, quæ vocatur *Mechoacanna*, a qua nomen habet, provenit. Saporis & odoris fere omnis expers eſt. Eligenda ponderoſa, alba, inſipida, quæ non radicibus *Mandragoræ* vel *Bryoniæ* adulterata vel permixta, nec carioſa ſit. *Ad infantes laxandos commode adhibetur, quia inſipida eſt. Doſis grana quinque, ad drachmam ſemis.*

*Sunt, qui varia funeſta ſymptomata uſum Mechoacannæ ſecuta, obſervaſſe, ſcribunt; quæ vero ſymptomata nunquam a Mechoacanna vera, ſed a Mandragoræ radicibus, quæ faciem externam Mechoacannæ habent, & a falſariis his ſubſtitui ſolent, excitantur.*

Mechoacannæ nigræ. Vide Rad. Jalappæ.

Metaliſtæ, Mataliſtæ, *Racine de Metaliſte*, Mechoacannæ ſpecies eſſe videtur. A mercatoribus Batavis ex India Orientali ad nos advehitur. Cujus plantæ ſit radix, nondum ſatis conſtat. *Leniter alvum ciet, & ſerum educit. Doſis drachma una.*

Mei, Mei Athamantici, Anethi urſini, Fœniculi urſini, Athamantæ, Athamantæ foliolis capillaribus ſeminibus glabris ſtria-

tis, Linn. *Racine de Meum*, Bärwurz, Mutterwurz, Bärenfenchel, Herzwurzel. Sunt radices oblongæ, digiti vel pollicis craſſitie, foris fuſcæ, intus albicantes. Naſcuntur in montoſis Galliæ, Italiæ & Germaniæ, inprimis in ſilva Hercynia proveniunt. Eligantur recentes, non carioſæ. *Vires ſunt alexipharmacæ, carminativæ & Theriacam ingrediuntur.*

Rad. Moringa. Eſt radix arboris Lentiſci foliis, fructu magno anguloſo, in quo ſemina Ervi *Joh. Baubin.* a *Chriſtopboro Acoſta Libr. Aromat.* deſcribitur: Frutex Lentisci magnitudine, cui folia perſimilia, paucis prædita ramis. Multis ſcatet nodis, adeoque fragilis eſt, ut facillime cum ipſe frutex tum rami confringantur. Fructum fert pedalem, octangulis inſignitum, ſemina rotunda, Ervo ſimilia. Radices paſtinaceas hortenſes luteas referre, niſi quod annulis pluribus numero, calamiſtratæ celebris inſtar *Ginſeng* conſpiciantur. *Odoris ſunt aromatici, & ſubſtantia videntur reſinoſæ, Zingiberis inſtar, adverſus omnis generis venenatorum animalium morſus, & punctiuras inſectorum tam interne quam externe adhibetur. In cholerica paſſione ſingularis efficaciæ eſt, atque anthelmintica celebratur; præcipue ad Elephantiaſin commendatur.* Radice hac Hyſtrices perdite delectari ajunt, & ab illa vim bezoardicam lapidis illius celebris *Pedra del Porco* originem habere. Abunde provenit in Indiæ Orientalis provinciis, præſertim vero apud Malabaros.

Morſus diaboli, Succiſæ hirſutæ C. B. Præmorſæ, Jaceæ nigræ, Scabioſæ corollulis quadrifidis, caule ſimplici ramis approximatis, foliis lanceolato-ovatis, Linn. *Racine de Succiſe*, Teufels-Abbis-Wurzel. Indigena planta, provenit in pratis. Radix colligenda primo vere. *Alexipharmaca & vulneraria habetur.*

Mungos, Ophiorhizæ, Linn. *Racine Mungos*, bittere Indianiſche Giftwurz. Radix eſt plantæ, Malaice *Hampaddu Tanah*, i. e. *fel terræ* dictæ, a ſapore amariſſimo omnium fere partium, præſertim radicis, quæ intenſam bilis amaritiem exhibet. Luſitanis *Mungo*, Batavis *Muncus* appellata, a Muſtela quadam ſeu Viverra, quæ radicem monſtraſſe, & uſum ejus pro alexipharmaco prima mortalibus prodidiſſe creditur. Eſt muſtelæ huic is genius, ut ſerpentem naturali odio proſequatur; tradunt igitur, ſi contingat, morderi Muncum, pro alexipharmaco hanc radicem quærere, & ejus eſu illico reſtitutum, certamen redintegrare. Indi, præcipue, qui *Sumatram* & *Javam* incolunt, radicem pro explorato habent antidoto, ſive venenum extrinſecus vulneri illatum, ſive intrinſecus aſſumtum fuerit. Maximam autem celebritatem radicis hujus enatam eſſe ab eximia illa virtute, quam adverſus exitiale illud & vix alio remedio vincibile Macaſſarienſe toxicum præſtat, *Kæmpferus*, qui nobis deſcriptionem dedit, perhibet. Patriam agnoſcit *Javam*, *Ceylanam* & *Sumatram* inſulas. Creſcit, altitudine pedali & longiori, faciem eminus conſpecta exhibet Centaurii minoris. Radix illi una eſt & ſimplex, ſpithamam longa, digiti craſſitie, crebro vagoque deflexu intorta; cortice firmiter adnata fungoſa, rufa, rugoſa, ſubſtantia lignoſa, dura, fibrarum exorte & fragili, coloris albidi, ſaporis amariſſimi, inſtar Gentianæ, ſed ſubtilioris & haud æque ingrati. Caule aſſurgit recto, tenui, æquali, ramulis raris, alterne

ad-

adverſis, quos folia ornant pari ordine diſpoſita, rariora, anguſta, longitudinis uncialis, figuræ lanceatæ; ſtylis ſingulis, ex ſurculorum axillis in duorum vel trium digitorum transverſorum longitudinem exſurgentibus, tenuibus, deciduis, inſiſtunt floſculi circiter quinquaginta, parvi, in plures faſciculos digeſti, & in umbellam tantillam, quam ungue obumbres, conglobati, pulchre rubentes; qui per microſcopium cognoſcuntur nudi, tubulati, extremitate in quinas & ſenas lacinias diviſi. Areſcente floſculo, ex umbilico ejus ſemen minutiſſimo pediculo protruditur, in aliis geminum, vel ex duobus ſeminibus ad baſes concretum, faſtigiis divaricatis, in aliis ſimplex & unum, inæqualis rotunditatis, & ex quadantenus compreſſo utrinque turbinatum, oſſeum, ſeminis Coriandri magnitudine, cute veſtitum carnoſa adnata, per ſiccitatem rugoſa, coloris promiſcue vel nigricantis, vel ex viridi pallentis.

*Doſis eſt drachma integra, vel etiam dimidia, cum hauſtu aquæ. Externe radicem ſputo vel aqua in pultis formam tritam vulneribus venenatis imponere ſolent. Non ſolum autem contra venena, ſed & in febribus putridis & malignis, & adverſus morſum canis rabidi infallibilem habere virtutem, perhibet, quem laudavimus, Kæmpferus.*

Rad. Ninzin, Nindſin, Dſin, Gin-ſem, Genſing, Ginſeng, Niſſi, *Racine de Ninzin, ou Gin-ſeng*, Indianiſche, Japaniſche Kraftwurz. Vocatur planta a *Kæmpfero, Siſarum montanum Corvenſe*, radice non tuberoſa. Sunt radices oblongæ, vix digiti minimi craſſitie, utplurimum bifidæ, albicantes, nonnunquam flaveſcentes, ſaporis ſubdulcis & amaricantis ſimul, ſuavis, aromatici. Naſcuntur in Japonia, China & regno Siam. Colliguntur ineunte hyeme, &, ad uſum ut fiant idoneæ, ita præparantur: recens effoſſæ triduum macerantur in aqua dulci frigida, vel Oryzæ, maceratæ in aheno operculato ſuſpenduntur in vapore ſuper igne; tum exſiccatæ ab ima parte, usque ad mediam, duram, rufam, reſinoſam ac quaſi pellucidam acquirunt faciem. Eligendæ bifidæ, flaveſcentes, & quæ quaſi diaphanæ apparent. *Virtutes harum radicum a Japonenſibus & Sinenſibus prædicantur variæ, ex quibus præcipue ſunt, quod roborent, pinguefaciant, renibus conducant, analepticæ & aphrodiſiacæ ſint. Earum uſu Sinæ homines veluti immortalitatem conſequi perperam ſibi perſuadent. Kircheri China monument. illuſtr. p. 178. Utuntur veluti Thea in India. Dantur ex infuſo aquæ ferventis, vel etiam in pulvere, a ſcrupulo uno ad duos. Magno in pretio etiam in India ſunt, & unica uncia olim quinquaginta florenis Hollandicis & ultra vendita eſt, quæ nunc decem modo conſtat.* Sub nomine Ninzin alia quandoque venditur radix, quæ in Aſiæ parte Boreali & America Septentrionali provenit. Hæc eſt radix *Panacis foliis ternis quinatis. Gronov. Flor. Virg.* Colore magis fuſco, amaritie majori & odore fortiori a præcedenti diſtinguitur. Ceterum iisdem laudibus evehitur.

Nymphææ albæ majoris, C. B. Nenupharis, Nenufaris, Nymphææ foliis integérrimis cordatis, calyce tetraphyllo, corolla multiplici, Linn. *Racine de Nenufar*, weiſſe Seeblumen-Waſſer-Lilienwurzel. Naſcuntur in ſtagnantibus aquis & fluminibus pigro curſu labentibus. *Adſtringentis ſunt virtutis, a nonnullis ad fluorem album commendantur.*

Rad. Olsnitii, Apii lacteo ſucco turgentis, Apii ſilveſtris, Thyſſelini Plinii, Mei paluſtris Sileſiaci, *Racine d'Olsnitium*, Elſenich, Oelnitz. Radices ſunt digiti minimi craſſitie candidæ, ſaporis amari, acris. *Calefaciunt, incidunt & reſolvunt; aſthmaticis & ictericis conveniunt; alexipharmacæ ſunt virtutis, urinam & menſes movent.*

Ononidis, Reſtæ bovis, Remoræ aratri, Ononidis floribus ſubſeſſilibus ſolitariis, lateralibus, caule ſpinoſo, Linn. *Racine d'Arrête Boeuf, de Bugrane, de Bugrade*, Hauhechel=Stallkraut=Ochſenbrech=Wurzel. Vocatur etiam *Urinaria*, ob effectum. Adnumerantur radicibus quinque aperientibus minoribus. Ubique ad vias occurrunt. Primo vere colligendæ ſunt. *Vim habent diureticam, abſtergentem & attenuantem. Specifice ad ſarcocelen a Tournefortio, ad drachmæ unius pondus pro doſi exhibitæ, commendantur.*

Oſtrutii, Imperatoriæ, Magiſtrantiæ, Aſtrantiæ, *Racine d'Imperatoire, ou d'Otruche*, Meiſterwurz, Kayſerswurz. Intelligitur *Imperatoria major* C. B. Proveniunt in locis montoſis, noſtris Alpibus, etiam in Styria. *Sunt nervinæ, alexipharmacæ, carminativæ & diureticæ. Præferuntur a C. Hoffmanno, Angelicæ & Zedoariæ, præſertim in colicis doloribus; ad quartanam, hydropem & febres diuturnas, non habere ſibi parem, & divinum eſſe remedium, perhibet. Ad urinam pellendam, infuſum theiforme, & in clyſtere, ad partum facilitandum, laudantur.*

Oxylapathi. Vide Rad. Lapathi acuti.

Palmæ Chriſti, Orchidis palmatæ, Satyrii Baſilici, *Racine de Palme de Chriſt*, Creutzblumen=Wurzel. Naſcitur in humidis pratis. *Cum Satyrio vel Orchide rotunda conveniunt; alii ad febrem quartanam & maniam commendant.*

Pareiræ bravæ, Ambutua, Butua, Ciſſampelos foliis peltatis cordatis emarginatis, Linn. *Racine de Pareira brava*, Americaniſche Grießwurzel. A Braſilianis hæc planta *Caapeba*, a Luſitanis *Pareira brava*, quod vitem ſylveſtrem notat, vocatur. Planta in America, & præſertim in Braſilia naſcens, juvencula exiſtit ſarmentoſa & tortuoſa, arbores vicinas ſcandit, vel ſuper terram repit, annoſa vero craſſitie rudentes navium adæquat. Radices juniores & minores foris coloris e cinereo ſunt nigricantis; annoſiores & majores, quæ ſæpius ad craſſitiem brachii perveniunt, extrinſecus plane nigricant, intrinſecus vero colorem habent ex fuſco luteum, & ſaporem dulcamarum. Eligendæ ſunt radices craſſiores, non carioſæ. *Vim habent demulcentem & diureticam; hinc in doloribus ſpaſticis, renum, pulmonum & articulorum affectibus, nec non Hydrope & Ictero bonam præſtant opem. Exhibentur tam in forma pulveris, quam in decoctis; ſunt etiam, qui ſpiritu vini eſſentiam extrahunt. Incolæ Braſiliæ unciam unam hujus radicis, cum ſalis armoniaci drachma, in menſura aquæ coquunt, & de hoc decocto ſingulis quatuor horis ægrotis hauſtum præbent. Doſis in ſubſtantia a ſcrupulo ad drachmam ſemis, in infuſo drachmæ duæ.*

Rad.

Rad. Pefaulina. Ex provincia Chinenſi Junnan adferri tradunt, & propter colorem lacteum, quem recens habet radix, a Malayis *Lac tigrinum* adpellari. Subſtantia eſt ſpongioſa, Agarici inſtar, cortice obducitur nigro. In medio lignoſa ſubſtantia prædita eſt. Nunquam ante tertium ætatis annum effodiunt. Ex viribus & denominatione judicare licet, plantam hanc non ſicut aliæ lacteſcentes, ſuccum vehere acrem, ſed potius dulcem uti Tragopogon, Scorzonera &c. *Sicca in pollinem trita albedine farinam tritici æmulatur, atque ſingulari gaudet virtute confortante: hanc ob cauſam hecticis, tabe conſumptis & hæmoptoicis commendari ſolet. Acrimoniam ſanguinis & humorum temperat, & tam junioribus quam ſenibus proficua æſtimatur. Præcipue vero gravidis, quod deliquia & nauſeam abolet, datur. Confert etiam nephriticis, & illis, qui catarrhis ex acri materia cum febricula vexantur. Exhibetur in decocto, & quotidie quantum V. vel VI. vaſcula porcellana, theæ ſorbillationi inſervientia, capiunt, ſumere ſuadent.*

Pentaphylli, Quinquefolii majoris repentis C. B. Potentillæ foliis digitatis, caule repente pedunculis unifloris, Linn. *Racine de Quinte-feuille, de Pempedula,* Fünffingerkraut-Wurz. Proveniunt in locis arenoſis. Colligantur verno tempore. *Alexipharmacæ, vulnerariæ & adſtringentis ſunt virtutis. A* Tabernæmontano *radicibus Chinæ æquiparantur; Theriacam ingrediuntur.*

Petaſitidis majoris, vulgaris rubentis, rotundiori folio, Tuſſilaginis ſcapo imbricato thyrſifero, floſculis omnibus hermaphroditis, Linn. *Racine de Pétaſite, de grand Pas d'Ane,* Peſtilenz-Wurzel, Schweiß-Wurz, neue Kraft-Wurz. Creſcunt in locis humidis, pratis uliginoſis & irriguis. Colligantur primo vere. Flores Petaſitidis & Farfaræ ante folia proveniunt; hinc Farfara *filius ante patrem* apud nonnullos audit. *Vis attribuitur alexipharmaca, cardiaca & anthelmintica; externe ad Bubones & maligna ulcera laudantur.*

Petroſelini vulgaris, Apii hortenſis, Apii foliis caulinis linearibus, Linn. *Racine de Perſil,* Peterſilien-Wurzel. Seruntur in hortis. *Sunt diureticæ, & radicibus quinque aperientibus majoribus adnumerantur.* Tabernæmontanus *Petroſelini uſum, gravidis, puerperis & lactantibus probibet, ne infantes epilepſia, vel motibus convulſivis corripiantur.*

Peucedani, Fœniculi porcini, Pinaſtellæ, Peucedani foliis quintuplicato-tripartitis lineari-ſubulatis integerrimis, Linn. *Racine de Queue de Pourceau,* Haarſtrang-Sau-Fenchel-Schwefelwurz. Sponte proveniunt in noſtris Alpibus. *Reſolvunt & attenuant; carminativæ, alexipharmacæ & diureticæ celebrantur. Etiam externe decoctum, ad ulcera inveterata ſordida curanda commendatur.*

Phu Pontici, Valerianæ hortenſis, Phu folio Oluſatri Dioſcorid. C. B. Phu magni, veri, Valerianæ floribus triandris, foliis caulinis pinnatis, radicalibus indiviſis, Linn. *Racine de grande Valeriane,* groſſer Baldrian, Garten-Baldrian. Sunt radices oblongæ, rugoſæ, ſuperficie geniculatæ, digitum craſſæ, multis fibris dota-

tæ, foris cinerei, intus albicantis coloris, ſaporis acris, odoris aromatici. Effodiendæ verno tempore. Coluntur in hortis, nonnunquam in ſilvis occurrunt. *Habentur alexiteriæ, & ad Theriacæ confectionem requiruntur.*

Rad. Pimpinellæ ſanguiſorbæ, Sanguiſorbæ ſpicis ovatis, Linn. *Racine de Pimprenelle*, Pimpernell-Wurzel, Blutkraut-Kölblein-kraut-Wurzel. Inveniuntur in incultis, & circa limites agrorum aridiorum; amant aprica & petroſa. *Virtutem habent adſtringentem & vulnerariam; a Palmario contra Hydrophobiam laudantur: Equis, teſte Tabernæmontano, anthelminticum præbent.*

Pimpinellæ albæ, umbelliferæ, hircinæ, Saxifragæ, Tragoſelini, Pimpinellæ foliolis ſubrotundis, Linn. *Racine de Pimprenelle blanche, de Boucage*, Bibernell, Steinpeterlein, Pfefferwurz. Naſcuntur in locis arenoſis & incultis. Effodiendæ vel verno vel auctumnali tempore. Saporis ſunt acris, & odorem quaſi hircinum ſpirant. *Virtute gaudent alexipharmaca, lithontriptica, uterina, vulneraria & anticatarrhali.*

Pimpinellæ nigræ, Tragoſelini minoris, *Racine de Pimprenelle noire*, ſchwarze Bibernelle, Blau-Wurzel. Pro varietate præcedentis habetur; guſtui ſe minus acrem offert; recens ſuccum fundit cæruleum, qui color cum ſpiritu vini per alembicum aſcendit.

Plantaginis latifoliæ, Plantaginis majoris, Plantaginis foliis ovatis glabris, Linn. *Racine de Plantain*, breit Wegerich-Wurzel. Ubique occurrunt. Colligendæ auctumnali tempore. *Decoctum commendatur in febribus intermittentibus; vulnerariis potionibus & gargarismis adduntur.*

Pœoniæ, Roſæ benedictæ, regiæ, *Racine de Pivoine*, Päonien-Wurzel, Pfingſtroſen-Gichtroſen-Wurzel. Præfertur illa ſpecies, quæ mas dicitur, folio ſplendido, nigricante. Coluntur in hortis, & primo vere, creſcente luna, effodi debent. *Sunt anodynæ, antiſpaſmodicæ, & inprimis antepilepticæ cenſentur, atque plerisque pulveribus antepilepticis adduntur. Doſis a granis decem ad triginta, in decocto a drachmis duabus ad unciam ſemis.*

Polygonati majoris, latifolii, vulgaris, Sigilli Salomonis, Geniculatæ, Genicellæ, Convallariæ foliis alternis, pedunculis axillaribus unifloris, Linn. *Racine de ſceau de Salomon*, Weiß-Wurz, Schminkwurzel. In ſilvis & umbroſis locis proveniunt. Verno tempore effodiendæ ſunt. *Ad ſugillationes in forma cataplaſmatis applicatæ pro ſpecifico habentur, atque coſmetico uſui inſerviunt.*

Polypodii vulgaris, Filiculæ dulcis, *Racine de Polypode*, Engelſüß, Baumfarn, Eichfarn, Kropfwurz, Corallenwurz. In ſilvis ad radices caudicesque arborum Fagi, Quercus & Coryli naſci ſolent. Eligendæ ſunt quercinæ, vel quæ ad caudices Quercuum reperiuntur. Coloris intus virideſcentis, ſaporis dulcis. *Aperiunt, incidunt, ad pectoris & renum vitia, febre quartana laborantibus, & melancholicis, ex decocto,*

*cto, commendantur; in podagra & arthritide efficaciſſimæ habentur. Veteres etiam melanagogis adſcribebant. Uſus eſt in infuſis; longa coctione amara reddunt decocta. Doſis eſt uncia ſemis ad integram purgandi & drachma una reſerandi ſcopo.*

Rad. Pſeudacori. Vide Rad. Acori vulgaris.

Pulſatillæ cœruleæ, Herbæ venti, Pulſatillæ foliis decompoſitis pinnatis, flore nutante: limbo erecto, Linn. *Racine de Coquelourde*, Küchen-Schell-Oſterblumen-Wurzel. Sunt craſſæ, longæ, Cardopatii modo exeſæ, ſaporis ſubdulcis, acris. *Vi pollent alexipharmaca, & contra peſtilentiæ contagia, virulentorum animalium ictus, cum vino potæ commendantur. Aliis earum uſus internus eſt ſuſpectus.*

Pyrethri officinalis, Salivalis, Dentariæ, Buphthalmi caulibus ſimpliciſſimis unifloris, foliis pinnato-multifidis, Linn. *Racine Salivaire, ou de Pyrethre*, Bertram-Zahnwurz, Speichelwurz, St. Johanniswurz. Sunt Pyrethri, flore Bellidis, radices, ex calidioribus regionibus allatæ. *Incidunt & attenuant; raro interne adhibentur. Piperis inſtar acres ſunt; ad linguæ Paralyſin, & ad dentium dolores maſticatæ præcipue commendantur.* Ettmüllerus *ſingularem virtutem, externe cum pinguedine coturnicis, membro, generationi dicato, adhibitis adſcribit ſtimulantem.* Raro in officinis noſtris vera Pyrethri Radix invenitur. Plerumque pro ea *Radix Ptarmicæ*, quæ viribus multo eſt inferior, ſubſtituitur.

Quinquefolii. Vide Rad. Pentaphylli.

Raphani ruſticani, Raphani ruſtici, Raphani marini, Armoraciæ, Cochleariæ folio cubitali, Tournefort. Cochleariæ foliis radicalibus lanceolatis crenatis, caulinis inciſis, Linn. *Racine de grand Raifort*, Meer-Rettich. *Coluntur in hortis, & plantis antiſcorbuticis adnumerantur. Calculoſis, hydropicis, verminoſis & menſium vitiis laborantibus, commendari ſolent.*

Rhabarbari Monachorum, Lapathi latifolii hortenſis, Rumicis ſativi, *Racine de Rhubarbe des Moines*, Münchs-Rhabarbara. Coluntur in hortis. *Multum cum Rhabarbaro vero conveniunt, magis vero adſtringunt.*

Rhabarbari veri, Rhabarbari lanuginoſi, ſive Lapathi Chinenſis longifolii, *Racine de Rhubarbe*, edle Rhabarbara, wahre Rhabarbara. Lapathum præſtantiſſimum, Rhabarbarum officinale Munting. Ob florem monopetalum, campaniformem, multifidum, proprium genus conſtituit *Bœrhave Ind. pl.* part. II. p. 84. A *Tournefortio* ad plantas flore monopetalo, campaniformi, multifido, refertur. *Linnæus Rhabarbarum Sinenſe, folio criſpo, flagellis rarioribus & minoribus Ammanni* pro vero habet Rhabarbaro & in ſua materia medica *Rheum foliis ſubvilloſis* adpellat. Sed *Gleditſchius* hanc ad viliores ſpecies amandat, & in ſuo Verzeichnuß der gewöhnlichſten Arzneygewächſe, p. 305. genuinam Rhabarbari ſpeciem fuſius, ſed non ſatis botanice, deſcribit. Patriam agnoſcit Chi-

nam, unde per reliquas Aſiæ regiones ad nos pervenit. Eligendum eſt Rhabarbarum, quod rarum exiſtit, & minorem ſtipticitatem habet, quod inter mandendum glutinoſum eſt, cum levi adſtrictione, & croceæ tinctu-ræ; varii coloris, dilute ex carneo colore rubens. Fruſta nodoſa minora præferuntur majoribus, quæ ſæpius intus putreſcunt & nigreſcunt. Hodie etiam radices in taleolos diſſectæ advehuntur, quæ reliquis præferri merentur. Sit mediocriter ponderoſum & non carioſum. *Vires vere habet polychreſtas, quas recenſere nimis longum eſſet.* Tilingius *integrum ſcripſit tractatum, ſub titulo* Rhabarbarologiæ. *Unicum monemus: Rhabarbarum aſſumtum urinam tingere flavo colore, quod juvenes practici, ne in urinarum examine hallucinentur, notent.*

Rad. Rhapontici officinalis, Lapathi Alpini folio ſubrotundo J. C. Lapathi hortenſis rotundifolii C. B. Rumicis floribus hermaphroditis, valvulis integerrimis unica granifera, foliis cordatis, Linn. *Racine de Patience grande, de Rhapontic*, gemeine Rhapontic. Sunt unius vel duorum pollicum craſſitie, extus flavæ, intus ſicut Rhabarbarum verum variegatæ, ſaporis amaricantis adſtringentis. Reperiuntur nonnunquam craſſæ proxime ad formam & magnitudinem Rhabarbari veri accedentes; diſtinguuntur vero odore, qui non ita gravis, ſapore magis adſtringente & glutinoſo, atque, quod maſticatæ, ſalivam colore non ita intenſe flavo, ſicut Rhabarbarum, inficiant. Coluntur in hortis, & ſponte in Styriæ & Auſtriæ alpibus proveniunt. *Alvum, ad drachmam unam usque vel duas exhibitæ, ſolvunt. Commendantur vulneratis, ictericis & ab alto lapſis.*

Rhapontici veri, Rhei foliis glabris, Linn. *Racine de Rapontic*, wahrhafte, gerechte Rhapontic. Sunt oblongæ, pollicis craſſitie, coloris foris fuſci, intus crocei, ſubſtantiæ raræ & laxæ, ſaporis amaricantis ſubadſtringentis, parum glutinoſi, odoris haud ingrati. Planta inter *Lapatha* a nonnullis ponitur; *Tournefortius* vero, ob florem monopetalum, campaniformem, multifidum, proprium inde genus conſtituit: hinc inde, eandem cum Rhabarbaro vero plantam eſſe, multi, quibus etiam *Linnæus* annuit, autumant, & non niſi loco natali & radicibus minoribus diſtinctam produnt. Raro in officinis reperiuntur, & loco Rhapontici veri, plerumque radices *Centaurii majoris*, quod *Rha capitatum*, ſive *Rhaponticum Helenii folio* appellant, proſtant. *Optime igitur, ſi Rhaponticum verum præſcribitur, Rhabarbarum verum orientale ſubſtituitur, cum quo etiam ratione virium convenit.*

Rhodiæ, Roſariæ, *Racine de Rhodus, Racine ſentant les Roſes*, Roſenwürz. Planta ſub nomine *Anacampſeros, radice roſam ſpirante, majoris, a Tournefort.* deſcribitur. A *Bærhavio, Thelephium, radice roſam ſpirante majus, foliis cæſis, minus ſerratis*, vocatur. Naſcuntur in alpibus. *Vim habent ſubadſtringentem, & tam interne ſumtæ, quam externe, fronti cum aceto applicatæ, ad Cephalalgiam laudantur.*

Rubiæ tinctorum, ſativæ majoris, Erythrodani Raji, Rubiæ foliis lenis, Linn. *Racine de Garance*, Färber-Röthe-Wurzel. Coluntur copioſe fere per totam Germaniam & Galliam. *Vulnerariæ ſunt & radicibus quinque aperientibus minoribus adſociantur. Propter traumaticas*

*maticas vires a Turcis per excellentiam* Baya, i. e. Balſamum, *vocantur. Uſus maximus in arte tinctoria. Decoctum animalibus junioribus propinatum oſſa infecit rubedine.*

Rad. Ruſci, vide Rad. Bruſci.

Salab. Sunt radices *Orchidis Perſicæ* unifoliæ bulboſæ, ſubſtantia quaſi cornea, ſaporis glutinoſi. *Linnæus* plantam adpellat: *Orchidem bulbis indiviſis, nectarii labio quadrifido crenulato, cornu obtuſo.* Sinenſes & Perſæ magni pendunt has radices & illis vim adſcribunt aphrodiſiacam, atque fere easdem virtutes, quas Japonenſes de ſua *Ginſeng* prædicant. Drachma una hujus radicis in pulverem trita, atque aquæ fontanæ unciis octo macerata, leni calore, fere tota in gelatinam vel mucilaginem ſolvitur, quæ acrimoniam bilioſam in inteſtinis hærentem mitigat & dolores demulcet; hinc inde non ſolum dyſentericis, ſed etiam ad colicos dolores & convulſiones infantum commendantur. B. *Geofroy* docuit etiam noſtratis orchidis radices ad modum radicum Salab præparare, atque ablato cortice, in aqua fontana frigida, per aliquot horas macerare, poſtea parum coqui, & filo, mediante acu trajecto, appenſas in aëre calido ſiccare jubet: ſic quaſi corneam & ſemi diaphanam acquirunt faciem, atque in pulverem tritæ & aqua fervida dilutæ, pariter, ſicut perſicæ, in mucilaginem abeunt. *Pro una doſi ſufficiunt grana XXIV.*

Saniculæ, Saniculæ officinarum, vulgaris, Diapenſiæ, Saniculæ foliis radicalibus ſimplicibus, floſculis omnibus ſeſſilibus, Linn. *Racine de Sanicle*, Sanickelwurzel, Bruchkrautwurz. Indigena eſt planta, & in ſilvis naſcitur. *Folia & radices leniter adſtringunt, & decoctis adduntur vulnerariis; commendantur etiam herniosis.*

Sanley. Sunt radices *Acori veri paluſtris.* Creſcunt in regno Chinenſi circa urbem *Canton* in provincia *Suchuan*, ubi recentes in tenues taleolos ſciſſæ, ſiccatæ, in plumbeis receptaculis, uti herba Thee, ne virium jacturam faciant, aut ab aëre marino corrumpantur, aſſervantur. *Apud Chinenſes magno habentur pretio, ob plurimas, quibus pollent, virtutes medicas. Præcipue laudatur vis earum in febribus malignis & morbis contagioſis. Dari ſolet in pulvere a granis XX. ad XL. bis vel ter de die cum vehiculo idoneo. Serviunt etiam hæ radices uſui externo ad morſus animalium venenatorum, atque pulvis vino ſubactus, parti affectæ adplicatur.* Plura *Acta Phyſico-Medica Vol. IV.* habent.

Saponariæ majoris lævis, C. B. Lychnidis Saponariæ dictæ, Saponariæ calycibus monophyllis cylindraceis, foliis ovato-lanceolatis, Linn. *Racine de Saponnaire, ou de Savonniere*, Seiffenkrautwurzel. Juxta rivulos & foſſarum margines creſcunt. Radices primo vere effodiendæ. *Vires ſunt ſudoriferæ, attenuantes, aperientes & diureticæ, ac in morbis ſeroſis, pectoris, lue venerea & menſibus ciendis commendari merentur.* Stahlius *radices Saponariæ, Sarſaparillæ radicibus longe præferendas eſſe, autumat.*

Sarſaparillæ, Salſaparillæ, Zarzaparillæ, Smilacis caule angulato aculeato, foliis dilatato-cordatis inermibus, Linn. *Racine de Sarcepareille, de Salſepareille*, Sarſaparill. Sunt *Smilacis viticulis*

*ticulis aſperis Peruvianæ, folio hederaceo lævi. Smilax caule angulato aculeato, foliis ovatis, acutis, inermibus;* vel *Smilax viticulis aſperis Virginiana, folio hederaceo lævi. Zarza nobiliſſima. Hort. Lugd. Royen.* Ex multis Americæ provinciis, Peru, Mexico, Virginia & Braſilia advehuntur. Eligendæ ſunt radices recentes, coloris foris obſcurioris, intus albicantis, quæ non facile franguntur, nec carioſæ ſunt; præferuntur, quæ calami ſcriptorii craſſitiem habent. *Temparatiſſima eſt radix, & in morbis lymphæ bonam præſtat opem, longam vero expoſcit coctionem, vel macerationem.*

Rad. Satyrii, Cynoſorchidis latifoliæ C. B. Orchidis bulbis indiviſis, nectarii labio integerrimo lanceolato, cornu longiſſimo, petalis patentibus, Linn. *Racine de Satyrion*, Stendelwurz, Knabenkrautwurz. Radices *Orchidis* & *Satyrii* hodie confunduntur, atque ſæpius una pro altera ſumitur. A veteribus vero diſtinguebantur, ita ut ſpecies, quæ radicem bulboſam, eamque geminam obtinerent, *Orchides*, quæ vero tantum unicam, *Satyria*, appellarentur. Differunt etiam ab illa ſpecie, quæ *Palma Chriſti* vocatur, & radices multifidas habet. Naſcuntur in pratis humidis, colliguntur ineunte vere. *Radices Satyrii, virtute multum cum illa Perſica radice*, Salab *dicta, convenire*, Degnerus *in Diſſertatione* de Dyſenteria contagioſa bilioſa, *perhibet; quæ & celeberr. & illuſtr.* Hallerus *confirmat.* Muntingius *ad ſpaſmos & convulſiones nervorum, fluorem album, & hæmorrhagias uteri commendat. Vulgo pro aphrodiſiacis habentur, & ad* Electuarium Diaſatyrium *expetuntur.*

Saxifragiæ albæ, Saxifragiæ rotundifoliæ C. B. radice tuberoſa, Saxifragæ foliis reniformibus lobatis, caule ramoſo, radice granuloſa, Linn. *Racine de Saxifrage*, weiſſe Steinbrechwurz. Proveniunt in pratis & collibus humidis. Ordinario in officinis ſub nomine ſeminum Saxifragiæ veniunt, magnitudine ſemen Coriandri æquantes. *Reſolvunt, & humores viſcidos attenuant; hinc ad pectoris, renum & veſicæ vitia commendantur.*

Scillæ, Squillæ, Scillæ rubræ, ſive Pancratii veri, Scillæ radice tunicata, Linn. *Racine de Scille, Oignon marin*, Meerzwiebel, Mauszwiebel. Sunt ſpecies *Ornithogali maritimi*, radice rubra *Tournef.* magnitudinis variæ, aliquando duorum pugnorum, e plurimis ſquamis, lamellatim, ceparum inſtar, ſibi incumbentibus compactæ, inferius multis fibris donatæ, extus rufæ, quæ ordinarii ſunt uſus, albæ rarioris. Utræque ſaporis amari & acris, odoris nullius. Naſcuntur in locis maritimis arenoſis Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Siciliæ. Flores, hyacyntho ſtellari ſimiles, in ſpica creſcentes, antequam folia apparent, emergunt. Crudæ raro, præparatæ vero ſæpius in uſum vocantur. Vide *Scilla præparata, Parte II. Pharm. Wirt. Scilla alba mitior habetur rubra. Dari ſquillam eſculentam nonnulli adſtruunt.*

Scorzoneræ, Latifoliæ, Sinuatæ, Serpentariæ, Scorzoneræ caule ſubnudo unifloro, Linn. *Racine de Scorzonnere*, Scorzonerawurzel, Schlangenwurzel. Scorzonera a voce Catalonica *Eſcorzo, Vipera*, cujus morſui & aſſumta, & externe applicata, mederi creditur.

creditur. Coluntur in hortis. *Tam alimentum, quam medicamentum, blandum, diaphoreticum & alexipharmacum præbent.*

Rad. Scrophulariæ, nodoſæ fœtidæ, vulgaris & majoris, Ficariæ, Ferrariæ, Caſtrangulæ, Scrophulariæ foliis cordatis, caule obtuſangulo, racemo terminali, Linn. *Racine de Scrophulaire*, Braunwurz, Saukrautwurz, Feigwarzwurz. Naſcuntur in locis humidis, circa rivulos & foſſas. Verno tempore colligi debent. *Vulnerariæ ſunt & inciſivæ, ſed odoris & ſaporis ingrati, amari.*

Seneka, Senegar, Senegan, Polygalæ caule ſimpliciſſimo, foliis ovato-lanceolatis erectis alternis integerrimis, racemo terminali erecto, Linn. *Racine Seneka*, Seneka, Senegar, Virginiſche oder Penſylvaniſche Klapper-Schlangenwurzel. Eſt radix perennis ſemi ſpithamam vel etiam ſpithamam longa, variæ pro ætate craſſitiei, utplurimum digitum circiter minimum craſſa, varie contorta, in plures ramos divaricata, fibris ſtipata lateralibus, & margine veluti membranaceo extuberante, ſecundum longitudinem decurrente, foris ſublutea, intus alba, ſapore acri amaricante, nonnihil aromatico prædita. Adfertur ad nos ex Virginia, Carolina, Marylandia, Penſylvania & hujus provincia Senega. *Remedium apud Virginiæ incolas eſt ad morſus viperæ caudiſonæ, pleuritidem, peripneumoniam, aliasque febres phlogiſticas. In officinis olim non uſitata fuit Polygala; exemplo vero Virginienſium, Pariſienſes Medici noſtram exhibuere, eventu feliciſſimo & eodem, licet vi debiliori gaudeat. Vomitus & catharſis, quandoque hoc remedio benigne cientur, idque ſatis feliciter. At ſi æger admodum debilitatus fuerit, nec vomitum facile pertulerit, emeſin ſiſtent abſorbentia quævis teſtacea.*

*Paratur Eſſentia ex radicum Seneka unciis tribus, Valerianæ ſylveſtris uncia una ſemis, Vini Canarienſis libris duabus. Doſis tria cochlearia ſtatim poſt venæſectionem, quæ doſis ſingulis ſex horis repetenda.*

Serpentariæ Virginianæ, Viperinæ, Colubrinæ, Contrayervæ Virginianæ, Ariſtolochiæ caulibus infirmis anguloſis flexuoſis, foliis cordato oblongis planis, floribus recurvis ſolitariis, Linn. *Racine Serpentaire, Racine Viperine de Virginie*, Virginiſche Schlangen-Wurzel. Planta ad ariſtolochiarum claſſem refertur, atque *Serpentaria* ſive *Piſtololochia flore atro purpureo, in terræ ſuperficiem procumbente, foliis cordiformibus* a *Clayton in flora Virginica*, vocatur. Apud *Gronovium*, *Ariſtolochia, caulibus infirmis, anguloſis, flexuoſis, foliis cordato oblongis, planis, floribus recurvis, ſolitariis*, audit. Plerumque tota planta, in faſciculos ligata, ad nos pervenit. Radices ſunt tenues, fibroſæ, ſaporis aromatici, odoris camphorati, vel ad *Valerianæ* accedentis, gratioris tamen. *Vires alexipharmacæ, balſamicæ, anticatarrhales, carminativæ, diureticæ, & uterinæ, celebrantur.*

Sigilli Salomonis, vide Rad. Polygonati.

Spicæ Celticæ, Nardi Celticæ, Alpinæ, Valerianæ Celticæ, Tournefort. Valerianæ floribus triandris, foliis ovato-oblongis

obtuſis integerrimis, Linn. *Racine de Nard Celtique*, Celtiſcher Nardus, Magdalenen-Kraut, Magdalenen-Blumen. In officinis quidem ad flores referuntur; accuratius vero examinatæ, ſunt radices cum foliis, quæ in Alpibus Tyrolenſibus, Styriacis & Liguſticis creſcunt. Eligendæ ſunt odoris aromatici, jucundi, radiculis numeroſis cohærentes, haud fragiles & plenæ. *Alexipharmacæ, uterinæ & diureticæ ſunt. Ad Theriacæ confectionem adhibentur. Valerianæ officinarum viribus æquiparari imo præferri meretur.*

Rad. Spicæ Indicæ, Nardi Indicæ, Graminis Cyperoidis aromatici Indici, Laguri paniculæ racemis ſupra decompoſitis proliferis, Linn. *Racine de Spicanard*, Indianiſche Spicanard. Radices ſunt longæ, fungoſæ, digiti craſſitie & longitudine, ex nervoſis quaſi filamentis convolutæ, & congeſtæ, colore ex fuſco rufeſcente, ſaporis amari aromatici. Ex India orientali ad nos advehuntur. Eligendæ recentes, leves, coma longa præditæ, Cyperum redolentes. *Uſus præcipuus eſt ad Theriacæ confectionem, ad menſes ciendos, vermes necandos; carminativæ, ſtomachicæ & nephriticæ etiam habentur.*

Squamariæ, vide Rad. Dentariæ.

Succiſæ, vide Rad. Morſus Diaboli.

Taraxaci, Dentis Leonis, Leontodontos calyce inferne reflexo, Linn. *Racine de Piſſe en Lit, Piſſenlit, ou de Dent de Lion*, Pfaffenröhrlein, Löwenzahn, Löwenkrautwurz. Ubique occurrunt. Colligendæ primo vere. *Cum Cichorii radicibus conveniunt, ſanguinem purificant, vulnerariæ, aperitivæ & diureticæ ſunt.*

Tormentillæ, Heptaphylli, Tormentillæ ſilveſtris, Tormentillæ caule erecto, Linn. *Racine de Tormentille*, Tormentill-Rothwurz, Blut- und Ruhrwurz. Proveniunt in arenoſis locis. *Adſtringunt, vulnerariæ & alexiteriæ ſunt. Decoctum, roſeum quaſi odorem ſpirat, & ad tonum ventriculi & inteſtinorum deprædicatur. Quia vero fortius adſtringit, non ſaturatum, ſed dilutum exhiberi debet. Etiam in gargariſmatibus & collutionibus, ad dolores & dentium vacillationem, uſus eſt.*

Trifolii fibrini, aquatici, antiſcorbutici, Menyanthis foliis ternatis, Linn. *Racine de Trefle de Caſtor*, Biberklee- Waſſer- und Scharbocksklee-Wurzel. Rarioris ſunt uſus. In locis paludoſis proveniunt. *Easdem vires, quas foliis, adſcribunt; efficaciora vero folia habentur. Lapponiæ incolis, exſiccata, tam pro pabulo pecorum, quam, urgente annonæ ſævitia, cum farina mixtæ, panificio inſerviunt; panis vero inde paratus, admodum amarus & deteſtabilis eſt, monente Linn. Flor. Lappon.*

Turbith, Turpethi, Convolvuli foliis cordatis angulatis, caule membrano quadrangulari, Linn. *Racine de Turbit*, Turbit-Wurzel. Advehuntur ex Inſula Ceylon & Malabaria, ubi in locis opacis, humidis, ad foſſarum margines, aliisque locis ſilveſtribus proveniunt. Eligendæ ſunt reſinoſæ, albicantes, non carioſæ.

*Tormina*

*Tormina excitare ſolent, nec temere gravidis exhibendæ ſunt; hydropicis optime & mirifice conveniunt. Doſis ſcrupulus unus, ad duos, vel drachmam unam.*

Rad. Tuſſilaginis, vide Rad. Farfaræ.

Valerianæ paluſtris, vel ſilveſtris montanæ, quæ etiam pratenſis vocatur, *Racine de Valeriane*, kleiner Baldrian, Katzenwurzel, Augenwurzel. Indigenæ ſunt, poſterior priori præfertur. Colliguntur verno tempore. *Viribus ſunt alexipharmacæ, emmenagogæ, uterinæ, antarthriticæ & diureticæ, ac ſpecifice ad ophthalmiam & epilepſiam commendantur.*

Victorialis longæ, Victorialis maris, Allii Alpini, Allii montani latifolii maculati, Allii caule planifolio umbellifero, umbella globoſa, filamentis ſimplicibus corolla longioribus, Linn. *Racine de Victorialis longue*, lange Siegwurzel, Allermanns-Harniſch-Wurzel, Schlangen-Knoblauchwurzel. Proveniunt in alpibus Tyrolenſibus. *Raro in medicina inſerviunt; mulierculæ contra veneficia & magicas incantationes in uſum vocare ſolent.*

Victorialis rotundæ fœminæ, Gladioli foliis enſiformibus, floribus uno verſu diſpoſitis, purpureo-rubentibus C. B. Gladioli foliis enſiformibus, floribus diſtantibus, Linn. *Racine de Victorialis ronde*, runde Siegwurz, Siegwurzweiblein, Acker-Schwertel. Apud nos coluntur in hortis; in regionibus calidis ſponte inter ſegetes occurrunt. Utriusque Victorialis radices corticem fibroſum, lamellatum & quaſi reticulatum habent, odorem alliaceum & nonnihil quoque ſaporem. *Rariſſimi in medicina ſunt uſus; externe ad emolliendos tumores adhibentur.*

Vincetoxici, vide Rad. Hirundinariæ.

Ulmariæ, vide Rad. Barbæ caprinæ.

Urticæ, Urticæ majoris urentis, vulgaris, Urticæ dioicæ, foliis oblongo-cordatis, Linn. *Racine d'Ortie*, Neſſelwurz, Brenneſſelwurz. *Vim habent diureticam & ſanguinem depurantem; ſpecifice ad mictum cruentum commendantur.*

Zedoariæ, vide Aromata.

Zinziberis, vide Aromata.

## CAPUT II.

## DE HERBIS ET FOLIIS.

Herba Abrotani maris anguſtifolii, Artemiſiæ foliis ramoſiſſimis ſetaceis, caule erecto fruticoſo, Linn. *Auronne ou Garderobbe le mâle*, Stabwurz, Gartheyl. Colitur in hortis. Colligenda Auguſto. *Cum Abſinthio Pontico, cujus eſt ſuccedaneum, convenit, & habetur balſamica, uterina, antiſterica, anticachectica, & contra morſus animalium venenatorum laudatur.*

Herba Abſinthii Pontici, Romani, nobilis, tenuifolii, incani, hortenſis, Artemiſiæ foliis compoſitis multifidis: ſubtus tomentoſis, floribus ſubrotundis nutantibus: receptaculo nudo, Linn. *Abſinthe Romain*, *Abſince Pontique*, Welſcher, Römiſcher Wermuth. Colitur in hortis; ſponte provenit in Ponto, mitius eſt Abſinthio vulgari. *Vis ſtomachica, anticachectica, anthelmintica notoria eſt, & ſpecifica diuretica ab Hermanno adſcribitur.*

Abſinthii vulgaris, Artemiſiæ foliis compoſitis, multifidis, floribus ſubgloboſis pendulis, receptaculo pappoſo, Linn. *Abſinthe*, *Abſince*, *Aluine*, gemeiner Wermuth. Colitur in hortis, & nonnunquam ſponte provenit. *Viribus cum antecedente convenit; adſcribitur etiam vis anodyna. Externe ſuccus vel decoctum ad ulcera inveterata, putrida & ſcabiem, ſuffitus vero auribus exceptus ad otalgiam commendatur.*

Acetoſæ, Oxalidis, Acetoſæ pratenſis vulgaris, *Ozeille*, *ou Oſeille*, *Acetenſe*, Sauerampfer. *In decoctis & juſculis medicatis adhibetur, bilem temperat & antiſcorbutica eſt.*

Acetoſellæ, Allelujæ, Trifolii acetoſi, Oxytriphylli, Oxalidis ſcapo unifloro foliis ternatis, radice ſquamoſo-articulata, Linn. *Oſeille ſauvage*, *Alleluja*, Sauerklee, Buchampfer, Herzklee. Provenit in ſilvis, circa radices fagorum. Colligitur Majo. *Saporem acidum gratum præbet. E ſucco plantæ paratur Syrupus & Sal eſſentiale.*

Acmellæ, Attmellæ, Admellæ, Acemellæ, Achmellæ, Verbeſinæ foliis oppoſitis lanceolato-ovatis petiolatis ſerratis, pedunculis unifloris dichotomiæ caulis, Linn. *Acmelle*, Indianiſch Harnkraut. Sunt folia *Bidentis*, *urticæ folio*, *Ceylanicæ*, vel *Chryſanthemi Zeylanici flore luteo*, *Lamii folio*. Naſcuntur in Ceylon Inſula. *Virtus adſcribitur huic plantæ lithontriptica, diaphoretica, anodyna & humores viſcidos attenuans; ſpecifice etiam ad fluorem album commendatur. Bibitur ceu apozema; datur etiam in ſubſtantia. Infuſum nunquam absque Liquiritia, Syrupo de Altbæa, vel ſimili quopiam, quod acrimoniam foliorum temperat, propinari debet. Pretioſa eſt medicina, cum unciam unam pro quatuor imperialibus divendant Batavi; propterea commode noſtram Bidentem, Lamii vel Urticæ folio, quæ fere easdem vires habet, huic pretioſæ ſubſtitui poſſe, cum clariſſimo Nebelio cenſemus.*

Aconiti, Napelli, Aconiti foliorum laciniis linearibus, ſuperne latioribus linea exaratis, Linn. *Cappe de Moine*, Eiſen-Hütlein. Sponte creſcit in Helvetia, Bavaria, Gallia. Apud nos in hortis ornamenti gratia colitur. Planta hæc ſemper pro venenata, & quidem jure, habita, procul ab officinis pharmacevticis abeſſe jubebatur. Introduxit eam Celeberrimus *Stærkius*. Poſtquam extractum ejus Saccharo palliatum in minutiſſima doſi deprehendit, non ſolum *innocuum, ſed etiam in tumoribus ſcirrhoſis, tophis nodisque emolliendis; in atrociſſimis articulorum partiumque induratarum doloribus ſopiendis & ulce-*

*ulceribus cacoethicis & rebellibus depurandis & firma cicatrice conſolidandis proficuum.*

Herba Adianti, Adianti albi, Rutæ murariæ, Paronychiæ, Matth. Aſplenii frondibus alternatim decompoſitis: foliolis cuneiformibus crenulatis, Linn. *Adiante blanche*, Mauer-Rauten, Stein-Rauten. E ſciſſuris & juncturis vetuſtorum murorum, in locis umbroſis provenit. *Vim habet diureticam, ad rachitidem & enterocelas puerorum, ſpecifice commendatur.*

Adianti aurei, Polytrichi aurei, Muſci capillacei majoris, Tournefort. Polytrichi capſula parallelipipeda, Linn. *Percemouſſe*, Golden Wiederthon. In ſilvis provenit, & ad muſcos pertinet. *Raro in medicina in uſum vocatur. Refertur inter antimagicas herbas.*

Adianti nigri, foliis Coriandri, Linn. Capilli Veneris, *Capillaire*, *Cheveux de Venus*, Frauen-Haar, Venus-Haar. In Languedocia, circa montem Peſſulanum, multus ejus eſt proventus. *Incidit & attenuat, pulmonica & diuretica eſt. Paratur ex hac plantula ſyrupus ille celebris* Syrop capillaire.

Agrimoniæ, Lappulæ hepaticæ, Eupatorii veterum, Hepatorii, Agrimoniæ foliis pinnatis, fructibus hiſpidis, Linn. *Aigremoine*, Odermenig, Leberkletten, Steinwurz. Circa agrorum & viarum margines provenit. Majo & Junio colligenda. *Vulneraria eſt, atque hepaticis & lienoſis dicata, ad urinæ incontinentiam & renum ulcera commendatur.*

Alceæ, Alceæ vulgaris, Malvæ caule erecto, foliis multipartitis ſcabriusculis, Linn. *Alcée, ou Mauve ſauvage*, Sigmars-Simeons-Kraut, Fellriß. Differt a Malva foliis diviſis & profundius inciſis; provenit in incultis. *Viribus cum Malva convenit; laudatur inprimis ad nodos & tumores ſcirrhoſos mammarum, de cancro ipſo ſuſpectos, in cataplaſmate.*

Alchimillæ majoris, Pedis Leonis, Leontopodii, Alchimillæ foliis lobatis, Linn. *Pied de Lion*, Simnau, Löwenfuß, Frauenmantel, groſſer Sanicul. Creſcit in paſcuis & pratis humidis. *Vulneraria eſt & adſtringit.*

Alliariæ, Alliaſtri, Eryſimi foliis cordatis, Linn. *Alliaire*, *Herbe des Aux*, Knoblauchkraut, Läuchelkraut. In dumetis & juxta ſepes provenit. Menſe Majo colligenda. *Folia recentia contrita Allium redolent & viribus cum Scordio conveniunt. Ad gangrænam, & ulcera cancroſa a Bærhavio commendatur.*

Alſines mediæ, Morſus gallinæ, Alſines foliis Triſſaginis, Alſines petalis bipartitis, foliis ovato-cordatis, Linn. *Morgeline*, Hünerſcherben, Vogelkraut. Ubique provenit, & etiam hyeme viret. *Externe ad ulcera & ſcabiem adhibetur; interne ſumta refrigerat & atrophia laborantibus commendatur.*

Herba Althææ, Bismalvæ, Ibiſci, *Guimauve*, Eybiſchkraut, Heylkraut. Colitur in hortis. *Adnumeratur herbis quinque emollientibus.*

Anagallidis maris, flore phœniceo, Anagallidis foliis indiviſis, caule procumbente, Linn. *Morgeline*, *Mouron*, *Anagallis le mâle*, Gauchheil, Collmarkraut, Vogelkraut, Hünerdarm. Creſcit in vinetis & hortis. *Adſcribitur vis ſingularis antimelancholica, antepilepta & antimaniaca. Antiquatam contra morſum canis rabidi virtutem impreſſa, publica autoritate divulgata, reſtituere videntur.*

Anethi hortenſis, Anethi fructu compreſſo, Linn. *Anet*, Dillkraut, Dill, Garten-Dill. Seritur in hortis. *Raro herba ſicca, niſi forſan in clyſteribus & pediluviis, in uſum vocatur.*

Anſerinæ, Argentinæ, Argentariæ, Potentillæ, Potentillæ foliis pinnatis, caule repente, Linn. *Argentine*, Genſerich, Gänßkraut, Silberkraut. Juxta ſepes & vias occurrit. Colligitur menſe Junio. *Refrigerat, adſtringit & vulneraria eſt.*

Antirrhini, majoris folio longiori, C. B. Antirrhini corollis acaudatis, calycibus flores ſuperantibus, Linn. *Muffle de Lion, de Veau*, Kalbsnaſe, Löwenmaul, Sterckkraut, Dorant. Colitur in hortis. *Virtute gaudet diuretica, & herbis antimagicis adnumeratur.*

Apalachines, Paraguay, *Thée de la Mer du Sud.* Angl. *Caſſio-berry-buſch*, *Caſſina* Floridanorum. Species eſt *Alaterni*, & ſub nomine *Apalachine* ante aliquot luſtra in Gallia celebris fuit. Ab aliis frutex *Alaternoides lauri ſerrato folio* appellatur. Non ſolum in America, ſed & in Africa reperitur. Apud Americanos magni æſtimatur, & eorum fere unicum ſolatium eſt. Hinc quotannis, ſicut apud nos, ad fontes ſalutares, ita apud illos, certo anni tempore, ad ripas maris, ubi frutex copioſe provenit, magnus eſt confluxus. Infundunt folia recentia aqua fervente & in circulo accumbentes vas hoc infuſo repletum unus alteri porrigunt. Hoc plerumque per tres dies inſequentes continuare ſolent, atque interim quilibet quantitatem horum foliorum ſecum domi transportandam colligit. *Vires hujus infuſi ſunt emeticæ, & absque omni moleſtia ventriculum purgat.*

Ex effectu indoles plantæ, quæ ad Thymelæam refertur, cognoſcitur. Ipſi etiam Americani plantam olim fuiſſe venenatam, ſed ex benedictione S. Bartholomæi ſalutarem nunc habere effectum, ſibi perſuadent. Præcipue Metallicolis & Peruani regni circa celebres illas fodinas montis Potoſi incolis ſalubris eſt medicina. Folia hæc & eorum infuſum intenſe ſunt amara. Apud Hiſpanos audiunt *Yerba de Palos* & *Yerba de Camini.* Præferri ſolent illa, *Yerba de Camini*, quæ & ab Anglis *Paraguay* vocantur: frutex vero, qui *Yerba de Palos* profert, *Caſſio-berry-buſch* inſignitur.

Ariſtolochiæ, Piſtolochiæ dictæ C. B. Ariſtolochiæ polyrhizæ J. B. Ariſtolochiæ foliis cordatis crenulatis petiolatis, floribus ſolitariis, Linn. *Ariſtoloche menue*, *Sarraſine*, *Ratelou*, Oſter-

Oſter-Luceykraut. Nonnunquam in vinetis occurrit; colitur etiam in hortis. *Vulneraria habetur, & plerumque a veterinariis, præſertim ad equorum ulcera, adhibetur.*

Herba Arnicæ, Ptarmicæ montanæ, Doronici, Plantaginis folio, *Plantain des Montagnes*, Fallkraut, Lucianskraut. Vide *Radices* Arnicæ.

Artemiſiæ vulgaris, caule & flore purpuraſcentibus, Artemiſia rubra, *Armoiſe ou Arſemiſe rouge*, rother Beyfuß, rother Buck. Eſt varietas ſequentis.

Artemiſiæ albæ vulgaris, caule ex viridi albicante, Artemiſiæ foliis pinnatifidis planis laciniatis floribus erectis, Linn. *Armoiſe blanche*, weiſſer Beyfuß, weiſſer Buck. Sponte proveniunt. *Alba & rubra virtutibus conveniunt, & inter plantas ſeu herbas vulnerarias & uterinas numerantur. Ex Artemiſia Chinenſi paratur illa lanugo, quæ* Moxa *dicitur, & in curatione podagræ per uſtionem, apud orientales gentes, celebre eſt remedium.*

Aſari, Nardi ſilveſtris, ruſticæ, *Cabaret*, *Oreille d'homme*, Haſelwurzkraut. Naſcitur in dumetis & circa caudices Corylorum, perpetuo viret. Colligenda Majo & Junio. *Vim habent folia radicis; mitiora tamen ſunt, & in parva doſi diureticum & emmenagogum præbent inſigne: raro tamen, ob nauſeam & vomitus, quos excitare ſolent, in uſum vocantur, niſi in pulveribus errhinis & pediluviis. Fortiori coctione vim emeticam & purgantem deponunt.*

Aſplenii, vide Herba Ceterach.

Auriculæ muris, vide Herba Piloſellæ.

Baſilici, Ocymi vulgatioris, medii, magni, Ocymi foliis ovatis glabris, Linn. *Baſilic*, Baſilgen, Baſilienkraut. Colitur in hortis. *Cephalica & uterina eſt.*

Beccabungæ, Anagallidis aquaticæ, folio ſubrotundo C. B. Veronicæ aquaticæ, Veronicæ racemis lateralibus, foliis ovatis planis, caule repente, Linn. *Becabunge*, Bachbungen, Waſſerbungen. In foſſis, paluſtribus & rivulis provenit. Colligenda primo vere. *Siccata raro in uſum venit; recens antiſcorbuticis adnumeranda eſt. Scirrhis viſcerum reſolvendis, ipſique podagræ, longum hujus plantæ uſum, oppoſuit Bærhavius. Succus ad integros ſcyphos, vel ſolus, vel cum ſero lactis mixtus, exhiberi poteſt.*

Belladonnæ, Solani lethalis Dod. Atropæ, Linn. *Belladonne*, *Belledame*, Tollbeeren, Wald-Nacht-Schatten. Provenit paſſim in Germania, colitur etiam in hortis. Planta eſt venenatiſſima. *Folia recentia externe impoſita, & eorum infuſum parca doſi interne ſumtum ulceribus cancroſis mederi perhibentur.*

Bellidis minoris, pratenſis, Bellidis ſcapo nudo unifloro, Linn. *Pâquerette*, *petite Marguerite*, Maßliebenkraut, Margarethen-

kraut, Gänsblumenkraut. Ubique luxuriat. *Vulneraria & pectoralis eſt, refrigerat, abſtergit & roborat.*

Herba Betæ albæ, Betæ communis viridis, *Poirée blanche*, Mangold. Colitur in hortis. *Uſus maxime eſt culinaris; in officinis a nonnullis adſcribitur herbis quinque emollientibus.*

Betonicæ, Veronicæ vulgaris purpureæ, Betonicæ corollarum lacinia labii inferioris intermedia emarginata, Linn. *Betoine*, Betonien, braune Betonien, Zehrkraut. Creſcit in pratis & montibus herbidis. Colligenda menſe junio. *Polychreſta eſt herba, atque ad multos præcipue nervorum morbos commendabilis. Folia integra, naribus intruſa, & per aliquot horæ quadrantes detenta, ſingulare quidpiam præſtare in Epiphora, ſeu Ophthalmia ſeroſa, Act. Phyſ. Med. Vol. IV. teſtantur. Vim narcoticam obſervationes nonnullorum adſtruunt.*

Boni Henrici, Lapathi unctuoſi, Tota-bonæ, Chenopodii folio triangulari, Tournefort. Chenopodii foliis triangulari-ſagittatis, Linn. *Toute bonne, Bon Henri*, guter Heinrich, ſtolzer Heinrich, Smerbel. Ubique in locis incultis, ad ſepes & parietes hortorum reperitur. *Pollet inſigni virtute in vulneribus recentibus ſanandis, & ulceribus antiquis expurgandis, ad hæmorrhoidum dolores, cum butyro frixa, ſpecificum habetur.*

Borraginis, *Borrage, Bourrache*, Borragenkraut, Borretſch. Colitur in hortis. *Antimelancholica, cordialis & alexipharmaca habetur; herba ſicca vero raro in uſum venit.*

Botryos, Botryos Mexicanæ, Ambroſioidis, Chenopodii, Atriplicis odoratæ Americanæ, Ambroſioidis Mexicanæ, Tournefort. Chenopodii foliis oblongis dentato-ſinuatis, racemis nudis multifidis, Linn. *Piment, Patte d'Oye*, Traubenkraut, Mottenkraut, Lungenkraut. Colitur hæc planta in hortis; & ante paucos annos, ſub titulo *Theæ Romanæ* ſive *Sileſiacæ*, celebris fuit. Planta tota odorata eſt, non inſuaviter graveolens, ſaporis ſubacris, reſinoſi, aromatici, amari. Vires promittit & habet. *Ad pectoris affectus, præſertim ad tuſſim ferinam, ad menſes ciendos, & fœtum mortuum ejiciendum commendatur; uſus eſt in infuſis & decoctis. Recens ſiccata & in uſum vocata vim habet inebriantem. Intra veſtes repoſita ad tineas abigendas laudat Rajus.*

Brancæ urſinæ Italicæ, Acanthi mollis Virgilii, Bauh. Acanthi foliis ſinuatis inermibus, Linn. *Acanthe, Branche ou Branque urſine*, Bärenklauen. Provenit in Italia & Sicilia. *A nonnullis refertur ad herbas quinque emollientes.*

Brancæ urſinæ Germanicæ, Spondylii, Heraclei foliolis pinnatifidis, Linn. *Branche ou Branque urſine*, Bärenklauen, Bärentatzen. Provenit in pratis humidioribus. *Spiritum vini colore eleganti viridi inficit, qui color durabilior eſt, quam ullius herbæ. Vires non ſatis examinatæ: male præcedenti ſubſtituitur.*

Herba

Herba Bugloſſæ, Bugloſſi anguſtifolii, Linguæ bovis, *Bugloſſe*, Ochſenzungen. Colitur in hortis; etiam paſſim ſponte provenit. *Cordialis & antimelancholica celebratur; ſicca tamen raro in uſum vocatur.*

Burſæ paſtoris, Herbæ cancri, Sanguinariæ, Burſæ paſtoris majoris, folio ſinuato, Thlaspi ſiliculis verticaliter cordatis, Linn. *Tabouret, Bourſe à Berger*, Täſchelkraut, Hirtentäſchlein, Seckelkraut. Occurrit in locis incultis. *Refrigerat, adſtringit & in fluxionibus ſanguinis pro ſpecifico habetur, tam interne, quam externe adhibita.*

Calaminthæ montanæ, flore magno, C. B. Meliſſæ floribus ex axillis ſuperioribus, pedunculo communi confertis, Linn. *Calamente*, wohlriechende Bergmünz. Ex regionibus calidioribus advehitur; colitur etiam in hortis. *Alexiteria, nervina, uterina & diuretica habetur, & ad Theriacam requiritur.*

Calaminthæ vulgaris, Calaminthæ agreſtis, Calaminthæ Pulegii odore, ſeu Nepetæ, Meliſſæ pedunculis axillaribus dichotomis folio longioribus caule decumbente, Linn. *Herbe aux Chats*, Kornmünz, Feldmünz, wilder Poley. In arenoſis & locis apricis provenit. Colligitur Auguſto menſe. *Diuretica & uterina eſt.*

Capilli Veneris, vide Herba Adianti nigri.

Cardiacæ, Marrubii Cardiaca dicti, Brancæ ſeu Patæ lupinæ, Lycopis, Leonuri foliis caulinis lanceolatis trilobis, Linn. *Agripaume*, wild Mutterkraut, Herzgeſpankraut, Herzgeſperrkraut. Provenit in locis aſperis & incultis, juxta ſepes & vinetorum muros. Colligenda menſe Junio. *Urinam & menſtrua movet, vermes enecat, in pectoris pituitoſis morbis convenit, atque ad infarctum & inflationem hypochondriorum infantibus commendatur.*

Cardui benedicti, Cardui ſancti, Cnici ſylveſtris, *Chardon benit*, Cardobenedictenkraut, geſegneter Diſtel, Spinnen-Diſtel. Colitur in hortis. *Polychreſta eſt & vere benedicta, atque præſertim morbis ex ventriculo oriundis medetur. Succus ſubemeticus, unciæ unius, duarum doſi febribus intermittentibus, viſcerum obſtructionibus, ictero utilis, externe ad ulcera cancroſa, putrida, imo gallica, commendatur.*

Cardui Mariæ, Lactei, Spinæ albæ, Cardi ſquamis calycinis, margine apiceque ſpinoſis, Linn. *Chardon de nôtre Dame*, Vehediſtel, Mariendiſtel. Colitur in hortis. *Pleuritidi & hepatis morbis opponi ſolet.*

Caſſinæ, vide Herba Apalachines.

Centaurii minoris, Febrifugæ, Fellis terræ, Gentianæ corollis infundibuliformibus quinquefidis, foliis lineari-lanceolatis, caule dichotomo, Linn. *Petit Centaurée*, klein Tauſendguldenkraut, Fieberkraut, Erdgallen. In ſilvis & paſcuis naſcitur.

*Omnibus morbis a bile ortis dicata eſt, ut vix præſcribatur vinum medicatum, cui non addatur Centaurium. Contra furfures & cruſtoſam capitis ſcabiem, vix præſtantius ullum decoctum reperiri, quam Centaurii ex piſorum brodio,* Rajus *perhibet. Pediculos enecare idem aſſerit. Etiam ad reliquas cutis affectiones, varos, alphos &c. conducit ſecundum* Matthiolum. *Decoctum per clyſterem infuſum, mirificum auxilium ad iſchiaticum malum eſſe, humores educere, & dolores ſedare,* Fernelius *auctor eſt.*

Herba Centumnodiæ, Centinodii minoris, Polygoni, Sanguinariæ, *Renouée, Centinode,* Wegtritt, Weggraß, Tauſendknoten, Blutkraut. Ubique ad vias occurrit. *Refrigerat & adſtringit; hinc in ſanguinis & alvi fluxionibus commendatur.*

Cerefolii, Chærefolii, Chærophylli ſativi, Scandicis ſeminibus nitidis ovato-ſubulatis, Linn. *Cerfeuil,* Körfelkraut. Colitur in hortis. Colligenda vere. *Diuretica, pectoralis, emmenagoga & lithontriptica cenſetur. Ad dolores puerperarum poſthumos ſummopere laudatur. Diuturno uſu Cancrum ſanandi ſpem alunt nonnulli ex veterum promiſſis.*

Ceterach, Scolopendrii veri, Aſplenii, Aſplenii frondibus pinnatifidis laciniis alternis adnatis, Linn. *Ceterac,* Milzkraut, Milzfarn. Ex Helvetia, ubi in montibus aſperrimis atque rupibus ad umbram ſitis provenit, adfertur. *Spleneticis, calculoſis & ictericis commendatur, atque herbis quinque capillaribus adnumeratur.*

Chamædryos, Chamædryos repentis minoris, Querculæ minoris, Teucrii foliis ovatis inciſo-crenatis petiolatis, floribus laxe verticillatis, Linn. *Germandrée, petit Chêne,* Gamanderlein, klein Bathengel, edel Gamanderlein. Provenit in montoſis, & colligitur per æſtatem. *Arthriticis, hydropicis & ſcorbuticis præprimis commendatur. Bibitur infuſum ejus loco Theæ.*

Chamæpityos, Iuteæ vulgaris, folio trifido, Ivæ arthetícæ, Ajugæ, Teucrii foliis linearibus trifidis integerrimis, Linn. *Ivette,* Erdkieffer, Feld-Cypreß, Schlagkräutlein, Je länger je lieber. Odorem ſpirat terebinthinaceum. *Balſamica eſt planta, nervina & anodyna; apoplecticis & epilepticis, vertiginoſis atque pareticis commendabilis.*

Chelidonii majoris, Chelidonii vulgaris, *Chelidoine grande eclairé,* groß Schöllkraut, Schwalbenkraut. Provenit in locis incultis circa ſepes & muros. Succum in ſe habet acrem crocei coloris. *Ictericis commendatur, & in obſtructionibus hepatis laudatur; externe egregium eſt vulnerarium, detergit & mundificat ulcera. Tota planta hydropicorum plantis pedum ſubditur.*

Cichorii hortenſis, *Chicorée,* Wegwartenkraut, Sonnenwendkraut. Colitur in hortis. *Vires ſunt eædem ac radicum; rarí tamen uſus.*

Herba

Herba Cicutæ, Cicutæ majoris, Conii ſeminibus ſtriatis, *Ciguë*, Schierling. Non in omnibus officinis eadem herba ſub nomine Cicutæ deprehenditur. Sunt, pro quibus *Cicuta aquatica Gesneri*, colligitur; aliæ *Ethuſam cynapium* vendunt, aliæ *Phellandrium aquaticum* recipiunt. Invenies etiam ubi ex *Chærophyllo tenulo* Extractum cicutæ paratur. Ipſe Linnæus pro conficiendo *Emplaſtro de cicuta* ſeligit *Cicutam aquaticam*, a quibus omnibus probe diſtinguimus noſtram. Noſtrum vero facimus & officinis noſtris commendamus eam, quæ Stœrkianis experimentis materiam dedit, circa ſepes & in dumetis occurrit, & caule ſuo maculoſo ac odore viroſo etiam indoctis non-Botanicis facile innoteſcit. *Utilem eſſe perhibent hanc Cicutam malis ſcirrhoſis, ſcrophuloſis, quæ vel reſolvit, vel ad benignam ſuppurationem redigit; cancro limites ponere, etiam acre cancroſum emendare, & ichorem in bonum pus convertere, Cataractas incipientes ſolvere, vel earum progreſſus impedire, fomentando dolores podagricos, imo tophos diſpellere, rhevmatismum & arthritidem curare.*

Cochleariæ folio ſubrotundo, Cochleariæ foliis radicalibus ſubrotundis, caulinis oblongis ſinuatis, Linn. *Herbe aux Cuillers*, Löffelkraut. Colitur in hortis, & colligitur verno tempore. *Aperitiva, diuretica & antiſcorbutica eſt. Præfertur recens ſiccæ.*

Conſolidæ majoris, Symphyti majoris, *Grande Conſoude*, Wallwurzkraut. Sponte provenit in locis humidis & circa foſſas pratorum. *Decoctis additur vulnerariis.*

Conſolidæ mediæ, Bugulæ, Ajugæ tetragono-piramidalis, Linn. *Bugle*, *Conſoude moyenne*, gulden Günſel, gulden Wundkraut. Naſcitur in pratis & paſcuis humidis. *Vulneraria cenſetur, ſubadſtringit & refrigerat.*

Conſolidæ Saracenicæ, Solidaginis, Virgæ aureæ anguſtifoliæ minus ſerratæ, Solidaginis caule erecto, racemis alternis erectis, Linn. *Verge d'or*, heydniſch Wundkraut. Sponte provenit in ſilvis. *Vulneraria eſt celeberrima & lithontriptica. Gargariſma ex decocto, faucium & columellæ morbis medetur, putredinem gingivarum & vacillationem dentium curat.*

Conyzæ cœruleæ, Aſteris conyzoidis, Senecionis cœrulei, Erigeri vulgaris, Erigeri pedunculis alternis unifloris, Linn. *Coniſe*, blau Dürrwurz, Beruf- oder Beſchreykraut. Provenit in locis ſiccis apricis. *Siccat, digerit, diſcutit, & antimagica habetur.*

Conyzæ pulicariæ, mediæ, Aſteris conyzoidis luteo flore, antidyſentericæ Hoffmanni, Conyzæ foliis lanceolatis, acutis, caule annuo corymboſo, Linn. *Coniſe jaune*, gelbe Münze, Ruhrkraut. In humidis locis naſcitur. *Ad dyſenteriam & icterum commendari ſolet. Suffitu venenatas beſtias fugare, & culices abigere, atque pulices necare, Dioſcorides auctor eſt.*

Herba Craſſulæ, Craſſulæ majoris, Fabariæ, Telephii vulgaris, Illecebræ majoris, Sedifoliis planiusculis patentibus ſerratis, corymbo-terminali nudo, Linn. *Orpin*, fette Henne, Knabenkraut, Bruchkraut, Wundkraut. Provenit in arenoſis. *Refrigerat, adſtringit & vulneraria creditur.*

Cupreſſi, Chamæcypariſſi, Santolinæ, Abrotani fœminæ, Santolinæ foliis quadrifariam dentatis, pedunculis unifloris, Linn. *Garderobbe*, Garten-Cypreſſen, Stabwurz-Weiblein. Colitur in hortis. *Anthelmintica & diuretica eſt, atque cum Abſinthio Pontico convenit.* Garderobbe *a Gallis vocatur, quia veſtes contra tineas defendit.*

Cuſcutæ majoris, Caſſuthæ, Cuſcutæ nudæ repentis filiformis, Linn. *Cuſcute*, *Goutte de Lin*, Flachsſeiden, Flachsdotter, Filzkraut. Planta eſt paraſitica. Inter linum & urticas naſcitur. Si *Thymo* innaſcitur, *Epithymum* vocatur. *Splenetica & hepatica eſt; aperit & abſtergit.*

Daturæ. Vide Herba Stramonii.

Dictamni Cretici veri, Origanum foliis tomentoſis, ſpicis nutantibus, Linn. *Dictam*, *Dictame ou Dictamne de Crete*, Cretiſcher Diptam. Ex Creta advehitur. Folia ſunt eligenda tomentoſa, recentia, odorata. *Alexipharmaca & uterina eſt; Theriacam & Diaſcordium ingreditur. Vulnerarium etiam celebratur, & ad partum difficilem, fœtum mortuum & ſecundinas expellendas, ad grana decem, in forma pulveris exhibitus, multum laudatur. Etiam in infuſo, Theæ inſtar, apud incolas Candiæ, ad febres tertianas, cachexiam, & ſudorem proliciendum, celebris eſt.*

Digitalis purpureæ, folio aſpero C. B. Digitalis calycinis foliolis ovatis acutis, corollis obtuſis: labio ſuperiori integro, Linn. *Digitale*, Fingerhut. Raro quidem in officinis reperitur; commendatur vero a *Parkinſonio*, in decocto cum radicibus *Polypodii*, tanquam *remedium ad epilepſiam ſive morbum caducum, efficax. Vomitus excitat, & alvum purgat magna cum vehementia.*

Ebuli, Sambuci humilis, arvenſis, *Yeble*, *ou Hieble*, Attichkraut. Provenit in agris & campis. *Serum educit, & eo ſine hydropicis confert.*

Endiviæ majoris, latifoliæ, Intybi hortenſis, Cichorii caule ſimplici, foliis integris crenatis, Linn. *Endive*, Andivien, Endivien. Colitur in hortis. *Refrigerat & hepati dicata eſt.*

Epaticæ, vide Herba Hepaticæ.

Epithymi, Epithymi Cretici, Caſſuthæ minoris, Cuſcutæ Thymi, *Epithyme*, Cretiſche Thym-Seyde. Ex Creta inſula advehitur; naſcitur etiam in Italia. Epithymum ſpecies eſt *Cuſcutæ*, & planta paraſitica. Epithymum vocatur, quia *Thymo*, ſicut Cuſcuta, urticis

urticis & lino adhæret. *Purgat melancholicos ſic dictos humores, urinam & menſes ciet.*

Herba Equiſeti, arvenſis longioribus ſetis, Equiſeti ſcapo fructificante nudo, caule ſterili, ramis compoſitis, Linn. *Prêle, Queue de Cheval*, Katzenwedel, Schaftheu. *Laudatur decoctum, vel infuſum ejus in exulceratione renum & veſicæ, atque hæmorrhagiis ſiſtendis.*

Ericæ, Ericæ vulgaris humilis J. B. Ericæ antheris bicornibus incluſis, corollis inæqualibus campanulatis mediocribus, foliis oppoſitis ſagittatis, Linn. *Bruyere*, Heyde, Heydekraut. Planta omnibus notiſſima, copioſe circa martiam ſilvam occurrit. Colligitur planta floreſcens. *Specifice ad nephritidem & calculum veſicæ, infuſum vel decoctum a Matthiolo laudatur: aqua deſtillata ad Ophthalmiam, inſeſſus & balnea ex decocto arthriticis & paralyticis commendantur.*

Eryſimi, Verbenæ fœminæ, Irionis, Eryſimi ſiliquis cauli appreſſis, Linn. *Velar, Tortelle*, wilder Weg-Senf. Juxta vias occurrit. *Attenuat & reſolvit, atque in morbis, a viſciditate humorum ortis, convenit, & ad* Syrupum de Eryſimo Lobelii *requiritur.*

Eupatorii cannabini Avicennæ, Trifolii cervini, Origani aquatici, Eupatorii foliis digitatis, Linn. *Eupatoire bâtarde*, Waſſerdoſten, Kunigunden-Kraut, Hirſch-Klee. Provenit circa rivulos & fluviorum ripas. *Vulneraria & antiſcorbutica habetur, & præſertim externus ejus uſus eſt. Turfi foſſores putrida ulcera pedesque tumentes, hoc & nullo alio remedio ſanare, beat.* Bœrhavius *auctor eſt. Radices hydropicis & ictericis, in infuſo commendantur, vehementer purgant, & ſerum educunt.*

Euphraſiæ flore albo, Euphragiæ, Herba ophthalmica, Euphraſiæ foliis ovatis acute dentatis, Linn. *Eufraiſe, Euphraiſe*, Augentroſt. Provenit in pratis, & ſub initium auctumni colligenda eſt. *Ictericis commendatur, & ad memoriam confortandam, nec non Ophthalmiam laudatur.*

Farfaræ, Tuſſilaginis, Ungulæ caballinæ, *Pas d'Ane, Tuſſilage*, Huflattich, Roßhub, Brandlattich. Provenit in locis humidis. *Tota planta pectus juvare fertur; folia etiam extèrne ulceribus imponuntur.*

Fœniculi, Marathri, *Herbe de Fenouil*, Fenchelkraut. Colitur in hortis. *Herba vires habet ſemine debiliores, atque raro, frequentius radix & ſemen in uſum vocantur.*

Folia Indi, Malabathri, Tamalapatri, Canellæ ſilveſtris Malabaricæ, *Feuille Indienne*, Indianiſch Blatt. Folia ſunt oblonga, acuminata, denſa & glabra, a pediculo ad apicem tribus nervis excurrentibus, odore grato, ſapore aromatico. Veterum *Malabathrum* plane incognitum eſt; noſtrum folia ſunt arboris *Canellæ Malabaricæ* in H. M. *Katou-Karva* nominatæ. Eligenda ſunt recentia, viridiuſcula, odorata. *Ad Mithridatii & Theriacæ confectionem requiruntur; alexiterica, balſamica & uterinæ ſunt virtutis, & urinam potenter movent.*

Herba Fragariæ, Trifolii fragiferi, *Herbe de fraiſier*, Erdbeerkraut. In ſilvis largus ejus eſt proventus. *Vulneraria eſt, leniter adſtringit, & hepar imprimis juvare fertur.*

Fumariæ, Fumi terræ, Fumariæ pericarpiis monospermis, Linn. *Fumeterre*, Taubenkropf, Erdrauch, Kräzheyl. Sponte provenit inter olera & in vinetis. Colligenda planta floreſcens, menſe Junio & Julio. Multum ſalis habet eſſentialis, & B. *Bærhave* cryſtallos, nitri ſimiles, in ſucco inſpiſſato obſervavit. *Inſigniter amara, ſplenetica & hepatica eſt, ſerum purificat. In morbis chronicis atque cutaneis commendatur.*

Galegæ, Rutæ capratiæ, *Galega*, Geißrauten. Colitur in hortis. *Alexipharmaca & ſudorifera eſt.*

Gallii, Gallii lutei, Gallii foliis octogonis linearibus, ramis floriferis brevibus, Linn. *Caillelait*, Megerkraut, Waldſtroh, Bettſtroh. Provenit copioſe circa vias, margines agrorum, & in collibus apricis. *Acidum in ſe continet, unde lac coagulat; ceterum vulneraria & detergens eſt.*

Gallitrichi, Hormini Sclarea dicti, ſativi ſive hortenſis, Salviæ foliis rugoſis oblongo-cordatis ſerratis: floralibus calyce longioribus, Linn. *Ormin*, Scharlachkraut. Colitur in hortis. *Raro in uſum venit. Siccat & abſtergit, atque vulnerariis adſcribitur. Sunt, qui vina hormino & floribus ſambuci mangonizant, ut illis ſaporem & odorem moſchatellinum concilient, quæ vero vina citius inebriant, atque enormes capitis dolores excitare ſolent.*

Geranii Robertiani, Gratiæ Dei, Herba Ruperti, Geranii pedunculis bifloris, foliis quinquetrive partitis: Lobis pinnatifidis, Linn. *Bec de Grue*, *Herbe Robert*, Storchenſchnabel, Ruprechtskraut, Gottesgnad, Rothlauffenkraut. Obvia eſt Geranii hæc ſpecies in ruderibus & muris vinetorum. Colligenda menſe Majo. *Vulnerarium præſtantiſſimum eſt; externe applicatum lac in mammis diſcutit, & inflammationi medetur.*

Gnaphalii montani, Elichryſi montani, flore rotundiore, Tournef. Hiſpidulæ, Rivini. Gnaphalii caule ſimpliciſſimo, corymbo ſimplici terminali, ſarmentis procumbentibus, Linn. *Pied de chat*, Feldkazen, Ruhrkraut, Haaſenpfötlein. Naſcitur in montoſis apricis locis. *Uſus eſt in decoctis & gargarismis; vulneraria eſt & ſubadſtringit. Commendatur ad tuſſim ferinam puerorum.*

Gratiolæ Limneſii, Digitalis minimæ, Centauroidis C. B. Gratiolæ floribus pedunculatis, foliis lanceolatis ſerratis, Linn. *Gratiole, Herbe à pauvre homme*, Gottesgnadenkraut, Wild-Aurin. Provenit in locis uliginoſis & pratis humidis. *Commendari ſolet hydropicis & cachecticis, febre quartana, & menſium obſtructione laborantibus. Potenter per ſuperiora, pariter atque inferiora, purgat; emmenagoga & anthelmintica eſt. Datur in ſubſtantia a granis quindecim ad drachmam ſemis,*

*semis, in infuso aut decocto a drachma una ad duas exhibere licet: sed cum grano salis propinanda, quia facile hypercatharsin excitat. Præstat infusum, lacte vel sero ejus dulci, quam vino paratum.* A Tournefortio *Speciebus pro clysteribus emollientibus additur.*

Herba Hederæ arboreæ, Hederæ communis majoris, Hederæ foliis ovatis lobatisque, Linn. *Lierre*, Eppheu, Baumwinde, Mauer-Eppheu-Blätter. In silvis reperitur, & passim muros antiquos scandens occurrit. *Sunt, qui internum usum foliorum hederæ arboreæ dissuadent, & mentis turbationem inde secutam observatum esse tradunt;* in Act. Physic. Medic. Vol. V. *vero pro specifico ad Atrophiam infantum laudantur, si dentur pulveris forma mane ad duas vel tres cultri cuspides, per tempus, ex jusculo vel cum infuso foliorum. Externe decoctum præbet mundificans, vulnerarium, & folia fonticulis superimposita affluxum concitant majorem.*

Hederæ terrestris, Chamæclema, Bœrhav. Calaminthæ humilioris, rotundiori folio, Tournef. Glechomatis foliis reniformibus crenatis, Linn. *Lierre terrestre, Terrette*, Gundelreben, Gundermann. Ubique circa sepes & parietes hortorum occurrit. Colligenda Majo & Junio. *Pectori dicata est, & quasi polychrestum & balsamicum est remedium, in sputo & mictu cruento. Succus naribus attractus, cephalalgiam etiam vehementissimam & inveteratam, non lenire tantum, sed penitus auferre*, Rajus *refert.*

Hepaticæ fontanæ, Lichenis petræi latifolii, Marchantiæ calyce communi decemfido, Linn. *Hepatique d'eau*, Stein-Leberkraut, Brunnen-Leberkraut. In puteis & circa fontes, ubi radii solares raro vel nunquam perveniunt, crescit. *Siccat, adstringit & abstergit.*

Hepaticæ nobilis, Epaticæ, Trifolii aurei, Trifolii hepatici C. B. Hepaticæ, Linn. *Hepatique noble*, Leberkraut, Guldenklee. In silvis & dumetis occurit. *Vulneraria est & subadstringit. Laudatur ad Gonorrhœam inveteratam, mictum & sputum cruentum.*

Hepaticæ stellatæ. Vide Herba Matrisylvæ.

Herniariæ, Millegranæ, Empetri, Herniariæ calycibus bractea nudis, Linn. *Turquette, Herniole*, Harnkraut, Bruchkraut. Crescit in locis aridis arenosis. Subsalsa acris & styptica est. *Commendatur in renum & vesicæ affectibus, ad urinam ciendam; prodest hernioso in pulvere exhibita.*

Hispidulæ. Vide Herba Gnaphalii montani.

Hormini. Vide Herba Gallitrichi.

Hyoscyami, Jusquiami, Fabæ suillæ, Hyoscyami foliis amplexicaulibus, Linn. *Jusquiame, Hanebane*, Bilsenkraut, Schlafkraut. Circa sepes & muros hortorum occurrit. *Raro in usum vocatur. Vires sunt anodynæ & emollientes. Cataplasma cum lacte & croco, ad urinæ suppressionem, lac abigendum, & perniones laudant.*

*Internus uſus merito ſuſpectus. Noviter tamen* Stœrck *eum extracto, ex herba recenti facto, in affectibus ſpasmodicis; convulſivis & melancholico-maniacis experimenta, felici partim cum ſucceſſu, facere cæpit; grana tria, ſex, duodecem & ultra per diem, partitis doſibus, ſuadendo.*

Herba Hyperici, Perforatæ caule rotundo, Hyperici floribus trigynis, caule ancipiti, foliis punctatis obtuſis, Linn. *Mille-pertuis*, St. Johanneskraut. Provenit circa vias, in dumetis. Colligenda cum floribus menſe Junio. *Vulnerarium, diureticum & anthelminticum eſt egregium; adnumeratur antimagicis.*

Hyſſopi, Hyſopi officinarum, ſpicatæ flore cœruleo, Hyſſopi ſpicis ſecundis, Linn. *Hyſope*, Iſop, Iſpen, Hyſſop. Colitur in hortis. *Eſt balſamica, inciſiva, & multis morbis medetur. In ſpecie ictericis, hydropicis & calculoſis prodeſt; externe ad oculorum ſugillationes commendatur.*

Jaceæ tricoloris, Trinitatis, Violæ tricoloris hortenſis, Violæ caule triquetro diffuſo, foliis oblongis inciſis, ſtipulis dentatis, Linn. *Penſée*, Dreyfaltigkeitkraut, Freyſamkraut. Nonnunquam ſponte occurrit, naſcitur etiam in hortis. *Demulcet & refrigerat, inflammationibus internis opem fert; epilepticis, infantibus præcipue, ſuccus vel ſyrupus inde paratus conferre creditur.*

Ivæ Artheticæ vide Herba Chamæpytis.

Junci odorati vide Herba Schœnanthi.

Juniperi, Juniperi foliis ſeſſilibus patentibus, Linn. Summitates Juniperi, *Sommitées de Genevrier*, Wachholder Lympf, Wachholderſproſſen. *Juniperus tota eſt balſamica, antiſcorbutica, alexipharmaca & diuretica.*

Lamii, alba linea notati, Lamii C. B. Lamii Plinii, mortui Columnæ, Galeopſidis maculatæ J. B. Milzadellæ vulgo, Lamii foliis cordatis acuminatis ſerratis petiolatis, Linn. *Archangelique, Meliſſe de montagnes.* Apud nos ubique provenit. *Prædicatur a* C. Hoffmanno *ad ſcirrhum lienis.*

Lappæ majoris, Bardanæ, Perſonatæ, *Bardane grande*, groſſe Klettenblätter. *Raro in uſum veniunt, & externe ad cutis vitia in decoctis adhibentur.*

Lavendulæ anguſtifoliæ, fœminæ, Lavandulæ foliis lanceolatis integris, ſpicis nudis, Linn. *Lavande*, Lavendel.

Lavendulæ latifoliæ, maris vulgaris, Pſeudonardi, quæ vulgo Spica, *Aſpic*, Spick. Coluntur in hortis. Hanc a præcedenti ſpecie non differre, Linnæus aſſerit. *Viribus conveniunt; vero herbæ, frequentius flores in uſum vocantur. Nervinæ & uterinæ ſunt.*

Lauri, ſive folia Lauri, Lauri foliis lanceolatis venoſis perennantibus floribus quatrifidis dioicis, Linn. *Feuilles de Laurier*, Lorbeerblätter. *Magis in uſum vocantur culinarium, quam pharmaceuticum. Poſſunt in infuſis, ſcopo diuretico & carminativo, dari.*

Herba

Herba Lauro-cerasi sive Folia Lauro-Cerasi J.B. Cerasi folio laurino, *Feuilles de Laurier-Cerise*, Kirsch-Lorbeerblätter, vulgo Mandelblätter. Arbor colitur in hortis. *Folia, in lacte cocta, saporem ei conciliant Amygdalarum, & spiritum vini super illis abstractum, suavi sapore, Persicorum nucleorum instar, imprægnant. Secundum* Linnæum *folia hæc feris tantum, sed aliis observantibus etiam hominibus, lethalia sunt; imo aquam inde abstractam deleteriam esse affirmant. Lac est antidotum. Unde lacti incocta nemini nocuerunt.*

Lichenis arborei, videatur Herba Pulmonariæ arboreæ.

Lichenis terrestris cinerei, Raj. Musco-fungus terrestris, latifolius, cinereus, hepaticæ facie. Oxon. Lichen foliis planis, subrotundis, lobatis, obtusis, calice plano ovali, lacinula propria adnato. Niveus. Linnæi Fl. Lapp. Celeberrimus *Hallerus* in opere splendidiss. *Enum. Plant. Helvet.* in agris & pascuis macilentis provenire, terræque valide adhærere scribit. *Pulvis cum pipere mixtus, ad morsus canis rabiosi laudatur, vid. Pulv. Antilyssus.*

Ligustri vulgaris, Ligustri Germanici, C.B. Phillyreæ, Dod. Ligustri, Linn. *Troesne*, Hartrigel, Reinweide, Mundholz. Sunt folia fruticis in Germaniæ sylvis ubique obvii. *Virtutem habent adstringentem. Usus eorum olim erat frequens in gargarismatibus.*

Linariæ vulgaris flore luteo, Osyridis, Antirrhini foliis lanceolato-linearibus confertis caule erecto, spicis terminalibus sessilibus, floribus imbricatis, Linn. *Linaire*, Leinkraut, Harnkraut, Stallkraut. *Diuretica est, & unguentum, ex illa paratum, hæmorrhoidum dolores sedat.*

Lini catarctici, Lini caule dichotomo, foliis ovatis lanceolatis, Lini pratensis, foliis exiguis C. B. Lini foliis oppositis ovato-lanceolatis, petalis acutis, Linn. *Lin cathartique*, Purgier-Flachs, klein Leinkraut. Floret in pascuis montosis mense Julio & Augusto. *Ob vim, quam habet cathartícam, ita vocatur; humores serosos satis valide, absque molestia, educit. Sumuntur caulis, folia & capitula exsiccata, atque in pulverem redacta, cum Cremore Tartari, vel in vino infusa. Dosis in substantia drachma dimidia, ad scrupulos duos; in infuso uncia dimidia siccæ plantæ.*

Lunariæ racemosæ minoris, Rutæ lunariæ, Osmundæ scapo caulino solitario, fronde pinnata solitaria, Linn. *Lunaire*, Mondrauten, Mondskraut. In montibus ac collibus herbidis, circa silvam martiam, provenit. *Adstringentis saporis est, refrigerat & siccat, atque inter vulnerarias plantas, & quæ ad superstitionem adhibentur, locum habet.*

Lupuli salictarii. Vide Flores Lupuli.

Lysimachiæ luteæ, Lysimachiæ luteæ majoris vulgaris, Lysimachiæ paniculatæ, racemis terminalibus, Linn. *Lysimachie*

ou Corneille, Weiderich, gelber Weiderich. In ſilvis, locis humidis, & ad rivos occurrit. *Vulneraria eſt; raro autem in uſum venit medicum.*

Herba Lyſimachiæ purpureæ, floribus ſpicatis, foliis conjugatis. Salicariæ. Lythrum Linn. *Lyſimachie rouge*, rother Weiderich. *A laxitate ortas dyſenterias & diarrhoeas, etiam annoſas, expurgatis primum ſordibus, curare, nova tentamina comprobarunt, dum drachma una vel ſcrupuli quatuor pulveris hujus plantæ, mane ac ſero dantur.*

Majoranæ, Majoranæ æſtivæ, Amaraci, Sampſuchi, Origani foliis ovatis obtuſis, ſpicis confertis compactis, pubeſcentibus, Linn. *Marjolaine*, Majoran, Maſeran. Colitur in hortis. *Balſamica, cephalica, uterina & errhina eſt planta, nec non aromatica, & in uſum venit culinarium.*

Malvæ vulgaris, pumilæ, ſilveſtris folio rotundo, flore minori, *Mauve*, Pappeln, Käßpappeln, Haſenpappeln. Creſcit circa ſepes & inculta. *Adſcribitur herbis emollientibus. Veteres illam in uſum culinarium vocabant.*

Mari veri Syriaci, Teucrii foliis ovatis utrinque acutis integerrimis, floribus ſolitariis ſpicatim digeſtis, Linn. *Marum*, Amberkraut, Maſtichkraut. *Thymbræ* eſt ſpecies, & a *Tournefort. Thymbra Hiſpanica, Majoranæ folio*, vocatur. Colitur in hortis. *Balſamica eſt, & inter medicamenta cephalica, ptarmica, diuretica & carminativa excellit. In vitris probe obturatis ſervari debet.*

Marrubii albi, Praſſii, Marrubii denticulis calycinis ſetaceis uncinatis, Linn. *Marrube blanc*, weiſſer Andorn. Colitur in hortis; nonnunquam etiam circa rudera ſponte naſcitur. Colligenda menſe Junio. *Calefacit & ſiccat; uteri & pectori affectibus dicata eſt, atque nephriticis & hydropicis commendatur. Ptyalismum mercurialem juvare*, Linnæus *innuit.*

Marrubii nigri, Ballote dicti, nigri fœtidi, Ballotæ foliis cordatis indiviſis ſerratis, Linn. *Marrube noir, puant*, ſchwarzer Andorn. Sponte circa ſepes hortorum naſcitur. *Commendatur ad hypochondriacos & hyſtericos affectus.*

Matricariæ, Artemiſiæ tenuifoliæ, Parthenii minoris, Matricariæ foliis compoſitis planis: foliolis ovato-inciſis, pedunculis ramoſis, Linn. *Matricaire, Eſpargoutte*, Mutterkraut, Mettrich. Colitur in hortis. Folia & flores ſimul colliguntur. *Ad uteri morbos frigidos, flatulentiam & renum calculum commendatur: tam interne, ſcilicet in infuſis, quam clyſteribus adhibetur. Imponitur mammis ad lac diſcutiendum.*

Matriſilvæ, Hepaticæ ſtellatæ, Aparine latifolia humilior montana Raj. Aſperulæ, foliis octonis lanceolatis, floribus fuſciculatis pedunculatis, Linn. *Muguet de bois*, Waldmeiſter, Stern-

Sternleberkraut, Herzfreud. Eſt *Aparine latifolia humilior montana Tournefort.* Naſcitur in ſilvis. Colligenda menſe Majo. *Vulneraria eſt & hepati dicata.*

Herba Meliloti, Meliloti vulgaris, Trifolii odorati, Trifolii floribus racemoſis, leguminibus nudis diſpermis, caule erecto, Linn. *Melilot*, Steinklee, Honigklee. Ad agrorum margines & inter ſegetes creſcit. Colligenda cum floribus, qui vel albi vel lutei. *Emollit & dolores mitigat. Ad emplaſtrum ejus nominis requiritur.*

Meliloti cœruleæ, odoratæ, Loti hortenſis odoræ, Trifolii ſpicis oblongis, leguminibus ſeminudis mucronatis caule erecto, Linn. *Melilot bleu*, Siebengezeit, zahmer blauer Steinklee. Colitur in hortis. *Alexipharmaca, anodyna, diuretica & vulneraria eſt. Ab Helvetis caſeis viridibus, quos* Schaabzieger *vocant, admiſcetur. Flores cœrulei cum herba Rutæ hortenſis in butyro cocti, unguentum exhibent ophthalmicum, laude dignum.*

Meliſſæ hortenſis, Citratæ, Citronellæ, Meliſſæ floribus ex axillis inferioribus ſubſeſſilibus, Linn. *Meliſſe*, Meliſſen, Mutterkraut, Citronen-Meliſſen, Bienenkraut. Colitur in hortis. *Vires habet ſtomachicas, carminativas, nervinas atque uterinas.*

Meliſſæ Turcicæ, Peregrinæ folio oblongo, Citraginis Turcicæ, Dracocephali floribus verticillatis, bracteis lanceolatis: ſerraturis capillaribus, Linn. *Meliſſe Turque*, Türkiſche, fremde Meliſſen. Colitur in hortis. *Viribus cum antecedente convenit.*

Meliſſophylli Fuchſii, Lamii montani Meliſſæ folio, Meliſſæ humilis latifoliæ, maximo flore, Tournefort. Melittis, Linn. *Meliſſe ſauvage*, Wald-Meliſſen. Provenit in ſilvis montoſis. Colligenda menſe Junio & Julio. *Laudatur tanquam incomparabile remedium ad renum & veſicæ affectus, & in retentione urinæ, quæ non a calculo oritur, feliciter adhibetur.*

Menthæ criſpæ, ſativæ, rotundifoliæ criſpæ, ſpicatæ, cruciatæ, Menthæ floribus ſpicatis, foliis cordato-dentatis, undulatis ſeſſilibus, Linn. *Menthe crêpue, Beaume*, Krauſemünz, Kreuzmünz. Colitur in hortis. Colligenda menſe Junio & Julio. *Balſamica, ſtomachica, uterina & carminativa eſt. Lac in mammis coagulatum ſuperimpoſitam reſolvere perhibent.*

Mercurialis, annuæ, glabræ, vulgaris, Mercurialis caule brachiato, foliis glabris, Linn. *Mercuriale*, Bengelkraut, Hundskohl. Provenit coliturque in hortis & vineis. *Emollit, alvum movet, & herbis quinque emollientibus adſcribitur.* Cavendum eſt: ne *Mercurialis caule ſimpliciſſimo, foliis ſcabris*, quippe quæ ſubvenenata eſt, in uſum vocetur. Quamvis & noſtram *Linnæus* pro ſuſpecta habeat.

Millefolii albi, Achilleæ vulgaris, Achilleæ foliis duplicato-pinnatis glabris, laciniis linearibus acute laciniatis, Linn. *Mille-*

*feuille*, Garbenkraut, Schafgarben, Tauſendblatt. Ad viarum & agrorum margines occurrit; floret per æſtatem, & colligenda eſt floreſcens. *In fluxibus ſanguinis compeſcendis, præcipue affectibus hæmorrhoidalibus convenit, & ſummo jure ad tonica referri poteſt. Adſcribitur etiam vis alexipharmaca, vulneraria & lithontriptica. Infuſum theiforme haud ingratum, etiam phthiſicis commendabile.* Millefolium *in deſtillatione exhibet oleum cæruleum, ſicut Chamomilla.*

Herba Millegranæ, vide Herba Herniariæ.

Morſus Diaboli, Succiſæ, *Succiſe*, Abbiß, Teufels-Abbiß. Creſcit in pratis. *Cum ſcabioſa convenit, & vulneraria eſt; raro autem in uſum venit, frequentius radix.*

Morſus gallinæ, vide Herba Alſines.

Myrti, folia Myrti, Bœticæ ſilveſtris & ſativæ, communis Italicæ, Myrti floribus ſolitariis, calyce fructus diphyllo, Linn. *Myrte*, Myrthenblätter. Myrtus colitur in hortis apud nos; ſponte provenit in regionibus calidioribus. *Folia adſtringunt, & præprimis maſticata, vel decoctum inde paratum, gingivis relaxatis ſcorbuticorum medentur.*

Napelli, vide Herba Aconiti.

Naſturtii aquatici, ſupini, Cardamines, Siſymbrii, Siſymbrii aquatici, Siſymbrii foliis pinnatis, foliolis ſubcordatis, Linn. *Creſſon d'eau*, Brunnen-Kreſſe, weiſſer Kreſſe. Provenit in aquoſis; colligitur verno tempore. *Incidit, aperit & reſolvit; recens in juſculis medicatis, ſuccusque expreſſus ſpecifice in ſcorbuto commendantur. Doſis eſt uncia ſemis.*

Nepetæ, Menthæ cattariæ, Nepetæ floribus interrupte ſpicatis pedunculatis, Linn. *Herbe aux Chats*, Kazen-Münz. Sponte circa margines agrorum, & in incultis provenit. *Commendatur ictericis, aſthmaticis, nephriticis, tuſſientibus, in infuſo.*

Nicotianæ majoris, Peti, Tabaci, Hyoſciami Peruviani, Nicotianæ foliis lanceolatis, Linn. *Tabac*, Taback. Nomen ab *Johanne Nicotio*, Regis Galliæ ad Luſitaniæ Regem oratore, qui ſemen Nicotianæ vulgaris, a Belga quodam, ex Florida allatum, primus in Galliam miſit. Colitur in agris & hortis. *Vires habet abſtergentes, incidentes, reſolventes, anodynas, vulnerarias, vomitorias & ſternutatorias; clyſteribus additur in affectionibus ſoporoſis. In uſum medicum vocari debent folia probe ſiccata, lutei coloris, non Tabacum jam præparatum & contortum.*

Nummulariæ, Centummorbiæ, Lyſimachiæ foliis ſubrotundis, floribus ſolitariis caule repente, Linn. *Nummulaire*, Pfenningkraut, Egelkraut, Schlangenkraut. Provenit in locis humidis & herboſis, menſe Majo colligenda. *Antiſcorbutica, vulneraria & antiphthiſica eſt.*

Ocymi, vide Herba Baſilici.

Herba

Herba Ophiogloſſi, Echiogloſſi, Linguæ ſerpentariæ, Ophiogloſſi fronde ovata, Linn. *Langue de ſerpent*, Natterzünglein. Provenit in pratis & paſcuis humidis, montoſis. *Egregium eſt vulnerarium, tam interne exhibitum, quam externe applicitum. A Rajo ad ramices, vel in forma pulveris, vel in decocto exhibitum, laudatur. Oleum, per infuſionem paratum, ad vulnera recentia, & ulcera inveterata, nec non ad ramices, valdopere commendatur; præſertim, ſi Terebinthina addatur.* Parckinſon.

Origani Cretici, Origani foliis ovatis acutis glabris: venis ſcabris, ſpicis tetragonis, Linn. *Origan de Crete*, Cretiſche Doſten, Cretiſcher Wohlgemuth, Spaniſcher Hopfen. Ex Creta inſula advehitur. Eligi debent ſpicæ recentes odoratæ. *Aperit, reſolvit, urinam & menſtrua movet.*

Origani vulgaris, ſilveſtris, Cunilæ bubulæ Plinii, Origani foliis ovatis, ſpicis laxis erectis confertis paniculatis, Linn. *Origan*, gemeiner Wohlgemuth, Doſten, Frauendoſten. Naſcitur in dumetis, & amat locos apricos. *Abſtergit & aperit, ad pulmonum, hepatis & uteri affectus commendatur; lac augere etiam perhibent. Sacculus, origano repletus, atque cereviſiæ probe lupulatæ calefactæ immerſus, ad urinam movendam pectini bono cum effectu imponitur.*

Parietariæ majoris, vulgaris, Helxines, Parietariæ foliis lanceolatis ovatis, Linn. *Parietaire*, Tag und Nachtkraut, St. Peterskraut, Nachtkraut, Glaßkraut. Colitur apud nos in hortis. *Abſtergit, refrigerat, & ad herbas quinque emollientes refertur. Succus expreſſus, vel infuſum ſaturatum, nephriticis & hæmoptoicis commendari meretur.*

Parthenii, vide Herba Matricariæ.

Pentaphylli lutei, Quinquefolii, *Quinte-feuille*, Fünffingerkraut. Provenit in locis arenoſis campeſtribus. *Vulnerariis & adſtringentibus herbis adnumeratur.*

Perfoliatæ, Perfoliatæ vulgaris, annuæ arvenſis, Bupleuri involucro univerſali nullo, foliis perfoliatis, Linn. *Perce-Feuille*, Durchwachs. Colitur in hortis, & nonnunquam ſponte inter ſegetes provenit. *Adſtringit & roborat; decoctis vulnerariis additur, & hernioſis commendatur.*

Perforatæ, vide Herba Hyperici.

Petroſelini vulgaris hortenſis, *Perſil*, Peterlein, Peterſilien-Kraut. Seritur in hortis. *Aperit & urinam movet; raro in medicum, frequentius in culinarium uſum vocatur.*

Piloſellæ montanæ hiſpidæ, vide Herba Gnaphalii montani, ſive Hiſpidulæ Rivini.

Piloſellæ majoris, repentis hirſutæ, Auriculæ muris, Piloſellæ luteæ, Hieracii foliis integerrimis ovatis, caule repente,

ſcapo unifloro, Linn. *Piloſelle*, *Oreille de ſouris*, **Mausöhrlein**, **gelbe Mausöhrlein.** Creſcit in montoſis, aridis & arenoſis. *Pectoralibus & vulnerariis plantis adſcribitur. Decoctum ulceribus ſinuoſis inveteratis injicitur, atque ad collutiones, in oris, faucium & columellæ vitiis, laudabilem præſtat opem.*

Herba Pimpinellæ ſanguiſorbæ, *Pimprenelle ſanguiſorbe*, **welſcher Biebernell**, **Kölbleinskraut**, **Blutkraut.** Naſcitur in pratis humidis. *Virtute pollet adſtringente, diuretica & vulneraria.*

Pimpinellæ, Saxifragæ majoris, Bimpinellæ, *Pimprenelle ſaxifrage*, **Biebernell**, **Bockspeterlein**, **Steinpeterlein.** Provenit in locis incultis, campeſtribus. *Aperit, abſtergit, urinam movet & vulneraria cenſetur.*

Plantaginis anguſtifoliæ, Quinquenerviæ minoris, Plantaginis foliis lanceolatis, ſpica ſubovata nuda, ſcapo angulato, Linn. *Plantain long*, **ſpitziger Wegerich**, **Hunde-Rippe.** *Cum ſequente convenit. Succus laudatur ad febres intermittentes.*

Plantaginis majoris, latifoliæ, Arnogloſſi, Septinerviæ, *Plantain majeur*, **breiter Wegerich.** Ubique juxta vias creſcit. *Refrigerat, ſiccat & adſtringit; adhibetur in decoctis vulnerariis & gargariſmis.*

Polii Cretici, montani, anguſtifolii, Teucrii foliis lanceolato-linearibus integerrimis ſubſeſſilibus, floribus ſolitariis pedunculatis, Linn. *Polium de Crete*, **Cretiſcher Berg-Poley.** Naſcitur in Creta inſula. Eligenda recens & odorata. *Ad Theriacæ compoſitionem requiritur; urinam & menſes movet.*

Polii montani lutei, maritimi erecti Monſpeliaci, Teucrii corymbo terminali, foliis lanceolatis integerrimis, Linn. *Polium de montagne*, **Berg-Poley**, **mit gelber Blüthe.** Ex Gallia advehitur, ubi in Provincia, Delphinatu & Languedocia frequenter naſcitur. *Cum præcedenti ratione virium convenit, & ejus eſt ſuccedaneum. Sylvius adſcribit vim antepilepticam; alii maniacis & noctambulis commendant.*

Polygalæ C. B. Ambarvalis, Dod. Polygalæ floribus criſtatis racemoſis caulibus herbaceis ſimplicibus procumbentibus, foliis lineari lanceolatis, Linn. *Polygale*, **Creuz-Blumen.** Plantæ hujus, quæ in pratis ſiccioribus, & ad margines eorum occurrit, qua huc usque in officinis noſtris nondum uſi ſumus, hic mentionem facimus, propter characterem & eximias virtutes reſolventes, quas cum *Polygala Virginiana* communes habet. Vide Radix Seneka.

Polygoni. Vide Herba Centumnodiæ.

Polytrichi aurei. Vide Herba Adianti aurei.

Potentillæ. Vide Herba Anſerinæ.

Praſii. Vide Herba Marrubii albi.

Herba

Herba Prunellæ, Conſolidæ minoris, Brunellæ vulgaris, Brunellæ bracteis cordatis, Linn. *Prunelle ou Brunelle*, Prunellenkraut, Gottheyl, St. Anthonikraut. Creſcit in montoſis & herboſis locis. *Refrigerat & leniter adſtringit; celebratur vulneraria & antiſcorbutica; adhibetur recens in juſculis, & ſicca in decoctis in gargariſmis ad faucium inflammationem.*

Ptarmicæ vulgaris, folio ſerrato, flore albo, Dracunculi ſerrato folio pratenſis, Pyrethri germanici, Achilleæ foliis integris minutiſſime ſerratis, Linn. *Ptarmica*, wilder Bertram, Beruffkraut, weiſſer ſpitziger Rheinfarn. Indigena eſt; in pratis humidis & foſſis creſcit. *Naribus indita ſternutationem movet; ſunt, qui acetariis addunt recentem herbam, ad eorum frigiditatem corrigendam.*

Pulegii hortenſis, Pulegii cervini, anguſtifolii, Menthæ floribus verticillatis, foliis ovatis obtuſis ſubcrenatis, Linn. *Puliot*, Poley. Colitur in hortis. Colligenda menſe Junio & Julio. *Aperit, attenuat & ad plantas nervinas refertur; ad tuſſim ferinam & raucedinem pertinacem, aliosque pectoris & uteri morbos ſpecifice commendatur; præcipue menſes imo fœtum pellere creditur.*

Pulmonariæ arboreæ, Muſci arborei pulmonarii, vocatur etiam Lichen arboreus, Lichenis foliacei repentis laciniati obtuſi glabri, ſupra lacunoſi, ſubtus tomentoſi, Linn. *Pulmonaire de chêne*, Lungenkraut, gemein Lungenkraut. In ſilvis occurrit, & plerumque quercubus aliisve arboribus adnaſcitur. *Siccat & adſtringit; vulgo ad pulmonum affectiones adhibetur. In Ephem. Nat. Cur. Ann. III. Obſerv. 290. ad icterum, omnium Medicorum ſolertiam eludentem, efficax remedium, celebratur.*

Pulmonariæ maculoſæ latifoliæ, Symphyti maculoſi, Echii folio, Pulmonariæ foliis radicalibus ovato-cordatis, Linn. *Pulmonaire*, Flecken-Lungenkraut. Colitur in hortis; occurrit etiam in ſilvis, foliis anguſtioribus. Colligenda Aprili menſe. *Uſus eſt in affectibus pulmonum, ulceribus, phthiſi & exſpuitione ſanguinis.*

Pyrolæ rotundifoliæ, Limonii Cordi, Pyrolæ ſtaminibus aſcendentibus, piſtillis declinatis, Linn. *Pyrole*, Wintergrün, Holz- oder Wald-Mangold. Provenit in montoſis ſilvis. *Refrigerans, adſtringens, conſolidans & vulneraria eſt.*

Quercus, Folia Quercus, Quercus foliis annuis oblongis ſuperne latioribus, ſinubus acutioribus, angulis obtuſis, Linn. *Feuilles de chêne*, Eichenlaub. Quercus ubique occurrit. Colligantur folia tenella. *Adſtringunt, & in gargarismis atque decoctis externe adhibentur.*

Rorellæ, Roris ſolis, folio ſubrotundo, Droſeræ ſcapis radicatis, foliis orbiculatis, Linn. *Ros ſolis, ou Herbe de la Goutte*, Sonnenthau. In humidis & paluſtribus inter muſcos provenit.

Colligenda Junio menſe. *Abſtergit & incidit. Acrimonia quadam dotata eſt hæc planta, ob quam nonnulli ejus uſum diſſuadent. Maxime ovibus noxia a* Rajo *cenſetur, quia pulmones eorum adurit, & tuſſim lethalem excitat.*

Herba Rorismarini, Libanotidis, Rosmarini lati & anguſtifolii; *Romarin*, Roßmarin. Colitur in hortis. *Tota planta eſt balſamica, nervina, cephalica & uterina; interne & externe in uſum vocatur. Herba recens, axungia anguillæ infuſa, & ad ſolem digeſta, pro remedio habetur ad gravem auditum.*

Rubi vulgaris, Rubi fructu nigro, Rubi foliis quinato-digitatis ternatisque, caule petiolisque aculeatis, Linn. *Feuilles de Ronce*, Brombeer-Laub. Creſcit in ſilvis & dumetis. *Adſtringit & in gargariſmis adhibetur.*

Rutæ hortenſis, vulgaris, latifoliæ, ſativæ, Rutæ foliis decompoſitis, Linn. *Ruë*, Gartenrauten, Weinrauten. Colitur in hortis, & colligitur, dum floret. *Alexipharmaca, cephalica, nervina, uterina & diuretica eſt. Succus ut antbelminticum & antepilepticum celebratur. Herba, mammis impoſita, lac diſcutit. Olim erat magnæ contra faſcinum & venena laudis.*

Rutæ capratiæ, vide Herba Galegæ.

Rutæ murariæ, vide Herba Adianti albi.

Sabinæ, Savinæ vulgaris, Tamariſci folio, Juniperi foliis inferne adnatis: oppoſitionibus concatenatis, Linn. *Sabine*, Sevenbaum, Sadebaum, Mägdebaum. Colitur in hortis. *Calefacit, incidit, diſcutit, urinam movet; ob vim, menſes ciendi, ſuſpectis mulierculis nunquam dari debet; externe decoctum ad gangrænam & ulcera mali moris commendabile eſt.*

Salicis, folia Salicis vulgaris albæ, *Feuilles de ſaule*, Weidenblätter, Felbenblätter. Ubique occurrunt. *Refrigerant, ſiccant, & adſtringunt; uſus eſt externus & in gargariſmis.*

Salviæ hortenſis, majoris & minoris, Salviæ foliis lanceolato-ovatis crenulatis, floribus ſpicatis, calycibus acutis, Linn. *Sauge*, Salbey. Colitur in hortis, & floreſcente planta colligi debet. Vocatur a Paulino: *Herba ſacra. Eſt nervina, balſamica, uterina & tam externe, quam interne in uſum vocatur. Vinum ſalviatum a* Sebizio *commendatur mulieribus, quæ ob frigiditatem uteri infœcundæ ſunt. Camphoram largitur.*

Salviæ ſilveſtris, Scorodoniæ, Salviæ agreſtis C. B. Teucrii foliis cordatis ſerratis petiolatis, ſpicis laxis ſecundis, Linn. *Sauge ſauvage*, wilde Salbey. In pratis & dumetis provenit. *Inter vulnerarias plantas eminet, menſes & urinam ciet.*

Sampſuchi, vide Herba Majoranæ.

Herba

Herba Saniculæ, Saniculæ quinquefoliæ, Diapenſiæ, *Sanicle*, Sanickel, Bruchkraut. Naſcitur in ſilvis & montoſis. *Refrigerat & adſtringit; vulneraria eſt, & fere omnia decocta vulneraria ingreditur.*

Santolinæ, vide Herba Cupreſſi ſeu Abrotani fœminæ.

Saponariæ, majoris, lævis, Lychnidis Saponariæ dictæ, *Saponaire*, Seiffenkraut. In arenoſis, juxta rivulos & torrentes, naſcitur; colligenda menſe Junio, dum floret. *Attenuat, aperit & ſudorem movet; externus uſus in ſcabie & cutis vitiis commendatur.*

Saturejæ ſativæ, hortenſis, Cunilæ ſativæ, Saturejæ pedunculis bifloris, Linn. *Sariette*, Saturey, Garten-Iſop, Bohnenkraut. Naſcitur in hortis, & menſe Auguſto colligenda. *Stomachica, carminativa, diuretica & uterina eſt. Etiam in uſum cedit culinarium.*

Saxifragiæ albæ, vulgaris, rotundifoliæ, radice granuloſa, *Saxifrage*, weiſſer Steinbrech, Steinbrechkraut. Provenit in pratis & paſcuis arenoſis humidioribus. Colligenda cum floribus ſub finem Aprilis, vel initium Maji. *Uſus eſt in ſabulo & calculo renum pellendo.*

Scabioſæ, vulgaris majoris, pratenſis, foliis laciniatis, Scabioſæ corollulis quadrifidis, corollis radiatis, Linn. *Scabieuſe*, Scabioſen, Apoſtemkraut. Creſcit in paſcuis & ad margines agrorum. Colligitur menſe Junio & Julio. *Alexipharmaca, traumatica & pulmonica eſt, atque a Bærhavio ſummopere ad pectoris morbos commendatur.*

Scariolæ, vide Herba Endiviæ.

Sclareæ, vide Herba Gallitrichi ſive Hormini.

Schœnanti, Junci odorati aromatici, Gramen Orientale aromaticum, panicula ampla, *Schœnant, Jonc Oriental odorant*, Cameelheu, Cameelſtroh. Eſt gramen dactylon aromaticum, multiplici panicula, ſpicis brevioribus tomentoſo-candicantibus, ex eodem pediculo binis, *Pluckenetii. Andropogon paniculæ ſpicis conjugatis ovatis. Linn.* Affertur ex *Arabia*. Eligendum ſpica non orbatum, &, quod eſt ſaporis acris, amaricantis & ſuavis, odoris fragrantis. *Calefacit, ſubadſtringit & diſcutit, urinam & menſes ciet, capiti & ventriculo gratum eſt; purgantibus tanquam corrigens addi ſolet, & ad Theriacæ compoſitionem requiritur.*

Scolopendrii veri, vide Herba Ceterach.

Scolopendrii vulgaris, majoris, Lonchitidis, Linguæ cervinæ, Phyllitidis, Aſplenii, frondibus enſiformibus integris, baſi cordato-inflexis, petiolis hirſutis, Linn. *Langue de cerf*, Hirſchzungen. Colitur apud nos in hortis; ſponte provenit in rupibus Tirolis & Helvetiæ. *Pertinet ad herbas quinque capillares, & easdem habet virtutes. Pulvis herbæ exſiccatæ ad palpitationem cordis, ſuffocatio-*

*nem uteri, & motus convulsivos specifice a* Rajo *commendatur. Vulneraria & antiscorbutica est planta.*

Herba Scordii Cretici, *Scordium de Crete*, Cretischer Lachen-Knoblauch. Ex *Creta* insula advehitur. Eligenda recens, foliacea, odorata, redolens Allium, saporis amaricantis.

Scordii nostratis, Chamædryos aquaticæ, allium redolentis, palustris, Teucrii foliis ovato-lanceolatis sessilibus, floribus subbiatis, Linn. *Germandrée d'eau*, *Scordium*, Lachen-Wasser-Knoblauch, Wasser-Bathenig. Nascitur in palustribus. Colligenda mense Junio & Julio. *Alexipharmacum, sudoriferum, pectorale & anthelminticum medicamentum est, & præcedenti Cretico substitui solet in Theriacæ compositione.*

Scrophulariæ aquaticæ, vulgaris, nodosæ fœtidæ C. B. *Scrophulaire*, *Scordium*, Braunwurz, Feigwarzenkraut. Floret Junio, & in palustribus, & fluviorum ripis provenit. Colliguntur folia, florescente planta, atque in umbra per decem vel duodecim dies siccantur, & tandem per aliquot horas soli exponuntur. *Virtute gaudent vulneraria, tam externe, quam interne in usum vocata. Ad odorem & nauseosum saporem* Sennæ *corrigendum commendantur, &* Yquetayæ Brasilienſi *substituuntur.* Vide infra: Folia Sennæ.

Scrophulariæ minoris, Chelidonii minoris, Ranunculi verni, rotundifolii minoris, Raj. *Petite Chelidoine*, Scharbocks-kraut, klein Schöllkraut. Nascitur in humidis. Colligenda Majo. *Ad plantas antiscorbuticas refertur, & cum reliquis antiscorbuticis plantis recens, siccata vero, utpote virtute fere orbata, raro in usum venit.*

Sedi, Vermicularis flore flavo, Sedi, foliis subovatis adnato sessilibus gibbis erectiusculis alternis, racemo triplici, Linn. *Sedum ou Cedon*, Mauer-Pfeffer, Katzen-Träublein, klein Hauswurz. Ex parietibus & muris vinearum & ruderum nascitur. *Saporem acrem fervidum præbet, & pro specifico antiscorbutico habetur.*

Senecionis, Erigeri vulgaris, Senecionis corollis nudis, foliis pinnato-sinuatis amplexicaulibus, floribus sparsis, Linn. *Seneçon*, Creutzwurz, Grindwurz-Kraut, nostris Goldkraut. In hortis, arvis & inter olera occurrit, atque omni anni tempore floret. Colligenda est ante florum pappescentiam. *Maxime efficax est, atque scorbuticis, arthriticis, ictericis, vulgo etiam ad convulsiones & tormina infantum succus expressus commendatur.*

Sennæ, Folia Sennæ Alexandrinæ, Cassiæ foliolis tripennibus quadripinnibusque subovatis, Linn. *Sené*, *Feuilles de Sené*, Sennetblätter. In Syria, Persia, Arabia & Ægypto colitur Senna. Optima censentur folia acuta, quæ ex Alexandria advehuntur, coloris sunt pallido-vel flavo-virideſcentis, saporis subacris, amaricantis, nauseosi, recentia & a stipitibus liberata. Italicæ Sennæ folia sunt latiora & obtusiora, saporis magis subdulcis & glutinosi, atque vilioris pretii & vir-

virtutis. *In classem purgantium usitatissimorum pertinent. Flatulentiam excitare solent; hanc ob causam Zinziberis, Galangæ & Cinnamomi additione corrigi debent. Nauseoso vero sapore, per additionem portionis æqualis foliorum* Scrophulariæ aquaticæ, *orbantur, sicut experimentum fecit Dn.* Marchantius. Eph. Acad. Reg. Paris. 1701. *Dosis in substantia drachma una; in infuso ad quatuor, usque sex, ascendere licet; per longam coctionem virtute privantur laxativa; præstat igitur, aqua infundere bulliente, & infusum post digestionem exhibere.* Huc etiam pertinent

Sennæ Folliculi, *Follicules ou Ecosses de Senè*, Sennetbälglein. Sunt capsulæ sive siliquæ seminales Sennæ sulcatæ, recurvæ, semilunares, compressæ, continentes semina nigricantia. *Nonnulli eos foliis præferre volunt; sed experientia docet, magis flatulentos esse, quam folia.*

Herba Serpilli vulgaris, minoris, Serpilli silvestris repentis, Thymi floribus capitatis, caulibus repentibus, foliis planis obtusis basi ciliatis, Linn. *Serpolet*, Quendel, Feld-Poley, Künlein. Crescit in siccioribus, montosis & sabulosis. Colligenda, dum floret, Junio vel Julio. *Cephalica, stomachica, diuretica & uterina est planta, atque tam externe, quam interne, in usum vocari potest. Urinam & sudorem movet; usus in infuso, Theæ instar, est. Externe ad cucuphas, pediluvia, gargarismata & fomentationem adhibetur.*

Sideritidis, hirsutæ, procumbentis, Sideritidis foliis lanceolatis subdentatis, bracteis cordatis dentato-spinosis, calycibus æqualibus, Linn. *Crapaudine*, Gliedkraut, Wundkraut, Feld-Andorn, Beruf- oder Beschreykraut. In agris siccioribus, sabulosis apricis provenit. *Vulneraria & arthritica est; subadstringit & urinam movet. Balnea ex aqua, in qua Sideritis cocta, mulieres ad infantum atrophiam, ab incantatione putatitia ortam, commendare solent, unde nomen* Beruf- oder Beschreykraut.

Solani, Solatri nigri, Solani caule inermi herbaceo, foliis ovatis angulatis, Linn. *Morelle*, Nachtschatten oder Saukraut. Circa sepes & inter olera nascitur. Colligitur, dum floret. *Refrigerat & anodyna est. Nunquam interne, raro externe in usum vocatur.*

Soldanellæ, Brassicæ marinæ, Convolvuli marini rotundifolii, Convolvuli foliis reniformibus, Linn. *Chou marin*, Meerkohl, Meerwinde, Meerglöcklein. Per terram suas spargit viticulas, ex quibus folia prodeunt subrotunda, retusis alis prædita, latiora, quam longa, *Chelidonii minoris* similia, crassiuscula, liquore lacteo manantia, pediculis longis innixa; flos magnus, purpureus, quadrantalis fere, campanulatus. Crescit in maritimis Galliæ, Angliæ & Italiæ. *Planta est in totum ventriculo inimica, acris; vehementissime alvum ciet. Coquitur, propter acrimoniam, cum pingui carnis jusculo; Valide serum educit; hinc* Altomarus, *Medicus ille celebris, usum Soldanellæ disuadet, atque potius noxam inferre, quam auxilium hydropicis præstare perhibet.* Raj. in Hist. Plantar. *Dari solet in pulvere drachma una, in infuso vel decocto uncia semis.*

Herba Squinanti, vide Herba Schœnanti.

Stramonii, Solani Maniaci Dioſc. Solani fœtidi, pomo ſpinoſo oblongo, flore albo, C. B. Daturæ fructu ſpinoſo erecto, calyce pentagono, Linn. *Pomme épineuſe*, Stechapfel. Creſcit in incultis. *Planta hæc ſemper pro venenata habita, ſolo odore inebriare & mentem turbare credita eſt. Ill.* Stœrkius, *capto in ſe ipſo experimento, non adeo deleteriam invenit, & poſtea diverſis inſtitutis tentaminibus, eos, quos inducere perhibebatur morbos, maniam ſcilicet & epilepſiam, extracto inde parato, curaſſe ſibi perſuaſit.*

Tamariſci, germanicæ, ſilveſtris, fruticoſæ, Tamaricis floribus decandris, Linn. *Tamaris*, Tamariskenkraut, Porſt. Juxta Rhenum & Danubium fluvios provenit copioſe; naſcitur etiam in Gallia Narbonenſi. *Adſtringit & refrigerat; raro tamen in uſum venit, frequentius vero cortices.*

Tanaceti vulgaris, lutei, Athanaſiæ, Tanaceti foliis pinnatis: pinnis pinnatifidis ſerratis, Linn. *Taneſie*, Rheinfarn, Wurmfarn. Creſcit circa foſſas, ad agrorum margines, aliaque ſabuloſa loca. Colligenda menſe Junio & Julio. *Anthelmintica, nephritica, vulneraria & uterina eſt. Externe ad ſcabiem & lentigines decoctum commendatur.*

Taraxaci, Dentis Leonis, *Dent de Lion, ou Piſſenlit*, Löwenzahn, Pfaffenröhrlein. In hortis & paſcuis creſcit. *Cenſetur alexipharmaca, pectoralis & hepatica. Aqua deſtillata inter antipleuriticas numeratur.*

Theæ, The Sinenſium, Tſiæ Japonenſium, Thee Indorum, *Thée*, Thee. Colitur in regno Japonico & China. Planta eſt Evonymo adfinis, nucifera, flore roſeo. Frutex ultra orgyæ altitudinem raro exſurgens, veſtitur foliis carnoſis breviſſimis, ſurculos perenni, niſi decerpantur, vigore inordinate ſingulatim occupantibus, foliis *ceraſi fructu acido* ſimilibus. Flores ſunt Roſæ ſilveſtris facie, remiſſe fragrantes, albi, hexapetali, cum numeroſis ſtaminibus. Fructus monococcus, bicoccus & utplurimum tricoccus, concretus ex globuloſis capitulis, Pruni ſilveſtris magnitudine, nucula fere globoſa fœtis. Florum & fructuum nullus eſt uſus. Decerpuntur prima collectione folia nobiliſſima, tenella & nondum explicata, quæ rara & etiam in patria valde cara ſunt, atque *Thea cæſarea*, nec non *flos Theæ* appellari ſolent. Secunda collectione folia integra explicata, cum ſemi-explicatis decerpuntur, atque ſecundum bonitatem ac magnitudinem in claſſes ſeliguntur. Meſſem claudit tertia collectio, folia rigidiora perfecta largiens. Poſt collectionem folia Thee præparantur, atque recens decerpta ſuper lamina ferrea torrentur, toſta & adhuc ferventia volis manuum volvuntur, donec criſpa evadant. Duæ ſpecies Theæ maxime familiares nobis notæ ſunt, prior *Thee Bohe*, *Thee Bou*, *Thee rubrum*, rother Thee, poſterior *Thee viride*, ad quam etiam *Thee imperiale* refertur, appellatur. Dubium adhuc eſt, utrum ex eadem, an vero ex ſpecie diverſis fruticibus decerpantur *Thee Bou* & *Thee viride. Omnes Theæ ſpecies magis vel minus*

*minus adſtringunt, viridem rubra tamen ſapore adſtringente plerumque antecellit. Grata fere omnibus eſt medicina infuſum Theæ & vere polychreſta; multum tamen aquæ calenti adſcribendum eſſe perſuaſi ſumus. Optima Thea cenſetur, cujus folia parva tenella, atque in apicibus alba, incana vel lanuginoſa ſunt, quæ leviter adſtringunt, & odoris atque ſaporis grati deprehenduntur. Thea viridis aquam, in qua infuſa eſt, viridiuſculo colore, & odore violaceo, vel fœni recentis inſtar, imprægnare debet.*

Herba Thymi Cretici, Thymi albi capitati veri, Saturejæ floribus ſpicatis, foliis carinatis punctatis ciliatis, Linn. *Thym de Crete*, Cretiſcher Thymian. Provenit in Creta inſula, & aliis regionibus calidioribus. *Eligenda odorata aromatica, capitulis integris.*

Thymi vulgaris, folio tenuiore cineritio, rigidi, Thymi erecti, foliis ovatis, margine reflexis, floribus verticillato-ſpicatis, Linn. *Thym vulgaire, a feuille menue*, Thymian. Colitur in hortis. Colligenda menſe Junio. *Carminativas, anticatarrhales & nervinas habet vires. Non ſolum in uſum cedit medicum, ſed & culinarium. Eſt ſuccedaneum prioris ſive Cretici, utpote qui vulgari præſtantior eſt, ſi modo debitas bonitatis notas habet.*

Tormentillæ, Septifolii, *Tormentille*, Tormentill, Blutwurz-Kraut, Siebenfinger-Kraut. *Raro in uſum, niſi in decoctis vulnerariis, venit.*

Trichomanis. Vide Herba Adianti aurei.

Trifolii fibrini, aquatici, paluſtris, Menyanthes foliis ternatis, Linn. Limonium Cord. Acopa Dioſcorid. Bœrh. H. L. Menyanthes paluſtre triphyllum Raj. *Treffle de Caſtor, Menyanthe*, Bieberklee, Bitterklee, Waſſerklee, Scharbocksklee. Naſcitur in aquis ſtagnantibus & paludoſis. Colligenda menſe Majo vel Junio. *Aperit, incidit & roborat. Excellens eſt antiſcorbuticum, antarthriticum, antaſthmaticum, antihypochondriacum & antifebrile. Externe etiam, ſcopo mundificandi, ad ulcera tibiæ ſuccus, vel decoctum herbæ conducit. Rajus ad ovium tabem commendat.*

Trifolii pratenſis, purpurei, vulgaris, majoris, Trifolii ſpicis ſubvilloſis, cinctis ſtipulis oppoſitis membranaceis, corollis monopetalis, Linn. *Treffle des prées*, Wieſenklee. Ubique provenit in pratis herbidis. Colligenda, dum floret. *Vulneraria cenſetur, & albo fluori conferre, ob vim balſamicam & ſubadſtringentem, creditur.*

Tuſſilaginis, vide Herba Farfaræ.

Verbaſci, flore luteo; maris latifolii lutei, Bauh. Pin. Thapſi barbati, Verbaſci foliis utrinque tomentoſis decurrentibus, Linn. *Bouillon blanc, Molene, Bonhomme*, Wullkraut, Himmelbrand, Königskerzen. Juxta agrorum margines, aggeres & ſcrobes naſcitur. Folia colligenda ſunt Junio menſe. *Prodeſt interne ſumtum, in morbis pectoris, tuſſi, ſputo cruento, & torminibus ventris. A veterinariis Anglis, in affectibus pulmonum vaccarum & jumentorum,*

*adhibetur, atque* Pulmonaria vaccarum *appellatur.* Raj. Hiſt. plant. *Externe adhibitum emollit, diſcutit & dolores mitigat, atque in lacte coctum ad hæmorrhoidum dolores, tenesmum & ani procidentiam commendatur.*

Herba Verbenæ vulgaris, maris, flore cœruleo, Verbenæ ſpicis filiformibus, foliis multifido-laciniatis, Linn. *Verveine*, Eiſenkraut, Taubenkraut, Eiſenhart. Naſcitur juxta ſepes & muros, aliosve locos incultos. Colligenda menſibus æſtivis. *Adſtringit, refrigerat, vulneraria & anodyna eſt.*

Veronicæ majoris, vulgaris ſerpentis, Veronicæ ſpicis pedunculatis lateralibus, caule procumbente, Linn. *Veronique*, Ehrenpreiß, Heyl aller Schäden, Wundkraut. Naſcitur in paſcuis ac ſilvis recens cæſis, ſiccioribus. Colligenda menſe Majo & Junio. *Inter vulnerarias plantas eminet; diuretica, ſudorifera, pectoralis & roborans eſt. Succum ad uncias duas de die potum, Podagræ mederi* Bœrhavius *aſſerit.*

Vincæ per vincæ, Clematitidis Daphnoidis, Vincæ foliis ovatis, Linn. *Pervenche*, Wintergrün, Singrün, Ingrün. Provenit in ſilvis. Colligenda Majo & Junio. *Ob vim, quam habet, leniter adſtringentem, vulnerariis adſcribitur, atque in fluxionibus ſanguinis commendatur.*

Violariæ, Violæ acaulis, ſtolonibus teretibus reptantibus pedunculis radicatis, Linn. *Violette*, Violenkraut, Veylkraut, Merzen-Violenkraut. Juxta ſepes, in dumetis & hortis provenit. *Ad herbas quinque emollientes refertur.*

Vitis, Folia Vitis, *Feuilles de Vignes*, Weinlaub, Weintrauben-Blätter. Colligenda ſunt menſe Auguſto. *Adſtringunt & refrigerant, atque in gargarismis adhiberi ſolent.*

Virgæ aureæ. Vide Herba conſolidæ Saracenicæ.

Urticæ urentis, vulgaris, racemiferæ, *Ortie commune*, Brenneſſeln. Ad ſepes & rudera creſcit. *Diuretica eſt, ad mictum cruentum ſpecifice & hæmorrhagias omnis generis commendatur. Cicutæ & Hyoſcyamo adverſatur.*

Urticæ mortuæ, inèrtis, Galeopſidis, Lamii flore albo, Lamii foliis cordatis acuminatis ſerratis petiolatis, Linn. *Ortie blanche ou morte*, weiſſe, todte Neſſel. Ad ſepes hortorum occurrit. Colligitur, dum floret, menſe Aprili & Majo. *Commendatur ſpecifice ad fluorem album & ſcrophulas.*

Uvæ urſi, Arbuti caulibus procumbentibus, foliis integerrimis, Linn. *Arbouſier*, Bärentraube, Wolfsbeere, Sandbeere. In montibus, collibus & ericetis Sueciæ, Norwegiæ, Ruſſiæ, Auſtriæ, Styriæ, Carniolæ, Helvetiæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Gallo-Provinciæ &c. creſcit. *Folia hujus plantæ noſtris demum temporibus officinis illata, in ſuppreſſione urinæ & doloribus renum atque veſicæ, a calculo & coacervata*

*materia*

*materia fabulosa ortis, tanquam insigne atque specificum remedium commendantur. Qua virtute autem miracula sua præstet, in ambiguo est. Si qualitates requiris manifestas, præter adstringentem, quam gustus detegit, invenies nullam. Forsitan hæc sufficit. Dosis est a scrupulo semis ad drachmam semis.*

Herba Uvulariæ, Hypoglossi, Bislinguæ, Bonifaciæ, Lauri Alexandrinæ, Ruſci latifolii fructu folio innascente, Tournefort. Ruſci foliis subtus floriferis subfoliolo, Linn. *Uvulaire*, Zäpfleinkraut, Zungenkraut, Kehlblatt. Colitur in hortis; sponte provenit in Gallia & Italia in montosis. *Travmatica est, adstringit, & decoctum in affectibus uvulæ, ex nimia humiditate & laxitate ortis, pro gargarismatibus adhibetur.*

## CAPUT III.

# DE FLORIBUS.

Flores Acaciæ Germanicæ, Pruni silvestris, Pruni spinosæ foliolis lanceolatis, Linn. *Fleurs de prunier sauvage*, Schlehenblüth. In sepibus occurrit Acacia. Floret mense Aprili. Flores colligendi sereno cœlo. *Laxant alvum, serum & sabulum renum educunt; inter anthelmintica & antepileptica numerantur.*

Anethi hortensis, *Fleurs d'Anet*, Dillenblumen, Dillenblüth. Sunt in umbellam congesti. Colligantur Julio. *Anodyni & carminativi sunt; usus est in enematibus.*

Anthos, Rorismarini, Libanotidis, *Fleurs de Romarin*, Rosmarinblüthe. Colliguntur Majo & Junio. Vix apud nos sufficienti habentur quantitate; hinc afferuntur ex calidioribus regionibus. Eligendi odorati, recentes. *Cephalici, nervini & uterini sunt.*

Aquilegiæ, *Fleurs d'Ancolie*, Ackeley, Ageley, Glockenblumen. Nascitur Aquilegia in hortis; nonnunquam sponte occurrit in silvis. Flores reperiuntur diversi coloris; eligendi cœrulei. *Antiscorbutici sunt, urinam & menses cient, vulnerariis adnumerantur; in gargarismis etiam adhibentur.*

Arnicæ. Vide Herba & Radices, cum quibus conveniunt, mitius tamen agunt.

Aurantiorum, Citri petiolis alatis, Linn. Naphæ, *Fleurs d'Orange*, Pomeranzenblüth. Coluntur in hortis. Sicci raro, recentes ad aquam destillandam expetuntur. *Sunt alexipharmaci & cordiales.*

Balaustiorum, Balaustiæ, Mali punicæ silvestris, flore pleno majori, Punicæ, Linn. *Fleurs Balaustes*, Granatenblüthe. Coluntur in hortis, & ex regionibus calidioribus advehuntur. *Valde adstringunt & refrigerant; ad uvulæ laxitatem in gargarismis conducunt. Ex petalis rubris, abjectis calycibus, pulverem rubrum sternutatorium parare solent.*

Flores Basilici, Ocymi, *Fleurs de Basilic*, Basilgenblumen. In officinis prostant summitates herbæ cum floribus. *Virtutibus balsamicis, nervinis & uterinis conveniunt cum herba.*

Bellidis minoris, silvestris, *Fleurs de petite Marguerite, de Paquerette*, Gänseblumen, Angerblumen. Florent primo vere in pratis & aggeribus. *Cum herba conveniunt. Refrigerant, & pectori, renibus, hepatique sunt amici.*

Bellidis hortensis, Bellidis rubræ, *Fleurs de Marguerite rouge*, rothe Maslieben, Margarethen-Blumen. *Virtutes eædem ac prioris, & præcipue ad Tincturam requiruntur.*

Betonicæ, Bethonicæ purpureæ, *Fleurs de Betoine*, Bethonienblüth. Junio & Julio colliguntur; plerumque spicæ floreſcentes tantum, & non flores excerpti in usum trahuntur. *Cæterum cum herba conveniunt, & ad conservam expetuntur.*

Borraginis, Buglossi veri latifolii, *Fleurs de Bourrache*, Borragenblumen. Mense Julio & Augusto colliguntur. *Adscribitur illis vis cordialis & antimelancholica, atque floribus quatuor cordialibus adnumerantur.*

Buglossi angustifolii, *Fleurs de Bugloſſe*, Ochsenzungenblüthe. Junio & Julio florent. *Cum Borraginis floribus conveniunt, & pariter ad flores quatuor cordiales pertinent.*

Calcatrippæ, Consolidæ regalis, Delphinii, Delphinii caule subdiviso, nectariis monophyllis, Linn. *Fleurs de pied d'alouette*, Ritterspornblumen, Lerchenklauenblumen. Sponte inter segetes proveniunt; coluntur etiam in hortis. Silvestres cœrulei in usum vocantur. *Ophthalmici, diuretici, & vulnerarii sunt. Nonnullis tamen usus internus, ob vicinitatem, quam cum* Aconito *Calcatrippa habet, suspectus est. In Ophthalmia flores in sacculis, vel decoctum eorum externe applicantur.*

Calendulæ, Calthæ sativæ, Verrucariæ, Calendulæ seminibus radii cymbiformibus echinatis, disci bicornibus, Linn. *Fleurs de Soucy*, Ringelblumen, Goldblumen. Coluntur in hortis. Per totam æstatem florent. *Censentur cardiaci, uterini & alexipharmaci; suffitum a parturientibus, vagina exceptum, partum promovere ajunt.*

Carthami, Cnici sativi, Carthami foliis ovatis integris serrato-aculeatis, Linn. *Fleurs de Carthame, ou de Safran bâtard*, wilder Safran, Saflohr. Coluntur in hortis & agris. Florent Julio & Augusto. *Alvum emolliunt, & ictericis commendantur. Usus præcipuus est ad tingendum.*

Centaurii minoris. Vide Herbæ.

Chamomillæ seu Chamæmeli Romani, Leucanthemi odorati, multiplici flore, Matricariæ receptaculis conicis, radiis deflexis, seminibus nudis, squamis calicinis, margine æqualibus, Linn. *Fleurs de Camomille Romaine*, Römische Chamillen, Edle Chamillen.

millen. Coluntur apud nos in hortis. *Sunt carminativi, ſtomachici, anodyni & diuretici. Infuſum theiforme ad dolores poſt partum commendabile eſt.*

Flores Chamomillæ, ſeu Chamæmeli vulgaris, ſilveſtris, Matricariæ receptaculis hemisphæricis, radiis patentibus, ſeminibus coronato-marginatis, ſquamis calycinis, margine obſoletis, Linn. *Fleurs de Camomille des Champs*, Chamillen, gemeine Chamillen. In ſegetibus menſe Junio & Julio luxuriant; ſingulis annis colligendi. *Gaudent virtute tonica, carminativa, anodyna & antifebrili. Externe in ſacculis diſcutiendi & in cataplasmatibus reſolvendi gratia adhibetur.*

Cheiri, Keyri, Levcoji lutei, Cheiranthi foliis lanceolatis acutis glabris, Linn. *Fleurs de Giroflée jaune*, gelbe Violen. Primo vere florent; coluntur in hortis. *Ad icterum & uteri vitia commendantur.*

Cichorii, *Fleurs de Chicorée*, Wegwartenblumen. In campeſtribus & circa vias publicas proveniunt. *Hepati dicati ſunt, & conſerva ex floribus, non ex herba, parari debet.*

Conſolidæ regalis. Vide Flores Calcatrippæ.

Cyani cœrulei, Baptiſeculæ, Centaureæ calycibus ſerratis, foliis linearibus: infimis dentatis, ſuperioribus integerrimis, Linn. *Fleurs de Bluet*, blaue Kornblumen. Florent inter ſegetes Junio. Colligendi ſicca & ſerena tempeſtate, & celeriter inter chartam, fornacis calore, ne palleſcant, ſiccandi. *Diuretici ſunt; externe aqua deſtillata & flores ipſi in ſacculis ad ophthalmiam commendantur.*

Farfaræ, Tuſſilaginis, *Fleurs de Tuſſilage*, Huflattich, Roß-hubblumen. Primo vere ante herbam proveniunt, & hanc ob cauſam planta *Filius ante patrem* vocatur. *Pectorales ſunt; in decoctis exhibentur, & eorundem ſyrupus atque conſerva in officinis proſtant.*

Galeopſidis. Vide Urticæ.

Geniſtæ, Cytiſo-geniſtæ, flore luteo, Geniſtæ ſcopariæ anguloſæ, Geniſtæ foliis lanceolatis, ramis teretibus ſtriatis, Linn. *Fleurs de Genet*, Ginſter-Pfriemenkraut-Blumen, Künſchotten. Copioſe proveniunt in arenoſis, montoſis, incultis. Menſibus Majo & Junio colliguntur. *Vires ſpleneticæ, nephriticæ, antiſcorbuticæ & diureticæ illis tribuuntur. In ſubſtantia vomitus excitant, in decoctis alvum laxant.*

Granatorum. Vide Flores Balauſtiorum.

Hepaticæ nobilis, *Fleurs d'Hepatique noble*, Edel-Leberkraut-Blüthe. In ſilvis proveniunt & primo vere colliguntur. Sicut flores Cyani colligi & ſiccari debent. *Conveniunt cum herba, & ad conſervam requiruntur.*

Hyperici, Perforatæ, *Fleurs de Millepertuis*, Johannes-Blumen, Harthheu-Blumen. Junio & Julio colliguntur. *Vulnerarii & anthelmintici ſunt. Odorem contriti ſpirant terebinthinaceum, ſpiritum vini & oleum colore carmeſino-rubro inficiunt.*

Flores Lavendulæ fœminæ, anguſtifoliæ, *Fleurs de Lavande*, Lavendel-Blumen. Coluntur in hortis. Vigent menſe Junio & Julio. *Cephalicæ & nervinæ ſunt, atque pro odoramentis & cucuphis expetuntur.*

Liliorum alborum, Liliorum foliolis ſparſis, corollis campanulatis, intus glabris, Linn. *Fleurs des Lis blancs*, weiſſe Lilienblätter. Coluntur in hortis. Flores colligi poſſunt Julio & Auguſto. *Anodyni ſunt; digerunt, humectant & maturant, cuticulam curant; ſicci vero raro in uſum veniunt. Antheras ſive apices luteos liliorum, menſtruæ & fœtum pellere, nonnulli perhibent.*

Liliorum convallium, Convallariæ ſcapo nudo, Linn. *Fleurs de Muguet*, Mayenblumen. Florent Majo in ſilvis. *Cephalici ſunt, & contra morbos frigidos capitis adhibentur. In ſubſtantia aſſumti alvum movent; præſtat igitur ſcopo confortandi aquam adhibere ex illis deſtillatam. Errhinam etiam habent virtutem, & pulveribus ſternutatoriis adduntur.*

Linariæ. Vide Herba.

Lupuli ſalictarii, Humuli, Linn. *Fleurs de Houblon*, Hopfen. Sunt folliculi ſquamoſi, vel capſulæ foliaceæ, ſtrobilorum inſtar, molles, quæ ſemina continent parva, & potius fructus, quam flores appellari deberent. Lupulus ſponte provenit; copioſe vero etiam colitur. Planta eſt ſcandens. *Præcipuus uſus Lupuli eſt ad cereviſias condiendas; in medicina vero medicamentum anodinum, diſcutiens, reſolvens, calculum, urinam & menſtrua pellens, præbet; externe contuſionibus & tumoribus auxiliatur.*

Malvæ arboreæ, hortenſis, hyemalis, Alceæ foliis ſinuato-angulatis, Linn. *Fleurs de Mauve de jardin*, groſſe Pappeln, Herbſt-Roſen, Winter-Roſen. Coluntur in hortis. Flores colliguntur menſibus Auguſto, Septembri & Octobri. Eligendi, qui colore ſunt fuſco-purpurei. *Emolliunt, & ob viſciditatem præbent anodinum in faucium inflammatione. Uſus eſt in gargariſmis.*

Meliloti, *Fleurs de Melilot*, Steinklee-Blumen. *Infuſum florum Meliloti, ad partum facilitandum, dolores poſt partum, & nephritidem commendatur. Uſus eorum etiam in clyſteribus eſt.*

Nymphææ albæ, Nymphææ foliis integerrimis cordatis, calyce tetraphyllo, corolla multiplici, Linn. *Fleurs de Nymphée blanche, de Nenuphar blanc*, weiſſe Seeblumen. Naſcuntur in ſtagnis; florent menſe Julio. *Refrigerant, humectant, & ad maniam & ſatyriaſin commendantur.*

Origani, ſunt ſummitates. Vide Herbæ.

Papaveris erratici, Rhœadis ſilveſtris, Papaveris caule multifloro folioſo hiſpido, foliis pinnatifidis, capſulis lævibus, Linn. *Fleurs de Coquelicot, ou de Pavot rouge*, Kornroſen, Klapperroſen, Schnallenblumen. Proveniunt inter ſegetes. Colliguntur menſe Junio & Julio. *Anodyni ſunt, & præcipue in catarrhis acribus, ſalſis & pleuritide conducunt, atque ob mucilaginem leniunt & mulcent.*

Flores

Flores Perſicorum, Mali Perſicæ, Amygdali foliorum ſerraturis omnibus acutis, Linn. *Fleurs de pêcher*, Pferſich-Blüth. Florent menſe Aprili; coluntur in hortis & vineis. *Alvum laxant, ſerum educunt, & vermes necant. Parantur inde ſyrupus & conſerva.*

Pœoniæ, *Fleurs de Pivoine*, Gichtroſen. Coluntur in hortis. Colliguntur menſe Majo. *Conveniunt virtutibus cum radicibus, & antepileptici creduntur. Raro flores, ſæpius ſyrupus ex illis paratus adhibentur.*

Primulæ veris, flore odorato, Paralyſeos, Verbaſculi pratenſis odorati, C. B. Primulæ foliis denticulatis rugoſis, limbo-corollarum concavo, Linn. *Fleurs de Primevere*, Schlüſſelblumen, Himmelsſchlüſſel, St. Petersſchlüſſel. Ubique in pratis verno tempore proveniunt. *Cenſentur nervini, antepileptici, anodyni & pectorales.*

Roſarum albarum, Roſæ albæ vulgaris majoris, *Fleurs de Roſes blanches*, weiſſe Roſen. Coluntur in hortis, & menſe Junio florent. *Ad oculorum inflammationes & fluorem album mulierum commendari ſolent.*

Roſarum pallidarum, *Fleurs de Roſes pâles*, bleiche Roſen, Ulmer-Roſen. Etiam in hortis coluntur, & eodem tempore florent. *Alvum laxant, biliosis & hydropicis proſunt.*

Roſarum rubrarum, vulgarium, *Fleurs de Roſes rouges*, Zucker-Roſen, rothe Roſen. Colliguntur eodem tempore, quo præcedentes. *Omnes Roſarum ſpecies vim quandam habent ſubadſtringentem; hæ vero paulo magis, quam præcedentes. Sunt ſimul roborantes, analepticæ & cordiales. Floribus adnumerantur quatuor cordialibus. Uſus eſt varius, tam internus, quam externus.*

Roſarum finarum, intenſe rubrarum, flore ſimplici ſericeo, *Fleurs de Roſes de Provins*, Knopf-Roſen, feine Roſen, Eßig-Roſen. Coluntur in hortis. Colliguntur, dum nondum ſunt apertæ, atque abſciſſis ungulis albis celeriter ſiccantur. *Vi adſtringente, omnibus reliquis Roſarum ſpeciebus, præcellunt, in reliquis conveniunt. Requiruntur præcipue ad Tincturam & Acetum.* Linnæus *omnes Roſas officinales ſub una eademque ſpecie*, Roſæ caule aculeato, petiolis inermibus, calycibus ſemipinnatis, *comprehendit.*

Salviæ hortenſis, *Fleurs de Sauge*, Salbey-Blüthe. Colliguntur per æſtatem, & inprimis menſe Julio. *Virtutibus balſamicis & nervinis cum herba conveniunt.*

Sambuci, Sambuci caule arboreo ramoſo, floribus umbellatis, Linn. *Fleurs de Sureau*, Hollunderblüthe. Ubique occurrit Sambucus arbor, & circa rudera, muros & ſepes naſcitur. Floret menſe Junio. *Flores diſcutiunt, emolliunt, reſolvunt, lac augent, dolores mitigant, ſudorem movent; infuſum Theæ loco, ſenibus præſertim, ad cruentum ſputum & tuſſem pertinacem, commendatur.*

Saxifragiæ, vide Herbæ.

Flores Scabiosæ, *Fleurs de Scabieuse*, Scabiosen-Blumen, Apostemkraut-Blüthe. *Cum herba conveniunt, & inprimis ad conservam expetuntur.*

Spicæ Celticæ &

Spicæ Indicæ, vide Radices.

Spicæ hortensis, Lavendulæ latifoliæ, Pseudonardi, *Fleurs de Spic, ou de Nard commun*, Spick. Coluntur in hortis; in Hispania & Gallia Narbonensi sponte proveniunt. Colliguntur mense Junio & Julio. *Adscribitur vis cephalica, nervina atque uterina, & tam externe, quam interne in usum vocantur.*

Stœchadis Arabicæ, Stœchadis purpureæ, C. B. Lavendulæ foliis lanceolato-linearibus, spica comosa, Linn. *Fleurs de Stœchas Arabique*, Stöchas-Blumen, welscher Lavendel. Advehitur ex Gallia, Italia & aliis calidioribus regionibus. *Eligendæ Spicæ integræ, odoratæ, recentes. Nervina, pulmonica, diuretica, uterina & carminativa gaudent virtute.*

Stœchadis citrinæ, Germanicæ, Amaranthi lutei, Elichrysi, Gnaphalii foliis lanceolatis: inferioribus obtusis, caule herbaceo simplicissimo, corymbo terminali composito, Linn. *Fleurs de Stœchas citrin, de Passevelours*, Rheinblumen, Winterblumen, Schaben-Motten-Kraut. Sunt species Elichrysi; proveniunt in locis sabulosis siccis; frequenter occurrunt circa Rhenum. Florent Junio & Julio. *In affectibus pectoris, lienis & renum conducunt, vermes enecant. Fumus, a floribus carbonibus injectis, excitatus, ad arthriticos dolores commendatur.*

Tanaceti, *Fleurs de Tanesie*, Rheinfarn, Wurmkraut-Blumen. Colligendi mense Junio & Julio. *Anthelmintici sunt, & cum herba conveniunt.*

Tiliæ, Linn. Tiliæ fœminæ, folio majori, C. B. *Fleurs de Tillau, de Tilleul, ou de Tillot*, Lindenblüth. Passim sponte & plantata provenit Tilia. Floret mense Julio. *Flores roborant, discutiunt, anodyni & cephalici sunt; ad epilepsiam, apoplexiam & vertiginem commendantur. Speciebus pro potu ordinario additi gratum conciliant colorem rubellum.*

Tunicæ hortensis, rubri, Diantni floribus subsolitariis, corollis crenatis, squamis calycinis subovatis brevissimis, Linn. *Fleurs d'Oeuillets rouges*, Nägelblumen, Garten-Nägelein, Grasblumen. Coluntur in hortis. Florent mense Julio & Augusto. *Cephalici & cordiales censentur.*

Tussilaginis, vide Flores Farfaræ.

Verbasci, Thapsi barbati, *Fleurs de Bouillon blanc*, Wullenblumen. Proveniunt in locis arenosis, juxta agrorum margines. Colliguntur mensibus Julio & Augusto. *Sunt anodyni & emollientes, atque ad hæmorrhoidum dolores & tenesmum, ab hypercatharsi ortos, in lacte dulci*

*cocti*

*cocti & facculis applicati, conveniunt. Infuſum florum Verbaſci ad phthiſin laudatur, & Italis familiare eſſe, Ill.* Hallerus *perhibet.*

Flores Violarum, purpurearum odoratarum, *Fleurs de Violettes de Mars*, blaue Violen, wohlriechende Veilgen, Merzen-Violen. Juxta muros, ſepes & in hortis proveniunt. Florent menſe Martio & Aprili. *Refrigerant, humectant, emolliunt & laxant; vis etiam adſcribitur cordialis, & hanc ob cauſam floribus quatuor cordialibus adnumerantur. Siccati in vitris loco calido aſſervandi, ne acceſſu aëris palleſcant.*

Urticæ mortuæ, Galeopſidis, Lamii albi, *Fleurs d'Ortie morte, ou de Lamium*, taube Neſſelblumen. Ad hortorum ſepes occurrunt, Martio, Aprili & Majo florent. *Specifice ad album fluorem commendantur.*

## CAPUT IV.

# DE SEMINIBUS.

Semen Abelmoſch, Ketmiæ Ægyptiacæ, ſemine moſchato, Tournefort. Alceæ Ægyptiacæ villoſæ, Bamiæ moſchatæ, Ketmiæ Americanæ hirſutæ, flore flavo Raj. Hibiſci foliis peltato-cordatis ſeptem angularibus ſerratis hiſpidis, Linn. *Graines de Muſc*, Biſamſaamen. Grana ſunt reniformia, puſilla, albicantia, odorem moſchi & ambræ ſpirantia. Tam ex Oriente, quam ex Americæ regionibus calidioribus advehuntur; in hortis etiam nonnunquam coluntur. Eligenda probe odorata & recentia. *Aphrodiſiaca cenſentur, & ad odoramenta & alia odore moſchato imbuenda, inſerviunt.*

Acetoſæ, Oxalidis pratenſis, *Semence d'Ozeille*, Sauerampffer-Saamen. Eſt nigrum, parvum, triangulare, punicei coloris, ſplendentis, ſaporis adſtringentis. *Pro alexipharmaco habetur, & hoc fine nonnullis compoſitionibus additur.*

Agni caſti, Viticis officinalis, *Semence d'Agnus caſtus*, Keuſchbaum, Keuſchlamm-Saamen, Schaaffmüllen-Saamen. Arbuſcula ſponte in Italia & Sicilia naſcitur. Semina ſunt grana rotunda, pipere minora, colore cinereo, ſaporis ſubadſtringentis, acris. *In calidioribus ſubjectis habere vim antaphrodiſiacam; in frigidioribus vero venerem excitare, non ſatis compertum, id vero certum eſt, vim habere narcoticam & eſſe medicamentum valde calidum, quare uſus ejus caute inſtituendus.*

Alkekengi, Halicacabi, Phyſalidis caule ſimplici, radice annua, foliis integerrimis geminatis, floribus ſolitariis, Linn. *Bajes de Coqueret*, Judenkirſchen-Saamen. Proveniunt Alkekengi in vineis & ſilvis. Semina & fructus matureſcunt menſibus Octobri & Novembri. *Adnumerantur antinephriticis.* Vid. Fructus.

Altheæ, Ibiſci, *Semence de Guimauve*, Eybiſchkraut-Saamen. Sunt ſemina parva, ſemicircularia vel reniformia. Mucilaginem, in aqua macerata, exhibent. *Emolliunt, leniunt, & nephriticis commendantur.*

Semen Ammeos, Ammi veri Cretici, odore Origani, Siſonis foliolis ſubcapillaribus, *Semence d'Ammi*, Cretiſcher Ammy-Saamen. Ad umbelliferas & annuas refertur plantas. Semen parvum, ſtriatum, e rufo ſpadiceum, ſaporis aromatici, acris eſt. Ex Alexandria Ægypti advehitur. Eligendum recens, maturum, ſaporis acris. *Alexipharmacum, diureticum & carminativum eſt; Theriacam ingreditur; & ſeminibus quatuor calidis minoribus adnumeratur. Commendatur a* Matthiolo *ad fluorem album, & ſterilitatem mulierum.*

Amomi, *Semence d'Amome*, wohlriechender Saamen, oder Frucht aus Indien, Amömlein. Inter Auctores lis eſt, quid verum ſit Amomum; hodie plerumque pro Amomo baccæ rotundæ ex fuſco nigricantes, pipere paulo majores, *Myrti arboreæ aromaticæ, foliis laurinis, acuminatis*, ſive *Myrti foliis alternis Linnæi*, venduntur, quæ etiam *Caryophylli rotundi*, vel *Piper odoratum Jamaicenſe & Pimenta* vocantur. Colliguntur immaturæ, & ſaporis ſunt aromatici, ex Caryophyllorum, Nucis moſchatæ & Cinnamomi ſapore & odore quaſi compoſiti. Angli iis ad condiendos cibos utuntur, & ex *Jamaica* inſula, ubi arbor in montoſis ſilvis creſcit, ſub nomine *All-Spice*, quia odorem & ſaporem omnium aromatum, ſcilicet *Cinnamomi, Caryophyllorum* & *Nuciſtæ* referunt, advehunt. *Rajus* ex *Sloani Hiſtoria Jamaicæ* arborem ſub nomine *Caryophylli aromaticæ Americanæ, lauri acuminatis foliis* ſequenti modo deſcribit: "Arboris hujus truncus, femoris humani craſſitudinem æquat, ad trigin„ta pedum altitudinem recta aſſurgit, cortice glaberrimo incano tectus, „quaqua verſus ramos emittit. Virgularum extrema folia diverſæ ſunt „magnitudinis, ampliſſima, quatuor vel quinque uncias longa, duas vel „tres lata, glabra, tenuia, nitentia, ſaturato virore imbuta, pediculis „uncialibus inſidentia, attritu odorata, & laurinis per omnia ſimilia.„ Surculorum extrema, ſeu ſummitates in multos, unciam longos, pediculos faceſſunt, totidem flores ſuſtinentes, quorum unusquisque e plurimis ex albicante viridibus ſtaminibus, quatuor petalis perexiguis, deorſum reflexis, concoloribus conſtat. Floribus delapſis, ſuccedunt baccæ multæ coronatæ, ſeu umbilicatæ, per maturitatem baccis juniperinis majores, nigræ, glabræ & ſplendentes, in quibus continetur pulpa humida, ſubviridis, acris & aromatica. Baccæ hæ per veſicam deſtillatæ, oleum largiuntur ſuave, odoriferum, quod, velut *Oleum caryophyllorum & cinnamomi* fundum petit. Alii pro Amomo vero venditant ſemen quoddam anguloſum, rugoſum, aromaticum, nigrum, quod in capſulis ſeu filiquis ſubovatis, trigonis, in tria loculamenta diviſis, apportatur, & a nonnullis *Cardamomum majus*, ab aliis *Amomum racemoſum* vocatur, atque a *Linnæo* in *Horto Cliffortiano*, ſub nomine *Amomi, ſcapo nudo, ſpica ovata & ſpica oblonga obtuſa*, deſcribitur. *Amomi vires ſunt cephalicæ, ſtomachicæ, incidentes & roborantes; ob virtutes alexipharmacas ad Theriacæ confectionem requiritur.* Alii *Amomum* hoc, *ſcapo nudo Linnæi*, pro *Cajeput*, *Cardamomi* ſpecie ſumunt. Celebratiſſimum antiquitati *Amomum* hodie in integrum ignoratur.

Anethi hortenſis, *Semence d'Anet*, Dill-Saamen. Compreſſum, membranaceum quaſi & tenue eſt, tribus ſtriis notatum, coloris dilute

lute fuſci, ſaporis aromatici, odoris grati. *Digerit & diſcutit, auget lac, & ſomnum conciliat, flatus & urinam pellit.*

Semen Angelicæ ſativæ, *Semence d'Angelique*, Angelick-Saamen. Albicans, latum & compreſſum eſt, ſaporem acrem & odorem Angelicæ radicis habet. *Carminativum eſt, diureticum & alexipharmacum.*

Aniſi, *Semence d'Anis*, Anis-Saamen. Oblonge rotundum, parvum & ſtriatum eſt, coloris viridiuſculi, ſaporis dulcis, aromatici. Ex annua planta, quæ copioſe in agro Bambergenſi ſeritur, colligitur. Eligantur ſemina magna, matura, & a ſtipitibus & quisquiliis libera. *Carminativum, pnevmonicum & ſtomachicum eſt. Ad quatuor ſemina calida majora refertur.*

Aniſi Indici, ſtellati, Philippinarum inſularum, Badianæ, *Semence d'Anis de la Chine, ou Anis étoilé*, Indianiſcher Anis, Stern-Anis. Externa forma, capſula ſeminali ſtellam repræſentat, dum ex ſex vel ſeptem radiis conſtat, ex eodem centro ortis, qui hiantes grana tot proferunt, quot ſunt radii. Coloris eſt ex fulvo fuſci, ſaporis ex Fœniculi & Aniſi mixti dulcis. Non raro integræ ſtellæ ad nos veniunt. Cujus plantæ fructus ſit, nondum conſtat; creditur eſſe planta, quæ *Evonymo* affinis Philippinarum inſularum, *Aniſum ſpirans, nuculas in capſulis ſtellatim congeſtis proferens*, vocatur. Ex India orientali advehitur, & in Moſcoviam ex Tartaria transportatur, unde forſan *Fœniculum* & *Aniſum Sibirienſe* nominatur. Eligendæ capſulæ vel radii majores, multo oleo dotati, ſaporis ſubdulcis. *Convenit virtute cum ſemine Aniſi vulgaris, penetrantius, gratius & præſtantius tamen eſt.*

Apii ſativi, *Semence d'Ache*, Garten-Eppich, Selery-Saamen. Parvum, ſtriatum, Petroſelini ſemine minus eſt. *Ad calculum & uteri vitia commendatur. Adnumeratur ſeminibus quatuor calidis minoribus.*

Aquilegiæ, *Semence d'Ancolie ou d'Ancholie*, Ackeley-Glocken-blumen-Saamen. Nigrum, parvum, ſplendens eſt. *Tribuitur illi vis alexipharmaca & antiſcorbutica. Commendatur ictericis, vel in ſubſtantia, vel in emulſione, quæ emulſio etiam in peripnevmonia, variolis, morbillis, aliisque febribus exanthematicis, nec non eryſipelate, bono cum effectu datur.*

Aſparagi ſativi, *Semence d'Aſperge*, Spargel-Saamen. Plerumque baccæ rubræ, in quibus ſemina, ſeu acini nigri duri includuntur, loco ſeminum proſtant. *Vis adſcribitur diuretica; raro vero in uſum venit.*

Atriplicis hortenſis, albæ ſativæ, Atriplicis caule erecto herbaceo, foliis triangularibus, Linn. *Semence d'Arroche*, Melten-Saamen. Albicans, orbiculatum, compreſſum eſt. *Vim habet emeticam & purgantem, atque ad drachmas duas cum aqua calida propinari ſolet; ictericis inprimis commendatur.*

Aurantiorum, *Semence d'Orange*, Pommeranzen-Kern, Pommeranzen-Saamen. *Virtute gaudet alexipharmaca, diaphoretica & anthelmintica. In emulſionibus datur.*

Semen Bardanæ, ſeu Lappæ majoris, *Semence de Bardane*, Kletten-Saamen. Oblongum, fuſcum, nigris ſtriis interſtinctum eſt, ſaporis amaricantis. *Habetur inſigne diaphoreticum & diureticum. Datur in ſubſtantia, vel in emulſione ad drachmam unam & ultra.*

Baſilici, Ocymi vulgatioris, *Semence de Baſilic*, Baſilgen-Baſilien-Saamen. Parvum, nigricans, & ſaporis mucilaginoſi eſt. *Ad Uteri affectus commendatur. In aqua maceratum dat mucilaginem, quæ ad aphthas & fiſſuras labiorum & mammillarum utiliter adhibetur.*

Berberum, Acini fructus berberum, Berberis pedunculis racemoſis, Linn. *Semence d'Epine vinette*, Erbſelen-Saamen, Saurachbeer-Saamen. Sunt acini, ſive arilli oblongi ex fructu, coloris pallidi, ſaporis adſtringentis. Frutex, in qua fructus Berberis naſcitur, ſponte provenit in dumetis ſilvoſis, & incultis locis; alitur etiam quandoque in hortis. Floret Aprili & Majo, & circa finem Septembris fructus perficit. *Semen adſtringit; ſed raro in uſum vocatur.*

Bombacis, Goſſypii fruteſcentis, ſemine albo, annui, Goſſypii foliis quinquelobis, Linn. *Semence de Coton*, Baumwollen-Saamen. Eſt coloris ex nigro cinerei, Piſorum majorum magnitudinis; nucleum condit album, oleoſum, dulcem. Goſſypium ſive Bombax colitur in Cypro, Maltha, Sicilia, & aliis inſulis Archipelagi. *Semen vim habet demulcentem, & recens, non rancidum, nephriticis & hecticis prodeſt.*

Braſſicæ rubræ, Braſſicæ radice cauleſcente cylindracea carnoſa, Linn. *Semence de Chou rouge*, rother Köhl-Saamen. Rotundum, Sinapi magnitudinis, coloris ex ruſo fuſci, ſaporis oleoſi, ſubacris eſt. Colitur braſſica in hortis & agris, & demum altero poſt ſationem anno ſemina perficit. *Commendantur ad gonorrhœam, vermes necandos & colicam.*

Buniadis. Vide Semen Napi.

Cannabis ſativæ, Cannabis foliis digitatis, Linn. *Semence de Chanvre*, Hanf-Saamen. Parvum, rotundum, cineracei coloris, ſaporis dulcis, oleoſi eſt. *Intus ſumtum ventriculum & caput gravat; commendatur a nonnullis in tuſſi, & ad icterum. Doſis eſt in ſubſtantia; ſcrupulus unus, ad drachmam unam; præſtat in emulſionibus exhibere, externe ad capitis dolores quoque utilibus, nec non ad maculas a variolarum ſuppuratione contractas delendas.*

Cardui benedicti, *Semence de Chardon benit*, Cardobenedicten-Saamen. Oblongum, teres, ſtriatum eſt, & ſcopulam quaſi refert, ſaporis amari. *Vires ſunt alexipharmacæ, antipleuriticæ; in variolis & morbillis etiam adhiberi ſolet. Additur emulſionibus.*

Cardui Mariæ, albis maculis notati, vulgaris, *Semence de Chardon Marie*, Mariendiſtel, Wehdiſtel-Saamen. Oblongum, aliquantum compreſſum, fuſcum eſt, ſaporis amaricantis. *Non ſolum ob ſignaturam, ſed revera antipleuriticum eſt, atque emulſio exinde parata ad internas inflammationes quascunque conducit.*

Semen

Semen Carthami, flore croceo, Cnici, *Semence de Saffran bâtard*, wilder Safran-Saamen. Album, oblongum, angulare eſt, & ſub cortice duriore album, dulcem nucleum condit. Copioſe in Alſatia & in agro Argentoratenſi colitur Carthamus. Semina ſunt eligenda matura, magna, nucleum oblongum, album, pulpoſum, ponderoſum includentia. *Egregium & leve eſt catharcticum, hydragogum, atque tuſſientibus, hydropicis, & febre quartana laborantibus, convenit. Optime in emulſionibus exhibetur, & a drachmis duabus ad ſex dari potest.*

Carvi, Cari, Linn. Cumini pratenſis, *Semence de Carvi*, Kümmich, Wieſen-Kummel. Planta ſponte provenit in pratis; floret Majo, & ſequente menſe ſemina maturantur. *Semina carminativa, ſtomachica & diuretica ſunt, atque ad quatuor calida majora referuntur.*

Cataputiæ majoris, Ricini vulgaris, Ricini foliis peltatis ſerratis, petiolis glanduliferis, Linn. *Semence de Ricin, de Chaſſetaupe*, Purgier-Körner, Treib-Körner. Ovalis figuræ atque quodammodo compreſſæ eſt, Fabæ minoris magnitudinis, coloris albicantis & cineracei, ex nigro variegati; ſub putamine tenui nucleum condit album, ſaporis acris. Colitur in hortis, ubi eodem, quo ſeritur, anno floret; in Ægypto vero ſponte naſcitur & perennat. *Hydragogum & purgans ſatis vehemens eſt; Emulſio ex granis decem vel duodecim, i. e. ſeminibus duobus vel tribus, parata, vehementer ſerum educit, & hydropicis, non vero emaciatis & bilioſis, convenit. Oleum ex ſemine expreſſum externe ad membra paralytica commendatur, atque ad drachmas duas & ultra interne poteſt dari ad ſerum educendum.* Ricini majoris *ſemina in multis officinis proſtant, cum hisce noſtris non confundenda, quia ex alia planta* Jatropha, *nempe*, foliis cordatis angulatis *deſumuntur. Utraque tamen ob exurentem acrimoniam & vim inflammantem, admodum ſuſpecta eſſe debent.*

Cataputiæ minoris, Tithymali latifolii, Lathyridis majoris, Euphorbiæ inermis, foliis oppoſitis lanceolatis, umbella univerſali quadrifida tetraphylla reliquis dichotomis, Linn. *Semence d'Epurge*, Spring-Körner, Treib-Körner. Seritur in hortis, & quotannis ſe ſponte propagat. Semina ſunt grana rotunda, Piſi magnitudine; nucleus albus a corticoſa ſubſtantia includitur. *Vehementer ſurſum & deorſum purgat, ſed vix aliis, niſi hydropicis exhiberi debet, cum ob niniam acrimoniam facile inflammationem inteſtinorum excitare poſſit. Caveant etiam pharmacopolæ hæc grana indiſcriminatim divendere, præſertim ſuſpectis mulierculis nunquam dari debent. Doſis hydropicis grana quinque ad ſeptem. In ſucco expreſſo & inſpiſſato, cum mercurio & ſaturno miſto, ſpecificum quærunt nonnulli contra cancrum.*

Chærefolii, *Semence de Cerfeuil*, Körbelkraut-Saamen. Longum, nigrum, acuminatum, ſaporis acris, aromatici eſt. Seritur in hortis; planta eſt annua. *Seminum vires cum herbæ conveniunt.*

Cicerum rubrorum, ſativorum, flore ex purpureo rubeſcente, Ciceris foliolis ſerratis, Linn. *Semence des pois chiches rouges*, Kichern, Kicher-Erbſen, Zieſern. Seruntur Cicera verno tempore.

*Decoctum commendatur puerperis ad lochiorum fluxum promovendum; nonnulli venerem excitare credunt.*

Semen Cichorii hortenſis, ſativi, *Semence de Chicorée*, Wegwarten-Saamen. *In emulſionibus, ad hepatis inflammationem commendatur.*

Cinæ, Cynæ, Zinæ, Zedoariæ, Sanctum, Santonicum, contra vermes, *Semence contre les vers*, Wurm-Saamen, Zittwer-Saamen. Ex Perſia & Ægypto advehitur. De planta, ex qua hoc ſemen colligitur, nihil certi conſtat. Volunt eſſe Abſinthii ſpeciem, quæ *Abſinthium Santonicum, Judaicum & Alexandrinum* C. B. vocatur. Alii ex ſeminibus, terræ mandatis, plantam Tanaceti ſimilem proveniſſe, perhibent. Eligantur ſemina ex viridi flaveſcentia, non pulvere & quisquiliis mixta, odoris Zedoariæ, ſaporis acris, amari. *Vermibus adverſatur, & ſtomachicum ac emmenagogum præbet.*

Citri, Mali Citrei, *Semence de Citron*, Citronen-Saamen. Ex fructu maturo colligendum. *Calefacit, attenuat, & lumbricos necat; ob magnam amaritiem ingratum eſt: additur tamen nonnunquam emulſionibus in febribus malignis.*

Citrulli, Anguriæ, folio Colocynthidis ſecto, ſemine nigro, Cucurbitæ foliis multipartitis, Linn. *Semence de Citrouille*, Angurien-Waſſer-Melonen-Saamen. Eligatur recens, non rancidum. *Vim habet refrigerantem & demulcentem. Seminibus quatuor frigidis majoribus adnumeratur.*

Coccognidii, Laureolæ folio deciduo, flore purpureo, Chamæleæ, Mezerei, Daphes floribus ſeſſilibus infra folia ellipticolanceolata, Linn. *Semence de Lauréole*, Kellerhals, Seidenbaſt, Purgier-Körner-Saamen. Rotundum, pipere paulo majus, fuſcum & urentis ſaporis eſt. Frutex eſt Laureola, quæ Martio in ſilvis & editioribus locis flores; ſemina circa auctumnum perficit. *Vehementer, ob vim cauſticam, purgat, ut non niſi robuſtiſſimis concedi debeat; hydropicis tria integra grana ab empiricis dantur. Religioſi medici illius uſum merito interdicunt.*

Cochleariæ, rotundifoliæ hortenſis, *Semence de Cochlearia*, Löffelkraut-Saamen. Parvum, ſeminis Papaveris inſtar, eſt, ex rufo fuſcum, rotundum, ſaporis acris, amaricantis. Seritur in hortis. *Antiſcorbuticum eſt, & cum herba convenit.*

Colocynthidis, Cucumeris foliis multifidis, pomis globoſis glabris, Linn. *Semence de Coloquinte*, Coloquinten-Saamen. Albicans, oblongum & compreſſum eſt. Medulla alba, quam ſub cortice duriuſculo continet, non adeo amara deprehenditur, ſicut fructus. *Raro, vel nunquam in uſum venit.* Videatur Fructus.

Coriandri vulgaris, ſativi, majoris, Coriandri fructibus globoſis, Linn. *Semence de Coriandre*, Coriander-Saamen. Seritur in hortis & arvis. Planta eſt umbellifera & annua. Semen rotundum, ſaporis aromatici. *Stomachicum, carminativum & antifebrile eſt. Vete-*

*res*

*res quibus etiam* Linnæus *adſtipulatur, Coriandrum pro venenato habuerunt, ideo aceto præpararunt. De virulentia vero experimenta deſunt.*

Semen Cucumeris ſativi, Cucumeris foliorum angulis rotundatis, Linn. *Semence de Concombre*, Gurcken- Cucumern-Saamen. Albicans, oblongum, planum, & ſaporis oleoſi-dulcis eſt. Seritur in hortis. Fructus in uſum culinarium cedit. *Semen inter quatuor majora frigida numeratur; refrigerat & demulcet, modo ſit recens, non rancidum.*

Cucurbitæ, Cucurbitæ ſeminibus obſolete-bicornibus, Linn. *Semence des Courges*, Kürbſen-Kern. Plures dantur Cucurbitarum varietates; hinc etiam ſemen, quod in officinis proſtat, variæ eſt formæ & magnitudinis, ſemper tamen planum & album, atque margine cinctum. Colitur in hortis, agris & vinetis; Autumno ſemen matureſcit. *Ob vim refrigerantem ſeminibus quatuor majoribus frigidis adſcribitur. Uſus horum ſeminum eſt in emulſionibus, quæ nunquam ſine ſaccharo, ne lentore & mucilagine ventriculum moleſtent, propinari debent; addito vero ſaccharo hoc incommodum prævenire poteſt.*

Cydoniorum, *Semence des Coins*, Quitten-Kern, Quitten-Saamen. Fulvo colore, & magnitudine pomorum ſemina imitatur. Arbores in hortis & vinetis coluntur. *Mucilago e ſeminibus extracta refrigerat, & tam acrimoniam, quam æſtum temperat; in alvi fluxu, ardore & excoriatione linguæ ac faucium cæteris mucilaginoſis ob gratiorem ſaporem præfertur.*

Cymini, Cumini Linn. Cumini ſemine longiore, hortenſis, Romani, Fœniculi Orientalis, Cuminum dicti, Tournefortii, *Semence de Cumin*, Römiſcher Kümmel, langer Kümmel. Oblongum & ſtriatum, ex flavo ſpadiceum eſt. E regionibus calidis, præcipue ex Melita inſula, ubi copioſe ſeritur, advehitur. *Ingrati eſt odoris & ſaporis; carminativum tamen, diſſolvens & diureticum inſigne. Seminibus quatuor majoribus calidis accenſetur.*

Cynosbati, Roſarum ſilveſtrium, *Semence d'Eglantier*, Hägen-Hüften-Hagenbutten-Saamen. A lanugine, quæ pruritum & moleſtiam in ano parit, probe liberari debent. *Laudantur ob lithontripticam virtutem ad calculum præcavendum.*

Dauci Cretici, Candiani, Myrrhidis annuæ, ſemine ſtriato, villoſo incanæ, Athamanthæ foliolis linearibus planis hirſutis, petalis bipartitis, ſeminibus oblongis hirſutis, Linn. *Semence de Daucus de Créte*, Mohren-Kümmel, Cretiſcher Vogelneſt-Saamen. Daucus habet folia Fœniculi tenuiſſima, ſemina oblonga, incana, ſuperiore parte acutiora; ſaporis eſt acris, aromatici, grati. In Creta ſponte provenit; colitur etiam in hortis. *Alexipharmacam, diureticam, carminativam & uterinam virtutem habet. Ad Theriacæ & Mithridatii confectionem requiritur.*

Dauci vulgaris Germanici, Paſtinacæ ſilveſtris, Dauci Seminibus hiſpidis, Linn. *Semence de Panais, ou de Carotte ſauvage,*

Vogelneſt- wilder Möhren-Saamen. Floret menſe Junio, in ſegetibus, paſcuis & pratis. In medio umbellæ floris purpureus plerumque reperitur floſculus, qui instar Coccionellæ purpureo colore inficit, & ad Epilepſiam commendatur. Dicitur a vulgo: das Vögelein im Neſt, ſ. *Avicula in nido. Semen cum præcedente, tam forma, quam ſapore, convenit, paulo tamen minus eſt, & ſaporis non adeo aromatici. Carminativa & diuretica gaudet virtute, & adſemina minora calida refertur.*

Semen Ebuli, Sambuci agreſtis arilli vel acilli, *Semence d'Yeble*, Attich-Saamen. *Hydragogis adſcribuntur, & urinam ſimul movent. Dantur ex vino. vel in ſubſtantia, vel infuſo. Oleum ex ſemine expreſſum per ſuperiora & inferiora, a drachma una ad unam ſemis aſſumtum, purgat, & contra philtra laudatur.*

Endiviæ albæ, ſativæ, Scariolæ, Intybi ſativæ, Cichorii latifolii, Tournefort. *Semence d'Endive*, Endivien, Winter-Endivien-Saamen. Parvum, oblongum, albo, & etiam alia ſpecies nigro cortice tectum, reperitur. Colitur planta in hortis, & in uſum culinarium cedit. *Seminibus quatuor minoribus frigidis adſcribitur. Refrigerat, ictericis & hepaticis prodeſt; uſus eſt in emulſionibus.*

Erucæ, Sinapi hortenſis, Sinapi albi, Braſſicæ foliis lyratis, caule hirſuto, ſiliquis glabris, Linn. *Semence de Roquette*, weiſſer Senf. Rotundum, parvum, flaveſcens, & ſaporis acris eſt. Colitur in agris & hortis; floret Majo & Junio; Auguſto & Septembri ſemina perficit. *Antiſcorbutica & diuretica vi pollet; externe ad ſinapiſmos etiam expetitur. Condimentum illud, quod* Muſtardam *vocant, ex Erucæ & Sinapios ſemine cum muſto parari ſolet.*

Fabarum, vulgarium, albarum, viciæ caule erecto, petiolis cirrho deſtitutis, Linn. *Féves*, Bohnen. Sunt ſemina plantæ annuæ, papilionaceo flore; ſeruntur in hortis & agris. *Magis in culinarium, quam medicum uſum veniunt. Farina eſt coſmeticum & abſterſorium, atque ad cataplaſmata emollientia & diſcutientia inſervit.*

Fagopyri, Tritici fagini, Polygoni caule erectiuſculo inermi ramoſo, foliis cordato-ſagittatis, ſeminibus lævibus, Linn. *Blé noir, Sarraſin*, Buchweizen, Heydenkorn, Heidelkorn. Grana ſunt triquetra, oblonga, nigra, quæ ſub cortice nigro farinaceam continent ſubſtantiam albiſſimam. Seritur in agris. *Panis, pulmenta & juſculæ ex Fagopyro cocta, cibum præbent haud ingratum, & inprimis commendari ſolent in vulneribus & eroſione ventriculi atque inteſtinorum, cataplaſma ad inflammationem teſtium & mammarum laudatur.*

Fœniculi Cretici, dulcis, Romani, majore ſemine, *Semence de Fenouil doux*, Römiſcher, ſüſſer Fenchel-Saamen. Colitur in hortis, & ex Italia advehitur. Ex cinereo ſpadiceum, oblongum, ſtriatum, ſaporis dulcis, grati eſt. Eligatur recens, multo oleo dotatum, & a ſtipitibus liberum. *Commendatur ad lac augendum, calculum & flatus pellendos. Datur in trageis & infuſis.*

Semen

Semen Fœniculi vulgaris, Germanici, *Semence de Fenouil commun*, Fenchel-Saamen. Colitur in hortis, & altero, poſt ſationem, anno floret & ſemina perficit. *Semen gaudet virtute carminativa, diuretica, lac auget, & pectori amicum eſt. Egregium etiam præbet ophthalmicum, & inter ſemina quatuor majora calida numeratur.*

Fœni græci, Fœnugræci, Trigonellæ leguminibus ſeſſilibus ſtrictis erectiuſculis acuminatis, Linn. *Semence de Fenugrec*, Bocks-horn-Saamen. Granula ſunt dura, parva, flava, anguloſa, quæ in longis, acuminatis ſiliquis, corniformibus, creſcunt. Saporis & odoris ingrati mucilaginoſi. Seritur in agris, floret Junio; annua eſt planta, & ad papilionaceas refertur. *Uſus ſeminis eſt externus in cataplaſmatibus. Virtute pollet anodyna, emolliente & diſcutiente. Equis etiam eſt medicamentum confortans.*

Fraxini, Lingua avis, Fraxini floribus nudis, Linn. *Semence de Frêne*, Eſchbaum-Saamen, Vogelzungen. Fraxinus arbor in ſilvis provenit. Semen ex longis, planis & ad modum linguæ acuminatis laminis, ſeu foliolis conſtat, in quibus ex flavo fuſcum ſemen latet, ſubacri & amaro ſapore præditum, quod excorticatum in uſum vocatur. *Adſcribitur illi vis diuretica, lithontriptica, antipleuritica, antihydropica & aphrodiſiaca.*

Geniſtæ anguloſæ, Scopariæ, *Semence de Genêt*, Geniſten-Pfriemen-Künſchotten-Saamen. Eſt ſeminis Lini magnitudine, lutei coloris, aliquantum planum, cordiforme, ſaporis amaricantis. Provenit in incultis, floret menſe Majo & Junio. *Seminis drachma una in pulvere ex aqua exhibita alvum & urinam movet, & hydropicis confert; in majori doſi vomitus excitare ſolet.*

Hordei, Hordei floſculis lateralibus maſculis muticis, angularibus imbricatis, Linn. *Semence d'Orge*, Gerſte. Seritur in agris; eſt vel hybernum vel vernum; prius ante hyemem, poſterius verno tempore ſeritur. *Virtute demulcente, anodyna, nutriente & refrigerante conveniunt; plerumque in uſum vocatur excorticatum ſive perlatum. Uſus eſt in decoctis, ptiſanis, & externe in cataplaſmatibus.*

Hyoſciami albi, *Semence de Jusquiame*, weiſſer Bilſen-Saamen. Pallidi coloris, parvum, planum, reniforme, & oleoſi ſaporis eſt; menſe Septembri ad maturitatem pervenit. *Stupefacientem vim habet, & merito inter infida medicamenta ponitur, a nonnullis tamen ſpecifice in hæmoptyſi commendatur. Ingreditur Pilulas de Cynogloſſo & Philonium Perſicum. Nonnunquam etiam in parva doſi exhibitum funeſtos edidit effectus, deliria, maniam, ſopores, convulſiones lethales; imo etiam externe fumo ſuſcepto, & fomentationibus, deliria moviſſe, exempla proſtant. Doſis in ſubſtantia grana octo ad ſcrupulum ſemis usque. Hyoſciami antidota ſunt ſinapi, allium, cepæ, & vomitoria.*

Hyperici, *Semence de Millepertuis*, Johanneskraut-Saamen. Parvum, oblongum, cylindriforme, coloris ex rufo fuſci, ſaporis amari,

reſinoſi eſt. *Vulnerarium, diureticum, antinephriticum & anthelminticum egregium habetur. Datur a drachma dimidia ad integram.*

Semen Lactucæ ſativæ, non capitatæ, *Semence de Laitue*, Lattich-Saamen. Colitur in hortis. *Semina cum tota planta refrigerant, bilioſis conveniunt, & ſeminibus quatuor minoribus frigidis adnumerantur.*

Lapathi acuti, *Semence de Patience*, Mengel- oder Grindwurz-Saamen. Fuſcum & triangulare, Acetoſæ ſimile eſt. *Virtute pollet adſtringente & alexipharmaca.* Volkamero *teſte, ſemen ex lapatho folio acuto rubente, miraculi loco ſopit alvi fluxum dolentem, ſcrupuli unius, vel drachmæ ſemis doſi contuſum, & in vino ſumtum.*

Lappæ majoris. Vide Bardanæ.

Leviſtici, Liguſtici, *Semence de Leveche*, Liebſtöckel-Saamen. Oblongum, planum & ſtriatum ac membranaceum eſt, coloris pallidi, odoris fragrantis, ſaporis aromatici. Colitur in hortis. *Alexipharmacum, diureticum, carminativum & hyſtericum cenſetur.*

Lini ſativi, Lini foliis alternis lanceolatis integerrimis, calycibus acuminatis angulatis, capſulis mucronatis, Linn. *Semence de Lin*, Leinſaamen, Flachsſaamen. Seritur in agris. Oblongum, planum, læve, ſplendens, fuſcum & ſaporis oleoſi eſt. *Vires habet anodynas, emollientes & maturantes. Decoctum vel mucilago tuſſientibus, phthiſicis & pleuriticis commendatur; imo mucilagine hujus ſeminis ſola, per aliquot ſeptimanas loco jentaculi aſſumta, colica ſpasmodica, ex plumbi fumo contracta, quam metallifuſores* Hütten-Katze *vocant, laborantem, me reſtituiſſe, memini; externe in cataplasmate dolores mitigat, emollit, diſcutit, & fœtum mortuum pellere creditur.*

Lupinorum ſativorum, flore albo, Lupini calycibus alternis, appendiculis lateralibus nullis, Linn. *Semence de Lupin*, Feigbohnen, Wolfsbohnen. Fabæ adæquat magnitudinem; colore eſt album, figura rotunda, compreſſum & in medio quaſi concavum. Colitur in hortis; ſemina ſeruntur vere; planta floret Junio, Julio & Auguſto; ſemina maturitatem Septembri conſequuntur. *Interne raro vel nunquam in uſum vocantur; externe ad conficienda cataplasmata diſcutientia inſerviunt. Cosmeticum etiam præbent, ob vim abſtergentem.*

Lycopodii, Plicariæ, Muſci clavati, ſquamoſi, vulgaris, repentis, Lycopodii foliis ſparſis filamentoſis, ſpicis teretibus pedunculatis gemminis, Linn. *Semence de Lycopodium*, Beerlappen-Gürtelkraut-Truttenfußſaamen. Provenit in ericetis ſilvæ Martiæ. Pulvis flaveſcens, qui in clavis reperitur, ab aliis pro ſemine, aliis pro polline antherarum habetur. *Commendatur tanquam panacea fere ad omnes infantum morbos. Eſt diureticum, roborans, anodynum, antihecticum, antepilepticum & traumaticum. Doſis grana ſex, ſcrupulus ſemis, ad ſcrupulos duos in adultioribus. Externe valet ad intertrigines, cum Tutia, vel pauxillo Ceruſſæ mixtum. Flammis injectum tanquam pyrius pulvis fulgurat; hinc inde a nonnullis* Sulphur vegetabile *appellatur.*

Semen

Semen Malvæ, folio ſinuato rotundo, *Semence de Mauve*, Pappeln-Käß-Pappeln-Saamen. Eſt fuſcum, ſemilunare, in parvas placentulas caſeoli inſtar congeſtum, mucinginoſi ſaporis. Malva provenit in ſepibus, floret Majo, & ſemina perficit Junio & Julio. *In aqua decoctum, vel in pulvere exhibitum, vim habet demulcentem, antinephriticam.*

Melonum, Cucumeris foliorum angulis rectis, Linn. *Semence de Melon*, Melonen-Kern oder Saamen. Vix a ſemine Cucumeris diſtinguitur; craſſius tamen eſt. Colitur in hortis; Julio & Auguſto matureſcit. *Refrigerat, demulcet, nephriticis commendatur, & inter ſemina quatuor majora frigida numeratur. Sit recens, ponderoſum, non rancidum.*

Milii ſolis, Lithoſpermi majoris Cretici, Lithoſpermi ſeminibus levibus, corollis calycem vix ſuperantibus, foliis lanceolatis, Linn. *Semence de Gremil*, Meerhirſe, Steinſaamen, Perlenhirſe. Rotundum, glabrum, ſplendidum, album, ſemine Cannabis paulo minus eſt. Provenit in ſegetibus. *Diureticum & lithontripticum eſt, partum promovet, & ad febrem quotidianam, ante paroxysmum ad drachmam integram aſſumtum, laudatur.*

Napi ſativi, Buniadis, Braſſicæ radice cauleſcente fuſiformi, Linn. *Semence de Navet*, Stechrüben-Saamen. Parvum, rotundum, ex rubro nigrum, ſaporis acris, amaricantis eſt. Seritur in agris; altero poſt ſationem anno floret & ſemina perficit. *Alexipharmacæ, abſtergentis & attenuantis virtutis eſt. Datur in emulſionibus.*

Naſturtii hortenſis, Lepidii foliis oblongis multifidis inciſis, Linn. *Semence de Creſſon*, Kreßig-Garten-Kreſſen-Saamen. Parvum, oblongum, ex flavo fuſcum, ſaporis acris eſt. Seritur in hortis primo vere, & Junio vel Julio ſemina maturantur. *Commendantur hernioſis & ſcorbuticis; urinam cient.*

Nigellæ, Melanthii, Cumini nigri, Nigellæ petalis ſubtricus ſpidatis, foliis ſubpiloſis, Linn. *Semence de Nielle*, ſchwarzer Kümmich, ſchwarzer Coriander. Extus nigrum, anguloſum & rugoſum, intus album eſt, ſaporis acris. Colitur in hortis; floret Julio & Auguſto. Semina odorem quendam gratum aromaticum ſpirant. *Incidunt, aperiunt, & urinam movent; ad hydrophobiam & animalium rabidorum morſus, lac augendum, & febres quartanas commendantur, & inter errhina decantata ſunt. Multis vero internus uſus ſuſpectus eſt, ob characterem, quem planta habet.*

Orobi, Ervi veri, Ciceris piſtillorum germinibus undulato-plicatis, Linn. *Semence d'Orobe*, Erbenſaamen. Grana ſunt ſpadicea, & aliquantum rotunda, ſaporis farinacei, amaricantis. Seruntur in hortis, ad plantas flore papilionaceo referuntur. *Semina in decocto ad nephritidem, & in cataplasmatibus ad emolliendos & maturandos abſceſſus laudantur.*

Papaveris albi, hortenſis, ſativi, Papaveris caule multifloro, foliis ſimplicibus glabris inciſis caulinis, Linn. *Semence de Pavot blanc,*

*blanc*, weiſſer Mag-Mohnſaamen, Oelmagenſaamen. Album, valde minutum, ſaporis ſubdulcis, oleoſi, eſt. Colitur in hortis, floret Junio, Julio & Auguſto; eligatur recens, maturum, ponderoſum. *Virtutis eſt anodynæ, lenitivæ & demulcentis. Datur in emulſionibus.*

Semen Papaveris nigri, hortenſis, ſemine nigro, *Semence de Pavot noir*, ſchwarzer Mag-Saamen. *Cum præcedente convenit magnitudine & virtute.*

Perfoliatæ, *Semence de Percefeuille*, Durchwachs-Saamen. Ex nigro fuſcum, oblongum, in uno latere convexum, in altero aliquanto planum, & quaſi crenatum, ſaporis ſubamari, acriuſculi. *Adſtringit, & herniosis tam interne, quam externe commendatur.*

Petroſelini Macedonici, Apii ſaxatilis, petræi, Bubonis foliis rhombeis ſerratis glabris, umbellis paucis, Linn. *Semence de Perſil Macedonien*, Stein-Eppich, Stein-Peterlein, Macedoniſcher Peterſil-Saamen. Petroſelini vulgaris ſemine paulo longius & tenuius, ſtriatum & villoſum, obſcure viride, acris, aromatici ſaporis, odoris fragrantis eſt. Colitur in hortis. *Cum ſemine Apii convenit; alexipharmacam, diureticam & carminativam habet virtutem, & ad Theriacæ compoſitionem requiritur.*

Petroſelini vulgaris, *Semence de Perſil*, Peterſilien-Saamen. Eſt oblongum, ſtriatum, parvum, ſaporis aromatici, ſubacris. Seritur in hortis. *Alexipharmacum & diureticum eſt.*

Plantaginis, *Semence de Plantain*, Wegerich-Saamen. Minutiſſimum eſt, longiuſculum, fulvum, ſaporis mucilaginoſi. *Adſtringit & refrigerat; ad calculum, hernias, ſanguinis & alvi fluxiones commendatur. Refertur a nonnullis ad ſemina quatuor minora frigida.*

Pœoniæ folio nigricante maris, *Semence de Pivoine*, Gicht-Roſen-Saamen. In cortice nigro, ſplendente rotundum, piſi magnitudinis, album nucleum, ingrati ſaporis, continet. *Habetur antepilepticum & anodynum. Nonnunquam vomitus excitaſſe, & alvum moviſſe, B.* Bœrhave *auctor eſt.*

Portulacæ hortenſis, latifoliæ, ſativæ, Portulacæ foliis cunei-formibus ſeſſilibus, Linn. *Semence de Pourpier*, Burzel-Burzelkraut-Saamen. Valde exiguum, nigrum, & ſaporis oleoſi eſt. Seritur in hortis, & autumno ſemina perficit. *Semen refrigerat, & ſeminibus quatuor minoribus frigidis adſcribitur.*

Pſyllii; Pulicariæ, Plantaginis caule ramoſo, foliis dentatis, ſpicis nudis, Linn. *Semence de l'herbe aux puces*, Pſillenkraut, Flöhkraut-Saamen. Puliciforme, fuſci coloris, ſaporis mucilaginoſi, & parum acris eſt. Colitur in hortis; in calidioribus regionibus ſponte luxuriat. *Virtute gaudet refrigerante, demulcente & laxante; bilioſis convenit; mucilago extracta ad faucium & linguæ ſiccitatem, nec non anginam confert.*

Semen

Semen Raparum ſativarum, Braſſicæ radice cauleſcente orbiculari depreſſa carnoſa, Linn. *Semence de Rave*, Rüben-Saamen, weiſſer Rüben-Saamen. Eſt Raphani ſemine minus, fuſcum, rotundum, ſaporis oleoſi, acris. *Cum ſemine Napi convenit, & in emulſionibus ad variolas & morbillos expellendos datur.*

Raphani, Raphani ſiliquis teretibus toroſis bilocularibus, Linn. *Semence de Raifort*, Rettig-Saamen. Rotundum, rufi coloris, ſaporis acris eſt. Colitur in hortis; radices cedunt in victum. *Semina incidunt, & urinam movent.*

Ruſci, *Semence de Houx - frelon*, Mausdorn-Saamen. Bacca eſt rotunda, ex fuſco rubra, quæ ſemen continet nigrum, ſaporis ſubdulcis. *Diuretica & abſtergente gaudet virtute, & cum radice convenit; raro, vel nunquam, niſi ad Electuarium benedictum laxativum in uſum vocatur.*

Rutæ hortenſis, *Semence de Ruë*, Rauten-Saamen. Nigrum eſt, parvum, figuræ ſemilunaris, ſaporis acris, amari. Perennat & colitur Ruta in hortis; floret per æſtatem, & ſemina matura profert autumno. *Commendatur ad ſingultum a flatibus ortum, lumbricos enecandos, gonorrhæam, urinam & menſtrua pellenda.*

Sabadilli, *Semence de Sabadillum*, Mexicaniſcher Laus-Saamen. Figura & colore nigreſcente Muſcerdam refert, & in capſulis oblongis, gibboſis, quaſi corniculatis, trilocularibus adfertur. Saporis eſt fervidi, amari, ingrati ſicut *Staphidis agriæ*, odoris nullius. Maſticatum ſalivam ciet, atque acrimonia cauſtica fauces afficit, & nauſeam excitat. E Mexico, Americæ regno advehitur, &, quantum ex capſula ſeminali & effectu conjicere licet, *Veratri* vel *Aconiti* eſt ſpecies. *Miræ contra pediculos eſt efficaciæ, quos vix adplicitum, magis præſentaneo effectu, quam Mercurius vel ſemen* Staphidis agriæ, *perimit. Semen cum capſula ſeminali in pulverem teritur, & vel ſolus pulvis, vel axungia ſuilla exceptus, adplicatur. Milites, religioſi & nautæ, ſuturas veſtium hoc ſemine fricare ſolent, atque ſe contra hos, alias infenſiſſimos boſtes, reddunt ſecuros. Pulvis hujus ſeminis ſaccharo commixtus, vel quibusvis eduliis inſperſus, mures & glires necat.*

Sambuci, *Semence de Sureau*, Hollunder-Saamen. Sunt arilli, ſive acini ex baccis Sambuci. *Oleum inde expreſſum alvum laxat, & ſerum educit; ad drahmas duas ſumptum, ſpecifice contra philtra commendatur.*

Santonicum, vide Semen Cinæ.

Saxifragiæ albæ, vide Radices ejusdem.

Scariolæ, vide Semen Endiviæ.

Seſami, Digitalis Orientalis, Seſamum dictum, Tournefort. Seſami foliis ovato-oblongis integris, Linn. *Semence de Seſame, ou Jugeoline*, Leindotter, Flachsdotter-Saamen. Ex Ægypto, Sicilia & Italia advehitur. Eligenda ſemina albicantia, oleoſa, dulcia.

*Emolliunt, reſolvunt & digerunt. Ægyptiis in cibum cedunt.* Paſſim pro ſemine Seſami *ſemen Myagri ſativi* vendunt.

Semen Seſeli Cretici, Tordylii minoris, Tordylii involucris partialibus longitudine petalorum, foliolis ovatis lanceolatis, Linn. *Semence de Seſeli de Candie*, Seſel-Saamen, Cretiſcher Berg-Kümmel. Oblongum, ſtriatum & depreſſum, coloris obſolete viridis, ad fuſcum inclinantis, ſaporis acris, aromatici, eſt. Sponte provenit in Candia, in incultis Apuliæ, & aliis calidis regionibus. *Diuretica, carminativa, & uterina pollet virtute.*

Seſeli Maſſilienſis, Sileris montani, Laſerpitii foliolis lanceolatis integerrimis petiolatis, Linn. *Semence de Seſeli de montagne*, Seſel-Saamen, Berg-Kümmel. In Gallia Narbonenſi & Provincia, in viis & locis incultis provenit; floret Auguſto & Septembri. Semina colliguntur Novembri. Depreſſum & oblongum eſt ſemen. Eligendum viridiuſcule pallidum, ſaporis acris, aromatici, ſucci plenum. *Carminativum eſt, alexipharmacum, diureticum & emmenagogum. Ad Theriacam aſſumitur.*

Sinapi, Rapi folio, ſemine rufo, Sinapeos ſiliquis glabris tetragonis, Linn. *Semence de Moutarde*, rother Senf-Saamen. Perfecte rotundum & ſaporis acris eſt. Seritur in agris; floret Majo & Junio; ſemina menſe Auguſto & Septembri perficit. *Frequens ejus eſt uſus ad muſtardam parandam. Incidit, attenuat, diureſin promovet. Contra vertiginem & in prophylaxin apoplexiæ pituitoſæ datur interne; externe ad ſinapiſmos adhibetur.*

Sophiæ Chirurgorum, Naſturtii ſilveſtris tenuiſſime diviſi, Siſymbrii annui, Abſinthii minoris folio, Tournefort. Siſymbrii petalis calyce minoribus, foliis decompoſito-pinnatis, Linn. *Semence de Siſymbrium*, Sophienkraut-Well-Saamen, Habicht-Saamen. Minutiſſimum, oblongum, rufum, & ſaporis acris eſt. Provenit in locis incultis, circa vias & in arenoſis. Floret per æſtatem, & ſemina ſimul matura perficit. *Vulneraria & mundificante, anthelmintica & diuretica pollet virtute.*

Staphidis agriæ, Herbæ pedicularis, Delphinii Platani folio, Tournefort. Delphinii nectariis diphyllis, foliis palmatis, laciniis integerrimis, Linn. *Semence de Staphis aigre*, Staphis-Körner, Lauſe-Körner. Eſt triangulare, aſperum, nigro-gryſeum, ſaporis acris, nauſeoſi, & ingrati odoris. Naſcitur in calidis regionibus, Hiſpania, Italia, Gallia, nonnunquam in hortis colitur. *Ad purgantia acria, draſtica, pertinet; tam per ſuperiora, quam inferiora evacuat; raro igitur interne adhibetur. Uſus eſt decocti, in ore detenti, ad dolores dentium; frequentius autem, ad pediculos necandos, in pulvere & unguento adhibetur.*

Sumach, Rhois Ulmi folio, Rhois coriariæ, culinariæ, obſoniorum, Rhois foliis pinnatis ſerratis, (ſubtus villoſis,) Linn.

Se-

*Semence de Sumach*, Gerberbaum, Färberbaum-Saamen. Colitur in hortis; ſponte etiam provenit in calidioribus regionibus, præcipue in Hiſpania. Sunt baccæ orbiculatæ, villoſæ, parvæ, rubentes, quæ nucleum ſeu ſemen orbiculatum includunt. *Adſtringunt, & in fluxionibus alvi & ſanguinis conferunt.*

Semen Tanaceti, *Semence de Taneſie*, Rheinfarn-Saamen. Saporis aromatici, amari eſt, & cum *Semine Cinæ* convenit. *Egregium præbet carminativum & anthelminticum; laudatur etiam uterinum & emmenagogum.*

Thlaspios arvenſis, Thlaspios ſiliculis orbiculatis, foliis oblongis dentatis glabris, Linn. *Semence de Thlaſpi*, Bauren-Senf, Beſenkraut-Saamen. Oblonge rotundum, parvum, fuſcum, ſaporis viſcoſi, acris eſt. Provenit in locis incultis, apricis & ſaxoſis; floret Majo & Junio. *Urinam potenter movet, & ad aperiendos abſceſſus internos commendatur.*

Violarum, purpurearum, martiarum, *Semence de Violettes*, blauer Violen-Saamen. Albicans, rotundum, ſplendidum, & ſaporis oleoſi, ſubacris eſt. Violæ florent Martio & Aprili, & ſemina menſe Junio ad maturitatem perveniunt. *Virtute pollent diuretica, leniter laxativa. In emulſionibus dantur.*

Viticis, vide Sem. Agni caſti.

Urticæ Romanæ, piluliferæ, Hiſpanicæ, ſemine lini, Urticæ foliis oppoſitis, amentis fructiferis globoſis, androgynæ, Linn. *Semence d'Ortie Romaine*, Römiſcher Neſſel-Saamen. Fuſcum, ſplendens, Lini ſemine minus, ſaporis parum acris eſt. Colitur in hortis apud nos; in regionibus calidis ſponte provenit. *Commendatur ad affectus pulmonum, aſthma, tuſſim ferinam & pleuritidem; nephriticis prodeſt, & in pulvere, vel, quod præſtat, in emulſionibus propinatur.*

Urticæ urentis, vulgaris, racemiferæ, *Semence d'Ortie*, Brenn-Neſſel-Saamen. *Diureticum eſt, & ſubadſtringit.*

Zedoariæ, vide Semen Cinæ.

## CAPUT V.

# DE FRUCTIBUS, BACCIS ET NUCLEIS.

Acaciæ germanicæ, noſtratis, Pruna agreſtia, *Prunelles ſauvages*, gedörrte Schlehen. Autumno maturæ colliguntur & exſiccantur. *Refrigerant & adſtringunt; in gargariſmis ad uvulæ relaxationem, & gingivas relaxatas proſunt. Præcipuus recentium uſus eſt ad ſuccum inde exprimendum, qui ſucco* Acaciæ Ægyptiacæ *ſubſtitui poteſt.*

Alkekengi, ſeu Halicacabi baccæ, Solani veſicarii, *Coquerets*, Juden-Kirſchen. In vineis & ſilvis umbroſis proveniunt; florent Junio & Julio

lio, & autumno fructus, in veſica incluſi, maturitatem adipiſcuntur. *Refrigerant, urinam movent, & calculoſis proſunt.*

Amygdalæ amaræ, *Amandes ameres*, bittere Mandeln. Arbor primo vere floret, & ab Amygdalo, dulces fructus proferente, non differt. *Linnæo* vocatur: *Amygdalus foliis petiolatis: ſerraturis infimis glanduloſis.* Colitur in hortis, ſed raro occurrit; inter alias amygdalos dulces in tractu Rheni & regionibus calidioribus frequentior. *Ut plurimum ad oleum exprimendum in uſum vocantur. Vulpibus, Pſittacis & aliis animalibus carnivoris lethales ſunt.*

Amygdalæ dulces, *Amandes douces*, ſüſſe Mandeln. Amygdalus ſativa colitur in hortis & vineis; copioſe provenit in Provincia, Languedocia & aliis calidis regionibus. Eligantur majores, quas *Ambroſinas* vocant, non rancidæ, nec verminoſæ. *Ad emulſiones & oleum conficiendum præcipuus earum eſt uſus.*

Anacardium, eſt arboris Malabaricæ, *Oepatæ* & Linnæo *Aviceniæ* dictæ, fructus, *Anacardes*, Elephanten-Lauß. Orientale figuræ cordis compreſſi, occidentale vero reniforme eſt, & *Acajou* vocatur; nigricat utrumque, ſub involucro duplici nucleum ſolidum albicantem, ſaporis ſubdulcis, condit; inter hoc involucrum ſuccus rubicundus oleoſus, ſaporis acris & exurentis reperitur. *Nucleos ventriculum roborare, venerem ſtimulare, & memoriam confortare, perhibent; ſuccus oleoſus ad ſcirrhos reſolvendos, & clavos pedum extirpandos, commendatur. Raro in uſum venit medicum; ipſa etiam* Confectio Anacardina *obſoleta eſt.*

Been, Balanus myrepſica, Glans ungentaria, *Ben*, Ben. Fructus eſt *Guilandinæ inermis, foliis triplicato pinnatis: foliolis infimis ternatis, Linnæi*, arboris in Syria & Arabia naſcentis, & ab incolis ad montem Sinai *Pharagon* dictæ, avellanæ magnitudinis, triangularis, in putamine corticoſo, cinereo nucleum pinguem condentis. *Olei acris amari plenæ ſunt Balani, quod, cum non facile ranceſcat, & odoris plane expers ſit, variorum florum ſuavi odore facile inficitur, & fraudulenti mercatores olea deſtillata hoc oleo inquinare ſolent. Fructus raro apud noſtros pharmacopolas reperitur, & rarioris eſt uſus. Vomitum movet & violenter purgat; ad cutis vitia nonnunquam adhibetur.*

Berberes exſiccatæ, Oxyacanthæ fructus, Berberis pedunculis ramoſis, Linn. *Berberis ſeché*, gedörrte Saurach-Beerlein, Erbſelen, Weinnägelein. Baccæ ſunt oblongæ, in racemos congeſtæ, per maturitatem rubræ, acido grato ſapore præditæ. Frutex ſponte in dumetis & ſilveſtribus locis provenit; floret Aprili, & maturos fructus menſe Septembri offert. *Baccæ refrigerant, bilem refrænant, & æſtum ſanguinis temperant; ſiccatæ in decoctis adhibentur.*

Cacao, Cacavahe, Avellanæ Mexicanæ, *Cacao*, Caccau, oder Chocolade-Frucht. Arbor a Barbaris *Cacahuſe*, aliis *Cacao Cacavifera*, Botanicis vero recentioribus *Theobroma foliis integerrimis* vocatur. Flos ſurgit ex calice pentaphyllo roſaceus, piſtillum tubi cujusdam multiſciſſi laciniis cinctum mutatur in fructum cucumeriformem, quinquangularem, ſtriatum, ſeminibus ſeu nucleis, in quinque ut plurimum acervulos oblongos collectis, fœtum, qui amygdalarum formam habent, & fiſſiles ſunt. Naſcitur in locis uliginoſis, pinguibus, riguis Americæ calidioris. *Theobroma* dicta eſt arbor, cum

fructus

fructus baſin ſternat potionis ſaluberrimæ, maxime nutrientis, *Chocolate* Mexicanis, Europæis quondam ſolis Magnatibus propriæ, (βρωμα των θεων, vos Deos feci, dixit Deus de imperantibus,) licet nunc vilioris factæ. *Non ſolum vero ad Chocolatæ confectionem requiruntur fructus, ſed & oleum ex illis exprimitur dulce, grati ſaporis, copioſum, quod ſevi inſtar frigeſcens coagulatur, & ſub nomine:* Butyri Cacao *venit, de quo inter Olea expreſſa. v. Pharm. Wirt. P II.*

Capita Papaveris, Codia, *Têtes de Pavot*, **Mohnhäupter, Mohnköpfe.** Capſulæ ſunt ſeminales Papaveris ſativi, globoſæ, utplurimum nucis juglandis, non raro mali mediocris magnitudine, coronatæ quaſi, & operculis ſtellatis tectæ, ſemen nunc nigricans, nunc album continentes. Aſſervantur cum & ſine ſeminibus. *Vires ſunt eædem, quæ ſeminum, magis tamen narcoticæ. Ad Diacodii confectionem & pediluvia eorum eſt uſus.*

Caricæ, Ficus paſſæ, *Figues ſeches*, **dürre Feigen.** Sunt fructus Ficus arboris ſativæ, *Ficus foliis palmatis, Linnæo* dictæ. Variæ & multæ earum numerantur ſpecies; optima cenſetur *Ficus ſativa, fructu parvo, ſerotino, albido, intus roſeo, melliſluo, cute lacera Tournefortii.* Hæ, in minutis e ſpartio paratis corbibus, ex Marſilia afferuntur, & Marſilianiſche Korb-Feigen vocantur. Eligantur pingues, non verminoſæ. Vocabulum *Ficus* in officina denotat recentes fructus; *Carica* vero Ficum exſiccatam vel paſſam ſignificat. *Demulcent humores acres, & in raucedine, nephritide, ardore urinæ, & tuſſi ſicca commendantur. Decoctum in variolis laudatur; externe emolliunt, maturant & leniunt.*

Carpobalſamum, *Carpobalſame*, **Balſam-Körner, die Frucht vom Balſam-Baum.** Sunt grana, ſeu baccæ oblongæ, pediculo donatæ brevi, cortice rugoſo, fuſco, quatuor coſtis diſtincto, odoris & ſaporis aromatici, grati. Planta, in qua naſcuntur, eſt *Balſami Syriaci Arbuſcula;* ſecundum *Linnæum Amyris, foliis bijugis.* Creſcit hæc ad Liguſtri vel Cytiſi altitudinem, cortice eſt veſtita ſubrubro, ramuli longi, recti, graciles, paucis foliis inordinatim referti, ſunt ejusdem coloris. Folia Rutæ ſimilia, perpetuo virentia, alata, impari numero vel terna, quina aut ſeptena, deprehenduntur. Flores parvi, albi, Acaciæ proximi, terni ſingulis alis vel extremitatibus ramulorum, quaſi in umbellæ forma inſident, ſumme odorati. Patriam agnoſcit Arabiam felicem, & in pluribus locis etiam arenoſis & ſterilibus, prope *Mecchan* & *Medinam*, nec non citra villam quandam *Bedruniam* ab Arabibus vocatam, ubi mons prægrandis arenoſus, innumeris Balſami arbuſculis refertus, ſponte naſcitur; parum vero vel nihil ex his ſilveſtribus fruticibus Balſami producitur, ſemina tamen vel fructus ferunt copioſos. Incolæ igitur, ut Balſamo fœcundas reddant arbuſculas, in Balſameta & pingue ſolum transferunt, atque diligenter colunt. Non ſolum autem in Arabia felici, ſed etiam in Ægypto Balſámi arbuſculæ, in hortis ad hunc finem conſtructis, aluntur. Carpobalſamum eſt eligendum grave, oleo vel balſamo fœtum, ſaporis cum Opobalſamo convenientis. *Raro in uſum venit medicum; ad Theriacæ vero compoſitionem requiritur. Stomachicum, nervinum, vulnerarium atque diureticum eſt.*

Caſſia fiſtula, Siliqua purgatrix, *Caſſe en bâton*, **Caßien-Röhrlein.** Siliqua eſt longa, rotunda, nigricans, includens ſub putamine corticoſo, in loculamentis, ſemina depreſſa, fulva, & pulpam dulcem nigricantem. Optima cenſetur Alexandrina, ſive Orientalis. Advehitur etiam ex America, quæ

longe craſſiores & breviores ſiliquas, pulpam vero ſaporis amariuſculi, & virtute purgativa præſtantiorem habet. Arbor, quæ Caſſiam fert, *Linnæo* dicitur: *Caſſia foliolis quinque pinnis, ovatis acuminatis glabris petiolatis.* Siliquæ eligi debent recentes, graviores & medulla plenæ. *De virtute hujus medullæ videatur* Pulpa Caſſiæ, *in Parte II. Pharmac. Wirtemberg.*

Ceraſa acida, exſiccata, *Ceriſes aigres ſeches*, ſaure Kirſchen, Wein-Kirſchen, Weichſeln. Sunt fructus Ceraſi ſativæ, fructu acido, ſerotino, ſucco ſanguineo. Colitur arbor in hortis; fructus perficitur Junio & Julio. *Ex recentibus ſuccus exprimitur pro confectione Syrupi; e ſiccatis parantur decocta pulchre rubentia, bilioſis ad æſtum ſanguinis & ſitim ſedandam utilia.*

Ceraſorum Nuclei, *Noyaux des Ceriſes*, Kirſchen-Kerne. Ex omnibus Ceraſorum ſpeciebus colliguntur. *In emulſionibus adhibentur. Sunt anodyni & diuretici.*

Coccognidium. Vide Semina.

Cocculi Indi, Cocculæ Orientales, vel de Levante, *Coques de Levant*, Kockel-Körner, Fiſch-Körner. Ex Oriente afferuntur. Arbor a *Rajo*, *Solanum Indicum arboreſcens, cocculos Indos* ferens, & in *Horto Malabarico*, *Natſiatam* vocatur, & *foliis cordiformibus, floribus monopetalis quinque partitis, candidis, fructibus racematim congeſtis*, deſcribitur. *Linnæo Meniſpermum foliis cordatis retuſis mucronatis* audit. Fructus eſt baccarum Lauri magnitudine; rotundior tamen, fuſco & rugoſo cortice tectus. *Pernicioſi ſunt, atque nunquam in medicina adhiberi intus ſolent. Pediculos enecant, & ad capiendos piſces inſerviunt.*

Coffée, Caffee, Caffea, Coffea, Linn. *Caffé*, Coffe, Caffe-Bohnen. Eſt fructus, ſive nucleus arboris *Bon* vel *Pan*, quæ a nonnullis *Jaſminum Arabicum*, *Lauri folio*, vocatur. Folia habet Lauri, majora, ſemper virentia, pinnata; calix floris eſt quinquefidus, flos infundibuliformis, bacca ſubrotunda, ceraſi magnitudinis, ex carne molli, dulci, viſcoſa, & nucleo bifido conſtat. Sponte provenit arbor in Oriente, præſertim in Arabia & Perſia; in Americam translata, magna in quantitate colitur, neque infrequenter in hortis botanicis reperitur. Baccæ vel ceraſa nunquam in uſum veniunt medicum, quamvis viſcoſa ſua ſubſtantia acrimoniam demulcere valeant; ſemina vero bina, ſibi invicem parte plana cohærentia, & folliculo membranaceo tecta eo frequentius. Variæ nobis afferuntur Coffée ſpecies, quæ ratione bonitatis differunt; ex omnibus optima habetur, quæ ex Oriente affertur, atque *Caffée de Levante* appellatur, quæ cæteris eſt minor, & coloris pallidi; hanc ſequitur alia viridiuſculi coloris; infimæ notæ eſt, cujus ſemina ſunt majora, ex albo flaveſcentia. *Uſtulata, & in pulverem redacta, cum aqua coquuntur, & decoctum, addito Saccharo, fervens ſorbillatur. Ad roborandum ventriculum, juvandam coctionem, & ſpiritus excitandos, laudatur; virtute antihypnotica etiam celebratur. Convenit magis phlegmaticis, & illis, qui frigidioris ſunt temperamenti, quam bilioſis & macilentis.*

Colocynthis, fructu rotundo minor, *Coloquinte*, Coloquinten. Adſcribitur plantis pomiferis, & a cæteris cucurbitaceis folio, in profundas lacinias diſſecto & fructu amaro, differt. Fructus, Pomi mediocris magnitudinis, cortice cingitur duro, flavo, quo vero, antequam ad nos venit, orbatur;

tur; in ſubſtantia alba, levi, fungoſa, ſemina albicantia, plana includit. In Syria & cæteris orientalibus regionibus provenit. Eligatur a cortice exteriori mundata, alba, levis. *Vehementiſſimam vim habet purgantem, ut ſuſpectis mulierculis nunquam dari debeat. In ſubſtantia nunquam, ſed in vino infuſa & in petia ligata, atque in compoſitione Trochiſcorum Albandal, qui inde parantur, medico inſervit uſui. Optimum, vires draſticas Colocynthidis corrigens, habetur* Nux Moſchata *vel* Macis.

Corna, arboris, Corni hortenſis, Corni arboreæ, umbellis involucrum æquantibus Linnæi, fructus exſiccati, *Cornouilles*, Cornel-Kirſchen, Ruhr-Kirſchen, Dürlitzen. Floret arbor, quæ in hortis colitur, menſe Martio, fructus vero maturos menſe Julio perficit. *Refrigerant & ſiccant, & in fluxionibus alvi, atque ad ſitim reſtinguendam commendantur. In decoctis adhibetur fructus exſiccatus; ex recentibus* Roob Cornorum *paratur.*

Cubebæ, vide Aromata.

Cupreſſi Nuces, *Noix de Cyprès*, Cupreſſen-Nüſſe. Sunt coni arboris *Cupreſſi, foliis imbricatis erectis Linnæo*, quæ in Creta inſula copioſe provenit, atque apud nos frequenter in hortis colitur, & perpetua fronde viret. *Nuces ſive coni adſtringunt; in diarrhœa, mictione involuntaria, & ubi adſtrictione opus eſt, vel in pulvere, vel infuſo ac decocto tam interne, quam externe adhibentur.*

Cydonia exſiccata, *Coins ſecs*, gedörrte Quitten. Sunt fructus arboris *Cydoniæ, Pyri foliis integerrimis Linnæi.* Colitur in hortis & vineis; floret Aprili & Majo; fructus Octobri maturat. *Adſtringunt & roborant, ſitim & æſtum temperant. Vulneribus, telis vel aliis inſtrumentis bellicis intoxicatis, inflictis, bono cum effectu imponitur cataplaſma, ex carne cydoniorum cocta, quod & de Succo Cydoniorum* Foreſtus *affirmat.*

Cynosbata, *Cynorrhodons, ou Gratte-cu*, Hüften, Hagenbutten. Sunt fructus *Roſarum ſilveſtrium*, exemptis ſeminibus & lanugine abſterſa, ſiccati. *Adſcribitur eis vis diuretica, aperitiva; laudantur ad ſodam ſive ardorem ventriculi in pulvere exhibiti, & a nonnullis in decoctis pro potu adhibentur.*

Dactyli, *Dactes*, *Dattes*, Datteln. Sunt fructus *Palmæ* majoris, vulgaris, dactyliferæ, *Phœnicis frondibus pinnatis, foliolis alternis enſiformibus baſi complicatis, petiolis compreſſis, dorſo rotundatis, Linnæi.* Vocantur etiam *Palmulæ* & *Cariſtæ.* Figura ſunt oblongi, rotundi, Glandium majorum magnitudine & forma; includunt ſub dulci carne nucleum durum, oblongum, per longitudinem ſulcatum. Naſcuntur in Syria, & Ægypto, aliisve calidis orientalibus provinciis. Eligendi ſunt magni, fulvi, parum rugoſi, molles, carnoſi, ſaporis mellei, vinoſi. *Vires habent demulcentes; hinc in catarrhis, tuſſi & faucium aſperitate, calculo, nephritide & dyſuria utiles ſunt.*

Ebuli Baccæ exſiccatæ, Attich-Beer. Vide Semen Ebuli.

Faba S. Ignatii, Faba febrifuga, Nux Vomica legitima Serapionis Camelli, *Feve de S. Ignace*, St. Ignatius Bohnen. Sunt ſemina oblonga, Avellanæ nuci cum putamine æqualia, nonnunquam paulo majora, nodoſa, duriſſima, corneæ quaſi ſubſtantiæ, ſaporis intenſe amari, coloris glauci. Naſcitur in planta cucurbitifera, *Malabathri folio ſcandente*, Catolongay &

*Contara* Philippinis Orientalibus dicta; in uno fructu viginti & plures hujusmodi fabæ reconduntur, molli flaventeque pulpa ab invicem distinctæ. Facile fiunt carioſæ, quæ rejiciendæ. *Venenis reſiſtere, febres quartanas curare, urinam & menſes provocare, creditur. Nimis largam doſin vertiginem & vomitus, ſudores frigidos, & animi deliquia excitaſſe,* Rajus *in* H. Pl. *auctor eſt. Doſis in ſubſtantia grana ſex, adultiori etiam grana decem dari poſſunt. Vino infuſa amaritie illud,* Centaurii minoris *inſtar, inficit.*

Gallæ, *Noix de Galle,* Gallåpffel. Plerumque inter fructus ponuntur; ſunt vero excreſcentiæ morboſæ a puncturis inſecti cujusdam, ovula deponentis, ortæ. In robore, quercus ſpecie, naſcuntur. Præferuntur cæteris illæ, quæ ex Aleppo & Smirna advehuntur, atque nigræ, nodoſæ, aculeatæ, ponderoſæ & minores ſunt; flaveſcentes vero magnæ & leves improbantur. *Virtutis ſunt adſtringentis, & pro febrifugo habentur. Decoctum ad examinandas aquas minerales inſervit, & cum* Vitriolo Martis *exhibet atramentum.*

Glandes quercinæ, *Glands,* Eicheln. Fructus arboris notiſſimæ, quercus vulgaris. Diverſæ ſunt quercus ſpecies, quæ tamen omnes virtute conveniunt, glandes vero vel magnitudine, vel ſapore diſtinguuntur. *Eſculus* dulces habet glandes; *Ilex* & ceteræ amaras. *Virtute pollent adſtringente, & in alvi fluxionibus atque urinæ incontinentia commendari ſolent.*

Grana Kermes, Grana Tinctorum, *Kermes, ou Graines d'Ecarlate,* Scharlach-Beer, Carmeſin-Beer. Eandem originem, quam Gallæ, habent, & in foliis *Ilicis coccigeræ aculeatæ,* e puncturis & depoſitione ovulorum inſecti cujusdam naſcuntur. Ex Monſpelienſi agro ad nos veniunt. Eligenda ſunt grana rubicundo-fuſca integra. *Ex his granis* Succus *vel potius* Syrupus Chermes & Confectio Alkermes *parantur. Modice adſtringunt, & cardiaca creduntur.*

Grana Paradiſi, vide inter Aromata.

Grana Tiglia, *Pignons d'Inde, ou Graines de Tilli,* Purgier-Körner. Sunt *Ricini Indici* arboreſcentis, *Pavana* incolis & *Croton foliis ovatis glabris acuminatis ſerratis, caule arboreo, Linnæo* dicti, fructus oblongi, ovales, Ricini vulgaris magnitudine, coloris cinerei, putamine tecti, quod condit nucleum ſaporis acris. Seritur & colitur in Malabaria hæc arbor, & magni ab incolis æſtimatur. Truncus ſuppeditat *Lignum Moluccenſe. Vehementer purgant, hinc perſonis ſuſpectis nunquam, & aliis ſumma cum circumſpectione dari debent; ſerum potenter educunt, & in hydrope nonnunquam laudabilem præſtiterunt effectum. Ob excedentem acredinem, fauces, palatum, & nonnunquam anum inflammant. Corriguntur* Succo liquiritiæ, *aromatibus vel viſcoſis. Doſis granum unicum fructus, vel grana ſex ponderis medicinalis.*

Granatorum poma, vide Cortices.

Hederæ Baccæ, *Bayes de Lierre,* Eppheu-Beer. Sunt fructus Hederæ arboreæ corymboſæ, ſeu fructibus in corymbos digeſtis. *Purgant per ſuperiora & inferiora; laudantur ad febres intermittentes, & philtra. Doſis drachma dimidia ad integram, ex aceto vel vino.*

Hippocaſtanum vulgare, Caſtaneæ equinæ, folio multifido, Æſculi floribus heptandris, Linn. *Marons d'Inde,* Roß-Caſten, wilde bittere

bittere Caſtanien. Arbor olim in Germania rara, nunc frequenter occurrit. *Nucleus in pulverem redactus præbet errhinum, & ſerum copioſum e naribus educit, atque hemicranicos dolores nonnunquam mitigaſſe compertum eſt. Cæterum equis anheloſis & tuſſientibus, cum pabulo exhibitus, opem fert.*

Jujubæ, *Jujubes*, rothe Bruſtbeer. Sunt fructus arboris *Ziziphi*, ſive *Jujubæ majoris*, magnitudine olivari, coloris rubri, ſaporis dulcis, mucilaginoſi, continentes oſſiculum unicum. In Italia, Hiſpania & Botanophilorum hortis colitur. A *Linnæo: Rhamnus, floribus digynis, aculeis geminatis rectis, foliis ovato-oblongis*, vocatur. Eligantur recentes, ſucculentæ, non putridæ ac carioſæ. *Demulcent & humectant; exhibentur in decoctis, maxime pectoralibus.*

Juniperi Baccæ, Juniperi foliis ſeſſilibus patentibus, Linn. *Bayes de Genevre*, Wachholder-Beer. Sunt fructus Juniperi vulgaris, ubique in ſilvoſis, montoſis, & ericetis obviæ, flores a fructu ſunt remoti. Colligantur baccæ maturæ, magnæ, nigræ, reſinoſæ. *Incidunt, reſolvunt, urinam cient, carminativæ & alexipharmacæ ſunt.*

Lauri Baccæ, *Bayes de Laurier*, Lorbeeren. Arboris *Lauri latifoliæ* fructus rotundus, nigricans, ſub putamine tenui nucleum geminum includens, ſaporis amari, aromatici. Arbor habet flores pentapetalos, fructum per maturitatem ſiccum, monococcum. Sponte gignitur in Italiæ ſepibus & ſilvis; colitur apud nos in hortis. *Menſes & urinam cient; in affectionibus colicis, & ventriculi frigidis conducunt. In colica lochiali raro tutæ. Doſis in pulvere ſcrupulus ſemis.*

Meſpili Fructus exſiccati, Meſpili foliis lanceolatis integerrimis ſubtus tomentoſis, calycibus acuminatis, Linn. *Nefles ſeches*, gedörrte Meſpeln. Fructus arboris ejusdem nominis, folio laurino non ſerrato. Colitur in hortis; floret Majo & autumno fructus abſolvit. *Refrigerant & adſtringunt; arilli laudantur ad calculum.*

Myrobalani Belliricæ, rotundæ, *Myrobalans Bellirics*, Belliriſche Myrobalanen. Gallarum majorum magnitudinem, figuram rotundam, nonnunquam anguloſam obtinent.

Myrobalani Chebulæ, *Myrobalans Chebules*, groſſe ſchwarzbraune Myrobalanen. Omnium ſunt maximæ, oblongæ, rugoſæ. Ex arbore Myrobalanifera, Perſici folio, colliguntur.

Myrobalani citrinæ, *Myrobalans citrines*, gelbe Myrobalanen. Sunt arboris, Sorbi folio, Myrobalaniferæ fructus oblongi, rotundi, pentagoni, rugoſi, Chebulis Myrobalanis minores.

Myrobalani Emblicæ, *Myrobalans emblics*, Aſchfarbe Myrobalanen. Fructus arboris, foliis minutim inciſis, rotundi, nigri, ſeſſiles, ſexangulares. *Linnæus* arborem, quæ hunc fructum fert, vocat: *Phyllanthum foliis pinnatis floriferis pedunculatis, caule arboreo, fructu baccato.*

Myrobalani Indæ, *Myrobalans Indiens noirs*, Indianiſche ſchwarze Myrobalanen. Arboris Myrobalaniferæ, Salicis folio, fructus oblongi, ſuperficie octangulari, rugoſi, ſolidi & duri, intus & extus coloris nigri. My-

robalaniferæ arbores nondum ſatis innotuerunt; ad Pruniferas referuntur, & in multis Indiæ Orientalis regionibus reperiuntur. Eligendæ ſunt carnoſiores & ponderoſiores. *Adſcribebant veteres Myrobalanis citrinis bilem flavam, Indis bilem atram, Chebulis, Belliricis & Emblicis pituitam & bilem educendi facultatem.*

Myrti Baccæ, *Bayes de Myrte*, Myrten-Beer. Sunt fructus *Myrti communis Italicæ*, oblongi, nigri, umbilicati, triloculares, multis ſeminibus reniformibus fœti, ſaporis acerbi, adſtringentis. Advehuntur ex Italia & Gallia. *Refrigerant & adſtringunt; tam interne, quam externe adhibentur; raro tamen in uſum veniunt, & plerumque Baccæ Myrtilli, ſeu Vitis Idææ illis ſubſtituuntur.*

Myrtilli exſiccati, Baccæ Vaccinii foliis ovatis ſerratis deciduis, caule angulato Linn. *Bayes de Myrtille, d'Airelle*, Heidelbeer. Planta in ericetis naſcitur; floret Majo, flos urceolum refert, & menſe Julio & Auguſto fructus maturantur. *Frigidi ſunt & ſubadſtringunt, febrium calorem mitigant, & in decoctis, quæ pulchro colore inficiunt, adhibentur.*

Nuces Vomicæ, *Noix vomiques*, Krähen-Augen. Semina ſunt *Solani arborei Indici maximi, foliis Oenopliæ majoribus, fructu rotundo, duro, rubro, ſeminibus orbicularibus, compreſſis, maximis*, in *Horto Malabarico Caniram* appellatæ. *Linnæo* vocatur: *Strychnos foliis ovatis, caule inermi.* Ex Malabaria advehuntur; ſunt orbiculatæ, cornea duritie, colore cinereo. *Veteres pro alexipharmaco Nuces Vomicas habuerunt; merito vero inter infida a recentioribus ponuntur medicamenta: narcoticæ & virulentæ; canibus, felibus, corvis, aliisve brutis carnivoris præſentiſſimum ſunt venenum.*

Nuclei Pineæ, Pigneoli, *Pignons*, Pinien-Nüßlein, Zirbel-Nüßlein. Arbor Pinus ſativa, *Pinus foliis geminis: primordialibus ſolitariis ciliatis Linnæi*, quæ hos fructus fert, copioſe in Italia creſcit. Nuclei ſunt oblongi, candidi, incluſi oſſiculis craſſis & duris, in ſquamato cono diſpoſitis. Eligantur recentes, non rancidæ. *Demulcent, reſolvunt & pinguefaciunt; phthiſicis, tuſſi ſicca & ſtranguria laborantibus, proſunt.*

Paridis Baccæ, *Bayes des raiſins de Renard*, Wolfs-Beer, Einbeer. Solani quadrifolii, bacciferi, ſive Paridis herbæ ſunt fructus. Flos in ſingula planta eſt unicus, perfectus, tetrapetalus, quem ſequitur fructus ſolitarius. Floret menſe Majo & Julio, & Auguſto matureſcit; provenit in ſilvis & umbroſis. *Alexipharmacæ creduntur, & maniacis convenire.*

Paſſulæ majores, Uvæ paſſæ majores, *Raiſins de Damas, ou gros raiſins*, groſſe Roſinen, Zibeben. Sunt Vitis viniferæ fructus, & ex Italia & Hiſpania ad nos veniunt; præferuntur tamen, quæ ex Syria advehuntur. Eligantur majores, pingues & recentes. *Temperatæ ſunt, alvum laxant, acrimoniam temperant, ventriculo, pectori & hepati gratæ.*

Paſſulæ minores, Paſſulæ Corinthiacæ, *Raiſins de Corinthe*, kleine Roſinen, Weinbeerlein, Corinthen. Vitis Corinthiacæ, ſive Apyrenæ, fructus. Ex inſulis Ægei maris advehuntur. *Ad æſtum ſitimque febrilem temperandam, & alvum laxandam in uſum vocantur; plurimus uſus eſt in decoctis.*

Per-

Perſicorum Nuclei, *Noyaux des pêches*, Pferſich-Kern. Colliguntur ex fructibus maturis arboris Mali Perſicæ. *Commendantur ad præcavendum & pellendum calculum & ſabulum. Anacollemata & emulſiones frontales ex his nucleis parata ad cephalalgiam & agrypniam laudantur.*

Piſtaciæ, Nuces piſtaciæ, *Piſtaches*, Piſtacien, Syriſche Pimpernüßlein. Fructus arboris Piſtaciæ peregrinæ, fructu racemoſo, vel *Terebinthi Indicæ*, *Piſtaciæ foliis impari pinnatis, foliolis retrorſum ſubfalcatis*, *Linn.* In Perſia, Syria copioſe hæ arbores proveniunt; nonnunquam etiam in Hiſpania & Italia coluntur. Fructus ſeu nuces anguloſæ, oblongæ, Avellanæ magnitudinis, includunt ſub putamine tenui, rufo, nucleum vireſcentem, oleoſum, pellicula obductum rufeſcente, ſaporis ſubdulcis, grati. Eligantur recentes, ponderoſæ, non rancidæ. *Roborant, pinguefaciunt, ſemen augent, & ſtomacho gratæ ſunt.*

Pruna Damaſcena, Pruna magna atro-cœrulea, dulcia, *Pruneaux doux*, Zwetſchen, Quetſchen. Fructus pruni omnibus notus. *In officinis ad pulpam conficiendam, & pro decocto florum & fructuum requiruntur. Refrigerant, humectant & alvum laxant.*

Sambuci Baccæ exſiccatæ, Grana Actes, *Bayes de Sureau*, Holunderbeeren. Fructus arboris notiſſimæ. *Sunt alexipharmacæ, ſudoriferæ, diureticæ, atque ad diarrhœam commendantur.*

Sebeſtenæ, Sebeſten, Myxæ, *Sebeſtes*, ſchwarze Bruſt-Beerlein, Sebeſten. Fructus eſt arboris in Syria & Ægypto naſcentis, quæ *Linnæo Cordia, foliis ſubovatis, ſerrato-dentatis*, vocatur, calici inſidens, acetabuli inſtar, concavo, pruno fere ſimilis, minor tamen, nigricans, & ſub pulpa carnoſa, dulci, mucilaginoſa, nucleum includens. Eligantur recentes & carnoſæ, ſitu non infectæ, quales tamen raro ad nos perveniunt; hinc eleganter officinæ his carere queunt, atque Jujubæ, quæ recentes haberi poſſunt, illis ſubſtitui, cum quibus etiam viribus conveniunt. *Demulcent & in catarrhis acribus, urinæ ardore & bilioſis febribus, in decoctis in uſum veniunt.*

Siliqua dulcis, Ceratia, Xylocaracta, Caroba, *Carouge*, Johannis-Sood-Brod, Bockshörnlein. Fructus eſt arboris in regionibus calidioribus, Sicilia, Neapoli & Syria frequentis, flore apetalo, plurimis ſtaminibus conſtante, ex diviſuris calicis naſcentibus; meditullium occupat piſtillum, quod abit in fructum, ſeu ſiliquam planam, compreſſam, carnoſam; folia ſunt pinnata, lata, decidua. *Linnæo* vocatur: *Ceratonia.* Eligendæ ſunt Siliquæ carnoſæ, recentes. *Demulcendi & acrimoniam mitigandi habent virtutem; in decoctis pectoralibus & ordinariis, pro infantum potu, adhibentur.*

Sorbi Torminalis Baccæ, Cratægi foliis cordatis ſeptangulis, Lobis infimis divaricatis, Linn. *Sorbes ſechées*, Speyerling, Arlas-Beer, Elſter-Beer. Sunt fructus *Sorbi Torminalis*, ſive *Cratægi folio laciniato, ſubtus incano, floribus & fructibus in umbellam congeſtis.* Floret Majo, & fructum auctumno perficit. Naſcitur in montoſis, & ad ſilvam Martiam in dumetis nonnunquam occurrit. *Refrigerant & adſtringunt fructus, atque ad calculum laudantur.*

Spinæ Cervinæ Baccæ, Rhamni cathartici ſeu ſolutivi, Spinæ

infectoriæ, Rhamni ſpicis terminalibus, floribus quadrifidis, Linn. *Bayes de Nerprun*, Creuz-Beer, Wegdorn-Beer. Fructus ſunt fruticis, flore monopetalo, infundibuliformi, foliis mali minoribus, in margine denticulatis. Succus baccarum recentium, addito alumine, vireſcit; amaricantis & nauſeoſi eſt ſaporis. Occurrit in ſepibus & ſilvis; floret Majo, & fructus Octobri matureſcit. *E ſucco Baccarum maturarum recentium paratur Syrupus domeſticus, & color viridis, qui* Saftgrün *appellatur. Baccæ exſiccatæ in pulverem tritæ, a drachma una, vel ad drachmas duas, in decocto exhibitæ, alvum movent, & inprimis Cachecticis & Arthriticis commendantur.*

Tamarindi, *Tamarinds*, Tamarinden, ſaure Datteln. Sunt pulpa fructuum e fuſco nigricans, acidi ſaporis, filamentis lignoſis pertexta, in qua latent oſſicula dura quadrata, rubicunda, ſplendentia. Arbor *Siliquæ Arabicæ, Tamarindus* dictæ, florem habet roſaceum, ex plurimis petalis, in orbem diſpoſitis, conſtantem, e cujus calice multifido ſurgit piſtillum, quod deinde in ſiliquam compreſſam, aliam condentem, ſemine fœtam plano, utplurimum anguloſo, abit; intervallum autem, quod inter duas ſiliquas occurrit, pulpa turget nigra & acida, quæ Tamarindos conſtituit. Provenit in Arabia felici arbor. Fructus ad nos non integri, ſed pulpa ſaltem, adferuntur. Eligatur recens, nigra, rufeſcens, tenera, multis villis intertexta, pinguis & acida. *Refrigerant Tamarindi, humorum & inprimis bilis fervorem temperant, & blande educunt, ſitimque ſedant. Uſus eſt in decoctis.*

Tribuli aquatici, Caſtaneæ aquaticæ paluſtres, cornutæ, *Tribules aquatiques*, Waſſer-Nüſſe, Stech-Nüſſe. Eſt fructus *Tribuloidis vulgaris, aquæ innaſcentis, Tournefortii; Trapæ petiolis foliorum natantium ventricoſis, Linnæi.* Planta eſt flore roſaceo, ex cujus calice piſtillum ſurgit, quod deinde cum calice abit in fructum ſubrotundum, aculeatum, unicapſularem, ſemine, Caſtaneæ ſimili, fœtum; folia ſunt anguloſa. Naſcitur in aquoſis. Floret menſe Majo, & circa auctumnum fructus perficit. *Utuntur plebeji hac nuce in pleuritide.*

Vainiglia, Vaniliæ, Vanillæ, Bainillæ, *Vanilles*, Vanilien. Siliquæ ſunt compreſſæ, ſemipedem fere longæ, calami ſcriptorii majoris craſſitie, coloris atro-fuſci, ſaporis aromatici, odoris grati, quæ pulpam, ſeu medullam, cum minutiſſimis acinis, pinguem continent. *Vaynilla* ab Hiſpanis, a vaginarum ſimilitudine, vocantur. Fructus ſunt *Volubilis ſiliquoſæ Mexicanæ, foliis Plantaginis, & floribus nigricantibus*, quæ *Epidendrum foliis ovato oblongis nervoſis ſeſſilibus caulinis, cirrhis ſpiralibus. Linn. Angurek Kæmpf.* & *Tlilxochitl* Americanis dicitur. Ex America & inprimis nova Hiſpania advehuntur. Eligendæ ſunt ſiliquæ pingues, recentes, aromatici ſaporis & odoris, dum recentes, gratiſſimi. *Creduntur virtutis roborantis & diureticæ; calefaciunt, flatus diſcutiunt, & concoctionem adjuvant. Vainillarum tinctura, ſpiritu vini extracta, ad melancholiam & phreneſin, remedium ſingulare & ſpecificum habetur, quo multos, poſt methodos uſitatas, incaſſum tentatas, ſanatos eſſe*, Raj. H. Pl. *perhibet. Præparatur ex ſeminibus, cum ſacchari albiſſimi tripla vel ſextupla portione tritis; apud Hiſpanos celebris ille pulvis* Vacaka *dictus, quo ad Chocolatæ fragrantiam, in ipſo hauſtu ex tempore exaltandam, utuntur.*

Uva Quercina, Eichtraube. Eſt excreſcentia quædam, ad radices quercuum, ab inſecti cujusdam puncturis, quod ovula deponit, orta, & quaſi

Galla

Galla ſubterranea, in forma uvæ, conglomerata. *Vehementer adſtringit, & in omnibus cum Galla convenit. Laudatur a nonnullis in dyſenteria, ſed, ob vim vehementer adſtringentem, caute adhiberi debet.*

## CAPUT VI.
## DE AROMATIBUS.

Anthophylli, *Meres de Girofle*, Mutter-Nägelein. Sunt arboris Caryophylliferæ fructus maturi, Caryophyllis craſſiores & tumidiores, odoris & ſaporis pene ejusdem. Arbor colitur præcipue in inſula *Moluccenſium Ternata*, ſolo omnium aridiſſimo & ſiticuloſo, ut vix ſiccior terra ulla inveniatur, atque a *Rumphio* in *Herbario Amboinenſi* ſequenti modo deſcribitur: „Arbor Anthophyllos & Caryophyllos gerens Lauro quodammodo ſimilis eſt. „Trunco ſimplici anguloſo, verſus inferiora utplurimum diviſo, gaudet; Cor-„tex eſt glaber, tenuis, coloris ex cinereo lutei; Folia laurinis longiora & an-„guſtiora, bina ſemper oppoſito ſitu conſpicua, ita, ut cum ſequenti pari cru-„ciatim ponantur, in ambitu integerrima, ſuperius obſcure viridia; ſplenden-„tia, inferius flava. Menſe Majo tenera folia propullulant, & ſimul floris &„fructus rudimenta evolvuntur. Quarto deinde ſubſequente menſe comple-„tam Caryophyllorum dant ſpeciem. Fructus rudimentum ſenſim læte viri-„dem deponit colorem, atque pallide flavum induit, qui demum in ſangui-„neum tranſit. Flore evoluto fructus nondum maturi aromaticam, quam ex-„optamus, vim habent, tamen ad propagationem apti non ſunt. Ad matu-„ritatem accedentes, amplum acquirunt ventrem, quatuor anguli antea in ca-„pitulo immaturi fructus conſpicui, ſeſe contrahunt, & color iterum in viri-„dem mutatur. Tum demum nucleum durum continent, & Caryophylli ma-„tres, ſive Anthophylli dicuntur. Caryophylli fructus tres dantur ſpecies:„ Prima parum rubet; altera, minor præcedente, ſanguinei eſt coloris: ter-„tia, quæ fœmina dicitur, alba eſt, parum rubens, omnes vero aromaticæ„ indolis. Caryophylli olim in Moluccis inſulis tantum inveniebantur; nunc„ vero in Amboina majori cura, quam in naturali ipſorum patria, coluntur.„ Arbuſculæ juniores, arborum ſilveſtrium umbra obteguntur, adultiores ve-„ro factæ requirunt, ut arbores aſſitæ extirpentur. Minime vero credendum„ eſt, ac ſi arbores propinquæ calida Caryophyllorum natura, deſtruerentur.„ Ex fructibus maturis ſive Anthophyllis arbor ſponte ſe propagat, & arbuſcu-„læ inde natæ transplantantur. Anthophylli ipſi ne quidem per octo dies in„ ædibus vegeti poſſunt conſervari, ſtatim enim exſiccantur, & nunquam ger-„minant.„ Cæterum, quoad characterem, arbor Caryophyllus pertinet ad plantas flore roſaceo, quatuor petalis, in orbem poſitis, calici inſidentibus. Filamenta ſunt plurima, perianthium ovale, & ſemen unicum. *Anthophylli viribus cum caryophyllis aromaticis conveniunt, & inprimis ad hyſtericos affectus laudantur.*

Cardamomum maximum, vide Grana Paradiſi.

Cardamomum minus, officinale, C. B. *Petit Cardamome*, kleine Cardamomen, Cardamemelen. Variæ ſpecies ſunt Cardamomi, & vel in capſulis, ſive ſiliquis ſeminalibus, brevibus, triangularibus, vel digitum fere longis, triquetris, pallidis, vel granis anguloſis, fuſcis advehuntur, & nobis, ſub nomine Cardamomi minoris, venduntur. Planta, in qua naſcuntur hæc

grana, a *Rajo* ad graminifolias floriferas, flores & racemos fructuum in caule peculiari, non folioſo, ex radice orto, ferentes, refertur. A *Linnæo* vocatur: *Amomum ſcapo bracteis alternis laxis caule breviore.* Flores habet tetrapetalos, difformes, albos, luteo colore diſtinctos, odoris aromatici, ſuaviſſimi, ovario inſidentes; fructus eſt trilocularis, polyſpermus. Præfertur Cardamomum minus, thecis minoribus incluſum, recens, oleoſum, ſaporis ſuavis, aromatici, odoris grati. Tam in orientalis, quam occidentalis Indiæ regionibus, præcipue in Malabar provenit; Cardamomum majus vero in ſiliquis longioribus utplurimum ex Java advehitur. *Utrumque calefacit, attenuat, flatus diſcutit, coctionem juvat, & urinam ciet.*

Caryophylli Aromatici, *Cloux de Girofle*, *Girofles*, Nelken, Gewürz-Nägelein. Sunt fructus immaturi, vel potius germina cum calicibus florum arboris Caryophylliferæ, *Ts-binka* dictæ. Capitellum ſeu ſphærula, quæ Caryophyllo inſidet, eſt rudimentum floris ex quatuor petalis conſtantis, quæ complicata firmiſſime Caryophyllis adhærent, quando manu decerpuntur, vel arundinibus decutiuntur, colliguntur & cratibus impoſiti atque latis foliis Ari tecti, per aliquot dies fumo macerantur, & deinde in ſole exſiccantur. Si vero Caryophylli diutius ſuis ſurculis adhærent, petala expanduntur, coloris cœrulei, lineolis albis notata, ſtamina autem purpurei ſunt coloris, & paucas poſt ſeptimanas in Anthophyllos abeunt. Eligendi ſunt oleoſi, ſaporis fervidi, & odoris ſuavis. Plura reperiuntur ſub titulo *Anthophyllorum. Uſus Caryophyllorum tam in medicina, quam in culinis, frequentiſſimus eſt: Cardiaci, cephalici & ſtomachici ſunt; calefaciunt & diſcutiunt. Ad febres intermittentes, cortici Peruviano additi, laudantur.*

Caryophylli rotundi, vide Semen Amomi.

Caſſia Caryophyllata, Canella Cubana Jonſt. *Ecorce de Girofle*, Nelken-Rinden, Nelken-Zimmet. Eſt cortex tenuis, ex rufo ferrugineus, in modum tubuli convolutus, ſapore & odore caryophyllaceo. Arbor eſt Myrti ſpecies, & a Botanicis *Myrtus arborea aromatica, foliis laurinis*, ſive *Caryophyllus aromatica Americana, Lauri acuminatis foliis, a Linnæo Myrtus foliis obverſe ovatis*, vocatur; Americanis vero *Caninga* dicitur. In Cuba inſula, montoſis Jamaicæ ſilvis, & aliis Indiæ occidentalis regionibus provenit. Eligatur cortex recens, odoratus, & ſaporis acris, caryophyllacei. *Virtute cum Caryophyllis convenit, inferioris autem efficaciæ & pretii.*

Caſſia lignea, Xylo-caſſia, *Caſſe*, Mutter-Zimmet, Caßien-Rinden. Eſt cortex *arboris Canelliferæ, Malabaricæ*, cujus folium *Malabathrum* officinarum. Character arboris cum Cinnamomi Zeilanica arbore fere idem eſt; Linnæana deſcriptio, qua *Laurus* eſt *foliis lanceolatis trinerviis, nervis ſupra baſin unitis*, vix eam a Cinnamomi arbore diſtinguit, unde ſaltem loco natali differre nonnullis viſa eſt. Cortex lignoſior, odore & ſapore plerumque debiliore, & magis mucilaginoſo, a vero Cinnamomo differt. Hinc a *Breyn. Prodr. II. Arbor canellifera Indica, cortice acerrimo, viſcido, ſeu mucilaginoſo, quæ caſſia lignea, officinarum* vocatur. *Virtutes ſunt Cinnamomi, ſed longe debiliores, & ob mucilaginem, quam condit, non adeo diu durantes. Quo magis ad Cinnamomum accedit, eo melior habetur.*

Cinnamomum, Canella Zeylanica, *Canelle fine*, Zimmet, Canell. Eſt cortex tenuis, ab exteriore pellicula alba purgatus, cannulatus, coloris

ex

ex flavo rubeſcentis, ſaporis acris, ſubdulcis, grati, odoris fragrantiſſimi. Arbor, ex qua colligitur, ab Illuſtr. *Linnæo*, *Laurus foliis oblongo-ovatis, trinerviis, baſi nervos unientibus, in Mat. Med.* vocatur. Naſcitur in *Ceylon*, vel *Zeylan*, inſula Indiæ orientalis, & ad arbores fructu caliculato refertur, foliis oblongis, trinerviis, nitidis, planis, ex adverſo binis, floſculis monopetalis, in ſex lacinias diviſis. Fructus glandi quernæ ſimilis, a calice excipitur. Eligendum eſt Cinnamomum longum, ſaporis acris, & odoris fragrantis. *Calefacit, ſiccat, roborat, menſtrua movet, partum accelerat, & in omnibus affectionibus frigidis locum invenit; præſtantiſſimum eſt cordiale.*

Coſtus corticoſus, Canella alba, *Canelle blanche*, weiſſer Zimmet. In oblongos tubulos convolutus, ab exteriore cortice purgatus, tam foris, quam intus, albicans, Caſſia lignea craſſior, ad nos venit. Saporis eſt aromatici, acris, odoris grati. Eſt arboris bacciferæ, laurifoliæ, aromaticæ, fructu viridi caliculato, ramoſo, cortex. Flos eſt pentapetalus, coloris coccinei, baccæ tetrapyrenæ caliculis inſident. Naſcitur in inſula Jamaica & aliis Americæ regionibus. Plurimi diſtinguunt hanc corticem a Cortice Winterano, nonnulli vero pro uno eodemque habent, inter quos: *Linnæus, Cranzius, Gleditſchius &c. Calefacit & ſiccat, incidit, ſcorbuto medetur, & vomitus ſiſtit, ventriculum roborando.*

Crocus, *Safran*, Safran. Eſt piſtillum ovarii in tres lacinias fiſſum, non ipſe flos, neque ſtamina floris. Planta eſt radice bulboſa, foliis anguſtis, gramineis, linea in medio alba, ſecundum longitudinem decurrente; Flores nudi, erecti, ab ipſa ſtatim radice orti, absque pediculis herbaceis, monopetali, in ſex partes ampliati, ſtamina tria: Capſula ſeminalis ſubrotunda, trilocularis: ſemina plura, rotunda. Floret autumnali tempore, & colitur in regionibus temperatis, in Gallia, Anglia, Germania, & præcipue in agro Viennenſi. Optimus eſt *Auſtriacus* & *Anglicus*, & præſertim ille, quem provinciæ *Eſſex* & *Cambridge* producunt. Notæ bonitatis ſunt filamenta, neque nimis pinguia, neque nimis marcida, coloris purpurei, ad aureum inclinantis, ſapor amariuſculus, acris, odor fragrans & parum acris, &, ſi exigua quantitate magnam aquæ quantitatem tingit. *Vires ſunt anodynæ, cordiales, pnevmonicæ, uterinæ. Doſis grana tria, ad duodecim.*

Cubebæ, *Cubebes*, Cubeben, Schwindel-Körner. Sunt grana rugoſa, exiguo petiolo prædita, piperis magnitudine, coloris cinerei, intus quodammodo cava, & parvum nucleum continentia, odoris fragrantis, ſaporis acris, aromatici, ſubamari. Cujus plantæ ſint fructus, nondum certe conſtat. Creduntur eſſe fruticis convolvulacei Javanenſis, *Carane* dicti. Ex Java inſula advehuntur. Eligantur majores, recentes, ponderoſæ & oleoſæ. *Calefaciunt, incidunt, diſcutiunt, nervos roborant, flatus pellunt, & ſpecificam vim contra vertiginem habere creduntur, ad apoplegmatiſmos utiliter adhibentur, atque aphrodiſiacis admumerantur.*

Galanga major, *Grand Galanga*, groſſer Galgant. Eſt radix tuberoſa, pollicis craſſitie, nodoſa, geniculata quaſi, fuſca, intus rufeſcens, ſaporis acris, amaricantis, odoris aromatici. Venditatur pro radice plantæ Indicæ, *Barebabe* dictæ, quæ cum Cannacoro, vel Canna Indica convenire, a Celeb. *Bærbavio* in *Hort. Lugd.* traditur. *Linnæo* vocatur: *Kæmpferia foliis ovatis ſeſſilibus*, & Galanga minor a majori ſpecie non differre creditur. Ad-

vehitur ex Malabaria & Java. Eligantur radices recentes, non carioſæ, & non adeo lignoſæ.

Galanga minor, *Petit Galanga*, kleiner Galgant. In omnibus cum præcedente convenit, niſi quod minor & paulo acrior ſit. Sponte in China, ubi *Lagondi* vocatur, naſcitur. De charactere plantæ nihil certi conſtat; plurimi ad graminifolias referunt. Eligendæ ſunt radices minores, ponderoſæ, non fibroſæ, odoratæ, non carioſæ. *Præfertur Galanga minor majori, ac in cruditate ventriculi & vertigine valde laudatur. Specificum etiam eſt emmenagogum. Vim habet incidentem, roborantem & attenuantem, atque virginibus, ob retentionem menſtruorum palleſcentibus, utiliter exhibetur.*

Grana Paradiſi, Cardamomum maximum, Melaguette, *Graines de Paradis*, *Grand Cardamome*, Paradieß-Körner. Sunt grana triquetra, parva, foris ſpadicei coloris, intus albi, ſaporis acris, fervidi, ſicut Piper. Planta, ex qua colliguntur hæc grana, nondum ſatis cognita eſt. *Rajus* tamen in *Hiſt. Plant.* mentionem facit *Cardamomi Surinamenſis*, cujus deſcriptio cum Granis Paradiſi convenit. Et *Linnæus* vocat *Amomum caule ramoſo.* Radix eſt craſſa, oblonga, tuberoſa, ſaporis aromatici expers, caulis & folia Zingiberis ſilveſtris. Flores non in ſummitate caulis, ſed ſcapo peculiari, e radice ſeorſim prodeunte, in parva ſpica diſpoſiti. Fructus pruni majoris magnitudine & forma, in tres partes dehiſcunt, quorum cortex cœruleus, carnoſus, plane aromaticus includit ſemina, grana Paradiſi tam facie, quam ſapore ad amuſſim referentia, ſextupli ſerie, ſecundum fructus longitudinem, eleganter diſpoſita. Singulis ſeminum interſtitiis interjacens ſubſtantia alba fungoſa, qualis in fructu Cardamomi cernitur. Ex Oriente magna ejus quantitas advehitur. *Calefaciunt & incidunt, atque cum Pipere magis conveniunt, quam Cardamomis; hinc abuſive Cardamomo majori ſubſtituuntur.*

Macis, *Macis ou fleurs de Muſcade*, Muſcaten-Blüthe. Non eſt flos, ſed involucrum, quod ſecundo putamini, duro, Nucis moſchatæ, inſtar reticuli, circumducitur, coloris ex aureo rufeſcentis. Eligenda recens, integra, magna, colore ſaturato, rubeſcente, odore ſuavi, ſapore ſubacri; pinguis & oleoſa. *Stomachica, uterina & carminativa eſt.*

Nuces moſchatæ, Myriſticæ, Nuciſtæ, *Muſcades*, Muſcaten-Nüſſe. Arbor, in qua creſcit, ab Indis *Pala*, *Pongopala*, & a *Linnæo: Myriſtica* vocatur. Provenit in inſula Banda. Tradunt, piri habere magnitudinem, corticem griſeum, lignum poroſum, folia nervoſa; florem pentapetalum, qui cum baſi fructus cohæret. Ipſe fructus eſt ſolitarius, pediculo breviſſimo, & a reliquis hujus generis, triplici integumento, & nucleo inprimis, exterius rugoſo, pulpa interiore, venis flavo-rubentibus variegata, aromatico differt. Nuces moſchatæ ſunt vel majores, vel minores, rotundæ vel oblongæ; præferuntur rotundæ: oblongas ſilveſtres eſſe putant, rotundas domeſticas. Eligendæ ponderoſæ & pingues, quæ acu candefacta punctæ oleum emittant. *Calefaciunt, ſubadſtringunt; ſtomachicæ, cephalicæ, uterinæ & anodinæ ſunt.*

Piper album, rotundum, *Poivre blanc*, weiſſer Pfeffer. Sunt grana albida, rotunda, non rugoſa; a nonnullis pro fructu ejusdem plantæ, in qua Piper nigrum creſcit, habetur, & artificio quodam decorticari traditur. Eliguntur ſcilicet grana Piperis nigri majora, & aqua marina maceratis cortex ex-

exterior niger detrahitur. *Jonſtonius* & alii, peculiarem, quæ Piper album profert, eſſe plantam, perhibent, eamque non niſi in Malabaria & Malacca, provenire. *Viribus cum pipere nigro convenit, attamen non adeo eſt acre.*

Piper Jamaicum, vel Jamaicenſe, vide Semen Amomi.

Piper nigrum, rotundum, Malabaris Molagocodi, Piper foliis ovatis ſeptinerviis glabris, petiolis ſimpliciſſimis, Linn. *Poivre noir*, ſchwarzer Pfeffer, Pfeffer-Körner. Eſt fructus plantæ ſcandentis, foliis nervoſis, ſubrotundis, acuminatis, floſculis monopetalis, tripartitis, racematim digeſtis, fructu rotundo, monopyreno, racemoſo. Colitur in Malabaria, Java & multis Indiæ orientalis regionibus. Eligenda grana majora, pulvere & aliis quisquiliis non mixta. *Piperis uſus multus & frequens eſt in culinis, rarior in Medicina; ſunt, qui grana integra piperis deglutita pulveri præferunt, & ad febrem quartanam maxime ſuadent. Vires habet calefacientes, incidentes & reſolventes. Suibus eſt noxium & quaſi venenum.*

Piper Hiſpanicum, *Poivre d'Eſpagne*, Spaniſcher Pfeffer. Eſt fructus, ſeu ſiliqua *Capſici*, ſive *Piperis Indici*, *Capſici annui Linnæi.* Planta florem habet monopetalum, ſtellatum, multifidum; piſtillum ex calice ſurgens abit in fructum mollem, membranaceum, in duo loculamenta diviſum, ſeminibus compreſſis fœtum. Variæ ſunt ſpecies Capſici; ex his tamen plerumque in uſum veniunt ſiliquis propendentibus, & erectis longioribus. Frequenter in hortis colitur, floret Auguſto, & fructus ſiliquoſos, coloris rubri vel lutei, auctumno perficit. *Ferventiſſimi eſt ſaporis, & vix unquam in Medicina adhibetur. Vires habet piperis incidentes & attenuantes. Apud Indos & etiam nonnullos Europæos familiare eſt, ſiliquas nondum perfecte maturas in aceto & ſaccharo coquere, atque iis condimenti loco uti. Acetum his ſiliquis conditum citius aceſcit, diutius durat, & a vappa præſervatur, quod etiam tinctoribus, qui colorem nigrum, pro tingendis linteis, Capſico condiunt & conſervant, notum eſt.*

Piper longum, Macro-Piper, *Poivre long*, langer Pfeffer. Eſt fructus oblongus, teres, cinerei coloris, figuræ julorum Coryli, e numeroſis, vermiculato plexu diſpoſitis granis minutim compactus. Planta, quæ *Linnæo* vocatur: *Piper foliis cordatis petiolatis ſeſſilibusque*, eſt ſarmentoſa, foliis latis, ſubrotundis, nervoſis, acuminatis, floſculis monopetalis, quinquepartitis, fructus, uti diximus, longus, teres, aggregatus, ſaporis fervidi & amaricantis eſt. Colitur in Malabaria, Java, & aliis regionibus Indiæ, indeque nobis advehitur. *Potentius eſt pipere nigro; ſumendum igitur, ubi in compoſitionibus piperis mentio fit. Incidit, attenuat, reſolvit, digeſtionem promovet. Ad Theriacæ Mithridatii & Diaſcordii compoſitiones requiritur.*

Zedoaria, *Zedoire*, Zittwerwurz. Radix eſt tuberoſa, nodoſa, cinerea, ſaporis acris, amaricantis, odoris ad Camphoram accedentis, fragrantis. Apud Auctores Zedoariæ longæ & rotundæ fit mentio, quas tamen non inter ſe differre, niſi quod ejusdem radicis partes ſint diverſæ, aliis videtur. Notæ plantæ ſunt folia longa, nervoſa, flores pentapetali, in ſingulari ſcapo. *Linnæus* eam vocat: *Kæmpferiam, foliis lanceolatis petiolatis.* Ex India Orientali, China & Zeylon ad nos transfertur. Eligenda ponderoſa, non carioſa, & quæ odoris eſt fragrantis. *Alexipharmaca eſt, calefacit, ſiccat, in colicis doloribus prodeſt, menſes movet, & vermes enecat. Doſis eſt a granis quinque ad decem.*

Zingiber Album, Inſchi, vel Inſchikua Hort. Malab. *Gingembre blanc*, Ingwer, weiſſer Ingwer. Radices ſunt ramoſæ, nodoſæ, compreſſæ, pallidæ, ſaporis fervidi, odoris aromatici, a cortice exteriore aliquantum liberatæ.

Zingiber, Gingiber, Zinziber vulgare, *Gingembre*, gemeiner Ingwer. Ejusdem plantæ radices ſunt, infuſione cum aqua fervida ita paratæ. Facile enim vel vermibus arroditur Zinziber, vel, dum adhuc recens eſt, inter ſiccandum germinat; hoc, ut impediant cultores, recentes & a fibris mundatas radices aqua ferventi infundunt, & poſtea ſolis vel fornacis calore exſiccant. Quo fit, ut faciem quaſi corneam interior earum ſubſtantia induat. Zinziber vero album, detracto cortice ex parte, ſine immerſione, ſiccatur, atque majori indiget cura & labore. A plerisque ad Iridum claſſem refertur Zinziber, & Iris latifolia tuberoſa, flore albo, quæ Zinziber eſt, vocatur. Notæ Zinziberis ſunt: radix tuberoſa, folia Cannacori, flos in ſcapo ſingulari, pentapetalus, difformis, quaſi bilabiatus, inſidens ovario trigono triloculari. Plantam *Linnæus* vocat: *Amomum ſcapo radicato, ſpica ovata.* Copioſe provenit & colitur Zinziber tam in orientalis, quam occidentalis Indiæ regionibus. Eligatur minus fibroſum, ponderoſum, non carioſum. *Incidendi, attenuandi & roborandi vim habet; commendatur hydropicis, ſeroſis, cachecticis; additur quoque purgantibus, & inprimis foliis ſennæ, ad corrigendam eorum flatulentiam & vehementiam.*

## CAPUT VII.

# DE CORTICIBUS.

Cortex Acaciæ Germanicæ radicum, *Ecorce de prunier ſauvage*, Schlehendornwurzel-Rinde. Colliguntur auctumnali tempore. Adſtringunt et refrigerant; in gargariſmatibus, ad uvulæ, & in balneis, ad uteri, & ani laxitatem adhibentur. In Act. Ph. Med. Vol. V. etiam ad febres intermittentes decoctum eorum laudatur.

Aurantiorun, Arantiorum, Pomorum Aurantiorum, *Ecorce d' Orange*, Pomeranzen-Schalen. Sunt cortices fructuum *Mali Aurantiæ*, quæ adnumeratur arboribus pomiferis, *fructu corticoſo molliori.* Notæ ſpeciales ſunt, arbor fruticoſa, foliis ſemper virentibus, glabris, acuminatis, odoratis, floribus pentapetalis, albis, odoratis, ſemina utrimque acuminata, in carne ſucculenta. Provenit in regionibus calidioribus, Luſitania, Hiſpania & Italia; colitur & in hortis apud nos. Cortices eligendi ſunt amari, recentes, non ſitu corrupti. Qui ex inſula *Curaſſao* advehuntur cortices Aurantiorum, Europæis multo ſunt præſtantiores. *Vires habent tonicas, carminativas, & antiſcorbuticas. Liberati ab interna fungoſa albida ſubſtantia ingrati ſaporis, ſuppeditant, quod in officinis vocant* Flavedinem Corticum Aurantiorum.

Capparis vide Radix.

Caſcarillæ, Chacarillæ, Clutiæ, foliis cordato-lanceolatis,

tis, Linn. Hort. Cliffort. *Chacarille*, Chagrillen-Rinde. Sunt gryſei extus, ferruginei intus coloris, ſaporis acris & amari, fragrantis, maxime, ſi accendantur, odoris quaſi moſchati. Magna huc usque inter Materiæ Medicæ Scriptores lis fuit, qualis Planta ſit, quæ Chacarillam profert? Tandem *Marcus Catesby*, Anglus, in Hiſtoria Naturali Carolinæ Floridæ & inſularum Bahamæ, tradit: eſſe illam *Ricinoidem, Elæagni folio*, copioſe in plurimis Bahamæ inſulis creſcentem; raro altitudine decem pedes attingere, vixque craſſitie pedem ſuperare; folia eſſe oblonga, anguſta, acuminata, pallide viridia. In extremis ramificationibus, e calicibus, ſurgere floſculos exiguos, hexapetalos, albicantes, flavis apicibus; hoc excipere baccas ex albo virideſcentes, diſtinctas in tres loculos, magnitudine piſi, quæ tria ſemina nigra continent, in ſingulis loculis unum. Collectio corticis fit, reſecto circa radicem cortice, ut nutritionis defectu, reliqua pars a trunco & ramis ſoluta, decidat. Creſcit non ſolum in Florida & Bahamæ inſulis, ſed & in Peru, & magna quantitate ad nos vehitur. Eligendi cortices odorati & reſinoſi quaſi. *Vires ſunt blande ſedativæ, balſamicæ, tonicæ, diapnoicæ & diſcutientes.*

Cortex Chinæ Chinæ, Kinkinæ, Peruvianus, Antifebrilis, Antiquartius, Febrifugus, *Quinquina*, *Chine Chine*, China China, Fieber-Rinde. Cortex eſt craſſitiei mediocris, ſcaber, parum caneſcens, aliquando muſco obductus, intus lævis, coloris e fuſco rufeſcentis, ſaporis adſtringentis, parum aromatici, amari. Arbor corticem hunc nobilem elargiens, Americæ civis eſt, atque maxime in Peruanis montibus, Cajanuma dictis, duo milliaria ab urbe Loxa diſtantibus, provenit, a *Linnæo Cinchona* vocatur. Ramum cum floribus, fructibus & ſeminibus delineatum *Hiſtor. Academ. Pariſiens. Anni* MDCCXXXIIX. cum ulteriori deſcriptione & hiſtoria arboris exhibet. Quina apud veteres Peruanos corticem ſignificare, atque more illorum, propter eximias virtutes per excellentiam *Quina Quina, Cortex corticum* vocari, *de la Condamine*, qui hiſtoriam ſuppeditavit, autumat. *Chinæ Chinæ* nomen a *Comitiſſa de Chin Chon, Pro-Regis Peruani conjuge*, quæ ejus uſu a febre pertinaci liberata fuit, accepiſſe fertur. Ipſa Comitiſſa remedium, in ſe expertum, omnibus, quibus opus fuit, gratis diſtribuit, atque tum demum, ſcil. circa annum MDCXXXXIIX. ſub nomine *Pulveris Comitiſſæ* innoteſcere cœpit. Et cum paulo poſt, R. P. S. J. copiam corticis a laudata Comitiſſa illis traditam, etiam gratis diſtribuerent, nomen *Pulveris Jeſuitarum* accepiſſe, perhibent. Eligendus cortex non nimis craſſus, ex junioribus arboribus detractus, qui etiam odoris eſt ſuavis, aromatici, ſapore amarus, & ſine moleſtia adſtringens. *Vis antifebrilis, tonica, roborans &c. omnibus nota; non ſolum in febribus intermittentibus celebratur ſpecificum, ſed & contra gangrænam a cauſa interna, & ad inhibendos ſphaceli progreſſus ab Anglis commendatur. Doſis, intuitu ætatis & circumſtantiarum, varia. Raro tamen ultra drachmam in ſubſtantia, & drachmas duas in decocto Coffée toſti, vel vino infuſum exhibetur.*

Citri, *Ecorce des Citrons*, Citronen-Schalen. Sunt cortices

fructus Citreæ, ſive Medicæ mali. Arbores ab Aurantiis non niſi foliis, quæ in Citrea absque appendice, diſtinguuntur. Copioſe creſcunt in Italia, Hiſpania & Luſitania. Fructus magna in copia ex comitatu Nicienſi & ditione Genuenſi nobis advehuntur. Ex diverſis citri ſpeciebus in uſum veniunt fructus & cortices citrei vulgaris. Eligantur recens ſiccati citrini, non virides, fuſci ac ſitu corrupti. *Calefaciunt, atque alexipharmaca, cardiaca & carminativa gaudent virtute.* Flavedo Corticum Citri *eandem habet rationem, quam Corticum Aurantiorum.*

Cortex Coccognidii, Mezerei, Laureolæ deciduo folio, Thymelæa lauri folio deciduo Tournef. *Ecorce de Garou, ou Bois-gentil,* Seidelbaſt, Kellerhals-Rinde. *Vehementer purgant; igneum, acrem & cauſticum habent ſuccum, & hanc ob cauſam ad draſtica & periculoſa pertinent purgantia. Vehementia corrigitur maceratione in aceto. Setaceum e cortice radicis Mezerei, auriculæ perforatæ trajectum, ad inflammationes pertinaces oculorum compertum eſt remedium.*

Culilavvan, Culilavan, Caryophilloides, *Culilavan,* bittere Zimmet-Rinde. Eſt cortex arboris Amboinenſis, quæ Caſſiæ ligneæ, ſive Canellæ ſilveſtris arbori valde ſimilis, extus albicans & ſubcinereus, ubique minutis verrucis obſitus, intus ex ruſo flaveſcens, qui in parte infima, vel trunco, detractus eſt, digiti craſſitiem habet, verſus ſuperiora tenuior eſt, ille, qui calami ſcriptorii craſſitiem non habet, abjicitur; ſuperior & tenuior pro optimo habetur, ſaporis debet eſſe acris, aromatici, ad Caryophyllorum aromaticorum proxime accedentis. *Apud Indos externus ejus eſt uſus in torminibus, colica & cephalalgia, ex cauſa frigida; nimirum corpora ſua hoc cortice, antea cum Maſſoy cortice in maſſam coacto, inungunt. Ob oleum copioſum carminativus, roborans & ſtomachicus eſt.*

Ebuli. Vide Radix.

Eſulæ. Vide Radix.

Frangulæ, Alni nigræ bacciferæ, Rhamni, inermis floribus monogynis hermaphroditis, Linn. *Ecorce de Frangula,* Faulbaum-Hundsbaum-Zapffenholz-Rinde. Naſcitur in ſilvis, locisque humidis; floret Majo; folia ſunt decidua. Cortices eliguntur arboris mediani, vel, qui præſtant, radicum, vel flaveſcentes, amaricantes. *Vehementer purgant, tam per ſuperiora, quam inferiora. Propinantur a drachma una ad drachmas tres in infuſo. Externe Unguentis ad Scabiem dicatur.*

Fraxini, *Ecorce de Frêne,* Eſchbaum-Eſchen-Aſchbaum-Rinde. In uſum vocantur *Fraxini excelſioris, vulgatioris,* Cortices, qui ſunt ex cinereo palleſcentes, ad viriditatem inclinantes, ſaporis acris, amari, adſtringentis. Arbor creſcit in ſilvis montoſis; floret Aprili & Majo; ſemen auctumno matureſcit. *Cortex adſtringentis eſt virtutis, &, ob acrimoniam & amaritiem, ſimul attenuat. Laudatur in cachexia, hydrope & febribus intermittentibus.*

Gra-

Cortex Granatorum, Cortices Mali Punici, Malicorium, *Ecorce de Grenades*, Granaten-Schalen. Arbor pertinet ad illas, quibus flos ſummo fructui inſidet, & ob id umbilicatus appellatur. Folia ſunt decidua, flos roſaceus perfectus, pentapetalus, fructui inſidet, qui in plura loculamenta diviſus, acinis ſucci plenis, membranis tenuiſſimis diſtinctis, impletus eſt. In Italia, Gallia, Hiſpania provenit, & apud nos in hortis colitur. Cortices, qui etiam *Malicorium* vocantur, ſunt coriacei, duri, rugoſi, ſaporis amaricantis, adſtringentis. *Raro interne in uſum vocantur; ad gargariſmata, balnea & fotus adſtringentes eorum frequentior eſt uſus.*

Guajaci, foliis pinnatis, foliolis quatuor obtuſis, Linn. *Ecorce de Guajac, ou de Bois ſaint*, Franzoſenholz-Rinde. Sunt ligni Guajaci cortices tenues, duriuſculi, lignoſi, e cinereo rufeſcentes, maculati, intus pallidi, lamellatim congeſti, ſaporis acris, amaricantis. *Nobiliores & potentiores Ligno habentur. Præcipuus uſus eſt in Decoctis lignorum, ad venereum luem, & ſanguinem mundificandum.*

Hippocaſtani, Caſtaneæ equinæ, folio multifido, J. B. *Ecorce de Maronier d'Inde*, wilde Caſtanienbaum-Rinde. Arbor, alias in Germania hoſpes, nunc frequenter occurrit, & ad ambulationes copioſe plantatur. *Cortices ante aliquot annos in uſum venire cœperunt medicum, & pro ſuccedaneo Chinæ Chinæ habentur, eodemque modo & doſi exhiberi ſolent.*

Jujabæ, cortex Peruvianus. Cujus radicis vel arboris ſit, nobis non conſtat. Afferri ex America, cordi confortando inſervire, ſapore gratiſſimo, ac mire balſamico ſe commendare, ſuavitate enim Vanigliás ſuperare, hinc ad Chocoladæ confectionem illis præferendum eſſe, *Seba in Theſauro natural.* tradit. Alii ſaporem amygdalinum, ſuave amaricantem, huic cortici adſcribunt.

Mandragoræ. Vide Radix.

Mori radicis, *Ecorce de Meurier*, Maulbeerbaum-Rinde. Colitur in vinetis & hortis; cortex e radice detrahitur. *Abſtergit & calefacit, alvum laxat, & pro ſpecifico habetur ad lumbricos latos enecandos.*

Quercus, *Ecorce de Chêne*, Eichbaum-Rinde. Provenit in ſilvis & fere ubique. Cortex eligitur a junioribus, non ab annoſis detractus. *Virtutis eſt adſtringentis; non tam interne, quam externe, in gargariſmis, balneis & fotibus adſtringentibus in uſum venit.*

Sambuci medianus, *Ecorce mediane de Sureau*, Hollunder-Rinde. Florem & fructum in umbella diſpoſitum habet, & ubique occurrit; floret Majo, & fructum circa auctumnum perficit. Cortex, de quo hîc ſermo, tempore verno detrahitur; debet eſſe medius, qui ſcilicet externum cineritii coloris ſequitur, viridis. *Remedium eſt inſigne antihydropicum, ſerum educit, ictericis convenit, & menſtrua movet. Infunditur uncia dimidia, vel habita ratione ſubjecti, uncia in-*

*tegra recentis in vino, & exhibetur pro una doſi. Imponitur etiam erysipelati.*

Cortex Saſſafras, *Ecorce de Saſſafras*, Saſſafras-Fenchelholz-Rinde. Sunt leves, ferruginei coloris, odoris & ſaporis intenſioris Ligno. *Easdem vires, quas lignum, habent; ob oleum vero, quod copioſius in cortice reſidet, minori doſi præſcribi ſolent. Ligni vires non, niſi coctione aliqua, corticum vero infuſione aqua fervida facile extrahuntur; hinc infuſionibus theæformibus anticatarrhalibus, aliisve, commode addi poſſunt. Plura vid. ſub Lignis.*

Simaruba, *Simarouba.* Eſt cortex fibroſus pallidi coloris, ſaporis amari, haud ingrati, parum adſtringentis; ex America primum MDCCXIII. in Europam translatus eſt. Patriam agnoſcit non ſolum Cayennam, ſed in aliis etiam inſulis ad ventum provenit. De caractere arboris non ſatis certi ſumus. Vocatur *Burſeria gummifera. Jacquin. Hiſt. Stirp. Amer. Betula Americana, ſeminibus lithoſpermi frumentaceo æmulis. Plucke. Almag. Terebinthus major, betulæ cortice fructu triangulari. Sloan Hiſt. Jamaic.* Arborem ferunt eſſe ſatis magnam, folia longa acuta, pallide vireſcentia. Cortex ex radice colligitur, & tiliæ inſtar longis fibrillis intertextus eſt. Lignum, quod leve & fibroſum, ob amaritiem ſe ab omnium inſectorum injuria defendit. *Cortex hic gummi-reſinoſarum partium eſt, quod ex lacteo colore, quo aquam, in qua coquitur, inficit, cognoſcitur. Vi tamen quadam irritante ventriculum & inteſtina præditus eſt. Vomitus enim nonnunquam, præſertim, quando decoctum nimis ſaturatum eſt, & copioſiores dejectiones, nec non ſudores valde incommodos excitare ſolet. Correctis vero doſibus, experientia magiſtra, egregium præbet in dyſenteria remedium. Coquuntur drachmæ duæ hujus corticis in aquæ fontanæ libris duabus, ad dimidiæ partis exhalationem. Quantitas hæc tres doſes, ſingulis tribus horis ſumendas, conſtituit.*

Tamariſci fruticoſæ, foliis craſſioribus, Germanicæ, *Ecorce de Tamaris*, Tamariſken-Rinde. Juxta ripas Rheni & Danubii creſcit frutex. Præferur cortex radici detractus. *Ad ictterum, fluorem album, ſcabiem, melancholiam, & ſpecifice ad affectus lienis laudatur. Uſus eſt in decoctis & vinis medicatis.*

Thuris, Thymiamatis, Thuis Judæorum dicti, *Styrax Thymiama*, Weihrauch-Rinde, Juden-Weihrauch. Fragmenta ſunt corticis, coloris ferruginei, ſaporis acris, aromatici & amari, odoris ſuavis, ad Styracis & Balſami Peruviani accedentis. Præferuntur cortices pingues, ordorati, craſſiores. Ex India Orientali ad nos advehuntur; cujus vero arboris vel plantæ pars ſint, adhuc incognitum eſt. Putant, eſſe cortices arboris Storacis, ex qua liquida Storax exprimitur, atque incola eſt Aſiæ minoris. *B. Fridericus Hofmannus, mediante Spiritu vini, eſſentiam & reſinam extraxit, quarum priorem, propter vim anodynam, ad tuſſes ferinas & convulſivas, poſteriorem ad ſuffimenta, commendat. Suffimentis, odoris gratia, addunter, & ad prolapſum uteri ex ſuffitu proſunt.*

Cortex

Cortex Winteranus, nonnullis Canella alba, *Ecorce de Winter*, Winters Americaniſche Gewürz-Rinde. Sunt craſſi, cannulati, foris cinereo integumento fungoſo, inæquali, fiſſo, & multis rimis hiante, obducti, intus ſolidi, denſi, pallidi, ſaporis acris, aromatici, odoris fragrantiſſimi. Ex arbore laurifolia Magellanica, ſeu potius Periclymeno odorato Magellanico colligitur, cujus notæ ſunt folia laurina, flores pentapetali, albi, odorati, racematim congeſti; baccæ ſubvirides, multis ſeminibus anguloſis, acinis uvarum ſimilibus refertæ. In Jamaica, Barbados & Magellanica abunde in campeſtribus, & ad viarum margines naſcitur, atque ita vocatur a Præfecto claſſico, Wintero, qui ipſum corticem primus ex Magellanica attulit. *Cum Canella alba convenit; potentior tamen creditur. Calefacit, ſiccat, vomitum ſiſtit, flatus diſcutit, & ſpecificum in ſcorbuto frigido habetur.*

## CAPUT VIII.

# DE LIGNIS ET VISCIS.

Lignum Aloës, Agallochum, Xyloaloës, *Bois d'Aloës*, Paradies-Holz. Fragmenta ſunt lignoſa & reſinoſa arboris cujusdam, nondum ſatis cognitæ, in Siamenſi, Cambodiæ & Sinenſi regnis, creſcentis, atque Siamenſibus *Kiſſinà*, Latinis *arbor Aquilæ* & *Aloës*, dictæ. Lignum non, niſi per vetuſtatem arboris, odorem acquirit fragrantem, qui odor in ſucco reſinoſo reſidet, & marcente & putreſcente arbore, interiores quasdam ligni partes occupat, & circa nodos copioſius condenſatur. Hæc reſinoſa fragmenta ſingulari nomine, *Calambà*, vel *Calambac*, reliquæ vero ipſius arboris nomine appellantur *Kiſſinà*. Raro vel nunquam ad nos venit Agallochum verum; magno enim in pretio apud Indos habetur, & duplo Argenti pondere venditur; quod ad nos transvehitur, ſpurium eſt, &, tradente *Rumphio*, ex arbore *Excæcante*, ita ab incolis & nautis vocata, colligitur. Eſt vero arbor *Excæcans Lathyridis arboreſcentis* ſpecies, fructus fert triquetros, baccis *Lathyridis*, quæ vulgo *Cataputia* audiunt, valde ſimiles; ſuccus arboris lacteſcit. Deformis arbor non, niſi in littoribus deſertis ac ſolitariis creſcit. Nomen *Excæcantis* accepit, quia lacteus, quo turget, ſuccus, caſu oculis immiſſus, magnos excitat dolores, &, niſi citiſſime ſuccurratur, ſumma cum inflammatione & mordacitate excæcat. In hujus periculoſæ arboris caudice & radicum cavernis odoratum hoc lignum reperitur. Naſcitur circa Amboinam, in Inſulis, & ad nos advehitur in fruſtis, magnitudine varia, ex quibus ſolida, denſa, reſinoſa, nigro-purpurea, ponderoſa, amara, odoris, dum accenduntur aut durius perfricantur, fragrantis, eligi debent. *Cum ſufficiente quantitate aquæ, per veſicam deſtillatum, exhibet oleum, coloris albicantis, camphoræ inſtar, quandoquidem parva quantitate, tamen fragrantiſſimum, quod promte in ſpiritu vini ſolvitur. Lignum Aloës calefacit, & confortativum cerebri, cordis, ac uteri creditur; vim tamen inebriantem, delicatioribus largius exhibitum habet.*

Lignum Aſpalathum officinale, Aſpalathus, C. B. *Bois d'Aſpalat*, Rhodiſer Dorn-Holz. Fragmenta ſunt ligni exotici, reſinoſi, cujus arbor nondum ſatis deſcripta eſt, ligno Aloës ſeu Agallocho leviora, laxiora & pallidiora. Ex India Orientali nobis advehuntur, & ſæpius Aſpalathum pro Agallocho, & Agallochum pro Aſpalatho venditur. *Easdem etiam habet vires, modo debiliores.*

Buxi arboreſcentis, *Bois de Buis*, Buxbaum-Holz. Arbor ſponte naſcitur in Italia & Galliæ Provincia; colitur apud nos in hortis. Pertinet ad arbores bacciferas, fructu per maturitatem ſicco. Flores ſunt pentapetali, baſin fructuum excipientes; Fructus tricuſpidales, interne in tres capſulas diviſi, in quarum ſingulis bina ſemina lucida, deprehenduntur; Folia parva, perpetuo virentia. *Lignum eſt ponderoſum, flaveſcens, durum, & easdem virtutes cum Ligno ſancto vel Guajaco habet, atque Antimagicum cenſetur.*

Colubrinum, ſive Serpentarium officinale, *Bois Couleuvré*, Schlangen-Holz. Eſt radix lignoſa, arboris Timorenſis, Solani arboreſcentis Indici, foliis Napecæ ſeu Oenopliæ minoribus, floribus parvis in umbellam diſpoſitis, fructu rotundo, duro, ſeminibus orbicularibus, compreſſis, quæ Nuces Vomicæ minores, *Scheru Katuvalli-caniram* Horti Malabarici, cortice ex fuſco ferrugineo, ſubinde maculis cinereis aut albicantibus notato, includens materiam ſolidam, ponderoſam, acrem, amariſſimam, odoris nullius. Eligendum eſt amarum, grave, non carioſum. *Adſcribitur huic ligno ſpecifica vis adverſus ſerpentum & venenatorum animalium morſus, vermes & febres intermittentes. Alii vi virulenta, ſoporoſa, hoc lignum præditum eſſe volunt. Forſitan hæc virulentia ineſt ligno recenti, quam vero perdidit noſtris officinis illatum annoſum exſiccatum. Ex fructu, quem profert arbor, indoles ligni ſuſpecta aliquatenus concludi poſſet.*

Cupreſſinum, Cupreſſi officinale, *Bois de Cyprès*, Cupreſſenholz. Eſt arboris coniferæ, foliolis brevibus, acutis, in ſquamas degenerantibus, floribus amentaceis, fructu ſeu cono, e clavatis, lignoſis tuberibus, in formam globoſam coaptatis, compoſito, nucleis angulatis, acuminatis, parvis. Colitur apud nos in hortis; in calidis regionibus ſponte provenit. *Refrigerat, ſiccat & adſtringit; ſudoriferum & diureticum eſt, atque in decoctis præſcribitur.*

Ebenum officinale, *Ebene*, Eben-Holz. Lignum omnium ponderoſiſſimum. Meditullium eſt arboris *Ebeni* C. B. quæ in India Orientali provenit, & prunifera eſt. Folia ſunt juglandinis paulo minora, pinnata, praſſinum colorem referentia; fructus oblongus, viridis, edulis, perſicæ fructus æmulus. Nomen habere dicunt a vocabulo hebraico *Eben*, quod lapidem ſignificat; durum enim eſt lignum, lapidis inſtar. *Virtutibus cum Ligno Guajaco convenit. Uſus tamen magis eſt mechanicus, quam medicus.*

Guajacum officinale, Guajacum magna matrice, C. B. *Bois de Gayac, Bois ſaint*, Franzoſen-Holz. Eſt lignum ſolidum, denſum,

denſum, ponderoſum, & reſinoſum, nigricantis coloris, ſaporis acris, amaricantis, odoris haud ingrati. Inter plures arborum Guajaci ſpecies lignum officinis dat illa, quæ folia habet ſubrotunda, pinnata, pari numero, ſicut Lentiſcus, læte virentia, cujus flos eſt roſeus, pentapetalus, colore albus, piſtillum ſtiliforme, rectum & longum; Fructus parum compreſſus, cordiformis, bilocularis, loculo uno plerumque vacuo, in altero continet ſemen, quod eſt nux ovata, duriſſima. *Plumier Nov. Gen. plant.* arborem *Guajacum, flore cæruleo fimbriato, fructu tetragono* deſcribit. *Linnæus* vocat: *Guajacum foliis pinnatis: foliolis quatuor obtuſis.* Ex Hiſpaniola, Jamaica & aliis provinciis Americæ advehitur. Eligenda eſt matrix, ſive pars interior, non pars corticoſa, quæ prior eſt, coloris ex fuſco cinerei, reſinoſa. *Siccat, ſudorem & urinam promovet, ſanguinem mundificat, & ſpecifice ad luem veneream adhibetur.*

Lignum Juniperinum, *Bois de Genevre*, Wachholder-Holz. Eſt radix reſinoſa, odorata Juniperi officinalis, vulgaris, fruticoſæ. *Sudoriferum atque diureticum eſt, & in morbis lymphæ & catarrhalibus, in decoctis, propinari poteſt; ad ſuffitus etiam adhibetur.*

Lentiſcinum, *Bois de Lentisque*, Maſtich-Holz. Eſt nodoſum, non admodum craſſum, interne album, cortice cinereo tectum, ſaporis & odoris reſinoſi. *Lentiſcus* officin. *Lentiſcus vulgaris* C. B. Arbor Maſtichen fundens. *Piſtacia foliis abrupte pinnatis, Linn.* Flos ex foliorum alis egrediens, eſt amentaceus in mare, in fœmina calix trifidus, minimus. Fructus unicus, nucleus glaber. In Chio inſula copioſe naſcitur; floret Martio & Aprili. Optimum cenſetur ponderoſum & reſinoſum. *Siccat & adſtringit; ad ſanguinis & alvi fluxiones, uteri & ani procidentiam laudatur, urinam ciet, & dentes vacillantes firmat. Uſus eſt in decoctis.*

Moluccenſe, Pavana, *Bois des Moluques*, Moluckiſches Purgier-Holz. Eſt ſpongioſum, leve, pallidum, cortice tenui tectum, ſaporis acris nauſeoſi, odoris fere nullius. Colligitur ex arbore *Ricino*, fructu glabro, *Grana Tiglia* officinis dicta, foliis Malvæ, cortice molliore & nigricante. Pavana ab incolis appellatur. *Cadel Avenacu Hort. Malabar.* In Malabar colitur, unde ad nos advehitur. *Recens vehementer purgat, atque ſerum educit, nonnunquam vomitus facit, & ob acrimoniam pruritum, imo inflammationem in ano excitat. Siccum & inveteratum mitius ſe gerit, & ſudorem movet, præcipuus ſed ſemper ſuſpectus uſus eſt in morbis chronicis, febre quartana & hydrope. Hypercatharſis & ani pruritus ab hoc pharmaco excitati, cremore oryzæ vel avenæ, facile ſiſtuntur. Ad avium capturam etiam adhiberi ſolet; illico enim concidunt, ſi de tritico vel alio frumento, cui pulvis hujus ligni immiſtus eſt, aſſumſerint. Ex quibus patet, cautius cum hoc ligno mercandum eſſe. Doſis a granis quatuor ad decem pro robuſtiſſimo, ex carnis juſculo.*

Nephriticum, *Bois, nephretique*, Grieß-Holz, Blaues Sandel-Holz. A colore, quo aquam inficit, etiam a nonnullis vocatur: *Sandalum cæruleum.* Fuſcum, ſolidum, durum & grave eſt, ſa-

ſaporis acris, amaricantis. Arbor, ex qua colligitur, ſecundum *Linnæum: Guilandina inermis, foliolis triplicato-pinnatis: foliolis infimis ternatis.* Provenit in Malabaria & Zeylonia, ac fert *Nuces Been.* An eadem ſit cum *Acacia arborea, majori, ſpinoſa, pinnis quatuor majoribus, ſubrotundis, ſiliquis varie intortis,* quam deſcribit *Sloan Hiſt. N. Jamaic.* non ſatis conſtat. In uſum venit pars interior, ſive meditullium fuſcum; corticoſa alba abjicitur. *Ad renum vitia, calculum & urinam pellendam, laudatur. Exhibetur in infuſo & decocto. Curioſum eſt experimentum, quod cum infuſione hujus ligni in aqua fontana inſtituitur; verſicolor enim illa cernitur, prout in hoc vel illo ſitu ſpectatur.*

Lignum Rhodium, *Bois de Rhode, de Cypre, de Roſes,* Roſen-Holz. Radix eſt lignoſa, dura, contorta; nodoſa, reſinoſa, odoris roſei, ſaporis ſubamari. Dicitur etiam: *Aſpalathum colore buxi* C. B. Sunt, qui volunt, eſſe *Cytiſi incanæ, ſiliquis falcatis,* C. B. radicem, quæ eſt planta, flore papilionaceo, fructu ſiliquoſo. *Linnæus* dubitat: an ſit radix *Geniſtæ foliis ternatis?* Ex inſulis Canarienſibus & aliunde ad nos advehitur. Eligatur reſinoſum, ponderoſum, odoris fragrantis, roſei. *Uſus ejus frequentior eſt ad odoramenta, quam internus. In decoctis tamen nonnunquam lignorum, ad ſanguinem mundificandum, præſcribitur; urinam & ſudorem ciet.*

Sanctum officinale, quaſi Guajacum propemodum ſine matrice C. B. *Bois ſaint,* Pocken-Holz. Pro eodem cum Guajaco habetur; vires etiam, odor & ſapor vix differunt, colore vero paullo albidius, & pondere levius eſt Guajaco. Arbor *Jasminum* vulgo *Americanum,* at rectius *Evonymo* affinis *Occidentalis, alatis Ruſci foliis, nucifera,* Indis *Hvaxacon* dicta, vocatur. Ex America advehitur. *Easdem cum Guajaco habet vires; Guajacum tamen potentius eſt.*

Sandalinum album, Santalum ſ. Sandalum album officinale, *Bois de Santal blanc,* weiſſes Sandel-Holz. Eſt durum, ſolidum, pallidum, odoris & ſaporis grati, ſubamari, aromatici. Arbor eſt baccifera, folia ſunt pinnata, flores ex cœruleo nigricantes, fructus ceraſi magnitudine per maturitatem nigri. Ex India advehitur Orientali, & quidem inſula Timor; arbor ab Indis *Sercanda* vocatur. *Linnæo* teſte ignota eſt arbor.

Sandalinum citrinum, Santalum citrinum officinale, *Bois de Santal citrin,* gelber Sandel. Colore eſt flavius præcedenti, ſuperat illud etiam pondere, denſitate & odore fragrantiore, ſapore, virtutibus & pretio. Ejusdem arboris Timorenſis bacciferæ, *Sercandæ* dictæ, eſt pars interior; Santalum album vero, quod haud raro etiam in ſegmentis cylindraceis, in quibus nulla medulloſa ac reſinoſa ſubſtantia cernitur, ad nos venit, pars corticoſa, ſive exterior. Alii putant: Santalum album lignum eſſe arboris junioris, citrinum vero adultioris. *Cardiaca & hepatica cenſentur, & in decoctis ad lymphæ vitia præſcribuntur.*

Lignum

Lignum Sandalinum rubrum, Santalum rubrum officinale, *Bois de Santal rouge*, rothes Sandel-Holz. Eſt arboris pars interior, ab externo cortice liberata, colore rubrum, ponderoſum, fibroſum, denſum, ſaporis adſtringentis. Præter nomen cum Santalis nihil commune habet. Species eſt Ligni Braſilienſis tinctorii, & arboris, folio pinnato, flore papilionaceo, ſiliqua bivalvi, ſeminibus reniformibus. Forſitan ad *Cæſalpinias Linnæi* referri poteſt. Adfertur tam ex Orientalis, quam Occidentalis Indiæ provinciis. *Tinctores æque ac Medici hoc Santalo utuntur; ſiccat & adſtringit.*

Saſſafras, Winanck Virginienſium, J. B. *Bois de Saſſafras*, Saſſafras, Fenchel-Holz. Radix arboris eſt lignoſa, levis, rara, coloris pallidi, nonnunquam cinerei, ſaporis acris, ſubdulcis, odoris aromatici, Fœniculi inſtar. Cortice veſtitur tenui, foris cinereo, intus ferrugineo. Arbor, ex qua deſumitur: *Laurus, foliis integris & trilobis*, in Hort. Cliffort. *Saſſafras & Cornus mas odorata, folio trifido, margine plano*, ab Indis vero *Pavane* vocatur. Mediocris eſt magnitudinis, fructu calicibus inſidente, acetabulorum inſtar concavis; foliis trilobis ſeu anguloſis, ſemper virentibus, ſubtus cinerei coloris, floſculis luteis racematim congeſtis, e ſex petalis ovatis acuminatis conſtantibus, ſtaminibus novem. Fructus baccæ parvæ ſunt, per maturitatem nigricantes, ſicut floſculi, racematim congeſti, & continent ſemen unicum, nucem nimirum ovatam, acuminatam, quæ includit nucleum ejusdem formæ. In Virginia & Florida largus hujus arboris eſt proventus, unde etiam ad nos advehitur. Eligatur odoratum, in parvis ſegmentis, cortice veſtitis. *Laudatur ad lymphæ vitia, catarrhos, arthritidem, fluorem album, & alios hujus generis morbos. Uſus eſt in decoctis & infuſis.*

ſive Stipites Solani Dulcamaræ, Solani caule perenni flexuoſo, foliis ſuperioribus haſtatis, Linn. *Bois de Douce-amère*, Steigenden Nacht-Schatten-Hinſchkraut-Holz; Creſcit inter ſepes; floret Junio & Julio. Cortex radicis & ramorum craſſiorum ſaponacei quid continet; hinc eximia virtute pollet reſolvente, aperiente & diuretica. *Laudatur in decocto ad aſthma pituitoſum, phthiſin ante humorum colliquationem, luem veneream, icterum, & arthritidem vagam. Doſis eſt uncia una ad duas.*

Suberis, Quercus foliis ovato-oblongis indiviſis ſerratis, cortice rimoſo, Linn. *Liege*, Pantoffel-Holz, Kork. Eſt cortex arboris, quæ Quercus ſpecies, atque foliis perpetuis, non aculeatis, & cortice craſſo a reliquis differt. Provenit in Hiſpania & Italia. *Virtute gaudet adſtrictiva; ſæpius tamen in uſus venit mechanicos, quam medicos; præcipue ad obturanda vitra inſervit. Carbo ex ſubere conſtituit* colorem *illum* nigrum, Hiſpanicum *dictum.*

Viſcus vel Viſcum, *Gui*, Miſtel. Baccis albis, planta eſt paraſitica, fruticoſa, aliis arboribus innaſcens. Folia ejus conjugata ſunt, anguſta, oblonga, ſemper virentia; flores in perianthio tetraphyllo, monopetali, patentes, ſemiquadrifidi, fœminini cum maſculinis in eadem planta.

Bacca eſt ovalis, alba, unilocularis, ſemen unicum cordatum. Deſcriptio hæc omnibus Viſci ſpeciebus convenit, quæ in Medicina adhibentur: Sunt vero

Viſcus Betulæ, *Gui de Bouleau*, Birken-Miſtel.

Coryli vel Corylinus, *Gui de Coudrier*, Haſel-Miſtel.

Quercinus, *Gui de Chêne*, Eichel-Miſtel.

Salicis, *Gui de Saule*, Weiden-Miſtel.

Tiliæ, *Gui de Tillau*, Linden-Miſtel.

Vix ulla proſtat pulveris epileptici deſcriptio, quæ non pro ingrediente Viſcum agnoſcat. Quernus plerumque in uſum vocatur; alii Corylinum, vel Tiliaceum præferunt. *Veteribus polychreſtum fuit remedium quernus, qui & in morbis lymphæ locum habet; antepilepticum & diureticum eſt, atque in arthritide, catarrhis, alvi & nuenſium nimio fluxu feliciter, in pulvere vel in decoctis, exhibetur.*

## CAPUT IX.

# DE GUMMI ET RESINIS.

Ammoniacum Gummi, *Gomme Ammoniac*, Ammoniac. Eſt concretum gummoſum & reſinoſum, e magna ferulacea planta exſtillans, collectum. Ex India Orientali advehitur; in Lybia etiam, juxta Jovis Ammonis templum proveniſſe, & inde allatum, atque nomen accepiſſe, ferunt. Eligendum eſt in granis, inſtar Olibani, condenſatum, ab arena & aliis quisquiliis liberum, odoris gravis, ex Caſtoreo & Allio mixti, ſaporis amari, parum acris, digitis tractatum molleſcens, exterius flavum, intus candidum. Mirum, quantum per depurationem de fragrantia ſua perdit. *Emollit, reſolvit, digerit, maturat, alvum movet, & tam interne, quam externe feliciter adhibetur.*

Animi & Animæ Gummi, Cancamum, *Gomme Animé.* Eſt reſina arida, quæ in fruſtis variæ magnitudinis advehitur, foris albida, intus palleſcens, aliquatenus transparens, friabilis, ſaporis terebinthinacei. Dum accenditur, tota conſumitur, & hanc ob cauſam, gummi animæ dicitur. Odorem ſpargit fragrantem. Arbor in nova Hiſpania & Braſilia provenit, & ab incolis *Jetaiba*, a botanicis *Lebus peregrinus cartilaginoſus, phaſeolo nigro puniceo annulo cincto*, vel *Arbor ſiliquoſa animifera Braſiliana*, a *Plumier*, *Courbaril bifolia, flore pyramidali*, & a *Linnæo*, *Hymenæa* vocatur. *Attenuat & reſolvit, nervos roborat. Uſus eſt externus in emplaſtris, ad capitis & nervorum affectus.*

Arabicum Gummi officinale, Senegal, Senica, *Gomme Arabique*, Arabiſcher Gummi, Dinten-Gummi. Eſt ſubſtantia gummoſa, pallida, pellucida, ſaporis viſcoſi, fatui, odoris nullius. In globis, ovis columbinis majoribus, exterius ſcabris, intus claris & transparentibus, nobis ex Guinea Africana advehitur. Secundum *Rajum H. Pl.* fluit ex arbore, quæ eſt: *Acacia Indica Farneſiana Ald.* ſecundum *Linnæum: Mimoſa ſpinis geminatis* di-

*distinctis, foliis duplicato-pinnatis, particularibus utrinque quinis, pluribus.* Verum Gummi Arabicum, post incisionem fruticis, exstillat ex Acacia Ægyptiaca, foliis Scorpioidis, leguminosa, siliquis albis compressis, isthmo interceptis, flore luteo; vermiculatum est, & vix unquam ad nos fertur. Cum eo vero virtutibus convenit Gummi *Senegal*, quod minori pretio & copiosius & purius habetur; facile igitur vero ex Acacia carere possumus; eligatur modo vitri instar pellucidum, purum & candidum. *Temperat lymphæ acrimoniam, & leniter adstringit.*

Asa dulcis, Benzoë, Benzoin, Belzoinum, *Benjoin*, Benzoe, wohlriechender Asand. Resina est arida & indurata, ex variis frustulis, diversorum colorum, in massam coacta, saporis acris, resinosi, odoris suavis. Arbor, quæ Benzoin largitur, non solum in Sumatra & Java, pariter in Siamensi & Martabano regnis crescit, sed etiam in America & a *Bærhavio*, sub nomine arboris *Virginianæ Binzoiniferæ*, Citri vel Limonii folio, notatur. Ex uno caliculo quadrifolio oriuntur flosculi tres, ad eundem ortum, qui singuli constant uno tubo longo, superius expanso in tumidum caput, quod in octo segmenta profunde finditur, intra hæc segmenta stamina sunt brevia, testiculata, in medio tubo floris ovarium, tuba longa instructum, cuncta vero quam minima sunt. A *Linnæo* in *Hort. Cliffort. Laurus, foliis enervibus, obverse-ovatis, utrinque acutis, integris, annuis*, vocatur. Exstillat Benzoin ex arbore vulnerata; optimum censetur, quod *Amygdaloides* vocatur, & maculas candidas, Amygdalarum instar, refert, nec aliis heterogeneis inquinatum est, atque suavissimum spirat odorem. *Calefacit, incidit, attenuat, pnevmonicum est, in tussi, asthmate & catarrhis utile, atque ad suffimenta adhibetur.*

Asa fœtida, Laser fœtidum, Syriacum, *Asa fœtida*, stinkender Asand, Teufelsdreck. Est gummosum, & parum resinosum concretum, e grumis albescentibus, flavescentibus, & *Linnæo*: *Ferula foliolis alternatim sinuatis obtusis* audit, nonnunquam rosei coloris. Planta, ex qua colligitur, *Hingisch* vocata, est umbellifera, Levistico affinis, foliis, instar Pœoniæ, ramosis, caule pleno, maximo, semine foliaceo, nudo, solitario, Brancæ Ursinæ vel Pastinacæ simili. Patria ejus sola est Persia, non Media, nec Lybia &c. &c. & illa potissimum, quæ circa *Heraatum*, campestre desertum occupat, & quæ in montibus vicinis crescit, succi ferax est. Nulla ex caulibus vel sponte fluit, vel arte exprimitur, sed ex radice manat sauciata. Miræ longævitatis est hæc radix, magna, ponderosa, nuda, exterius nigra. Quadriennio minor parum lactescit, & nunquam secatur; quo autem annosior & major, eo copiosiorem fundit lachrymam. Succus ex utriculis illius recens emanans candidissimus, liquidus & pinguis, Flori Lactis simillimus est, ad aëris vero solisve contactum lentescit, & colorem subfuscum induit. Fœtor, virtutis index, ad Allii odorem accedit. Sapor acris est & valde ingratus. *Raro interne adhibetur; in colicis torminibus tamen & hydrope, præsertim tympanite, Indis laudatum est remedium; alias etiam non modo contra veneficia, sed ad affectus quoque uterinos communiter adhibetur. Externe in emplastris ad nervorum, uteri & lienis affectus commendatur.*

Asphaltum, vide Marina.

Bdellium, *Bdellium*, Gummi Bdellium. Est lachryma arboris cujus-

dam non ſatis huc usque cognitæ & deſcriptæ, quæ in Guinea, Arabia, Media & India naſcitur, & a nonnullis pro *Palmæ* ſpecie habetur. Tradunt etiam in America arborem Bdelliferam, foliis quernis, ſpinis geminis, ad ortum ſingulorum foliorum, exaſperatam provenire. Cl. *Royen* ex *Plucken. arborem Bdelliferam*, *lacteſcentem aculeatam*, *foliis quernis* deſcribit. Coloris eſt ferruginei, nigricantis, in guttas ſeu grana concretum, ſapore & odore myrrham æmulatur. Præfertur, quod guſtu eſt amarum, translucidum, dum frangitur, pingue & odoratum. *Cum Myrrha convenit, & ad Mithridatii compoſitionem & nonnulla emplaſtra adhibetur.*

Camphora, Caphura, *Camphre*, Campher, Kampfer, Kapher. Eſt ſubſtantia, plane peculiaris, neque reſinis, neque gumminibus, neque ſalibus per dotes ſuas adnumerari poteſt, neque ſatis apte vocatur oleum deſtillatum ſolidum, nivis inſtar candidiſſimum, in panes coactum, ſaporis acris, amaricantis, aromatici, odoris fragrantis, gravis. Camphora, quæ in noſtris officinis proſtat, ex Japonia advehitur, atque ex *Lauro*, *foliis ovatis*, *utrinque acuminatis*, *trinerviis*, *nitidis*, *petiolis laxis*, *Linnæi*, ſive *Arbore camphorifera*, *foliis laurinis*, *fructu parvo*, *globoſo*, *calice breviſſimo*, colligitur. Arboris folia alternatim ſunt poſita, ſemper virentia, flores, ex foliorum ſede provenientes, hexapetali, albi, fructus ſeu bacca atro-purpurea, pericarpio molli, ſaporis ex Camphora caryophyllacei, nucleo bifido, calloſo, duro ac pingui, cortice integro fragili, calici concavo inſidet. Extractio Camphoræ per ruſticos peragitur, in provincia *Sazuma* & in inſulis *Gotho;* radices & ligna arboris in feſtucas comminuta, cum effuſa aqua, in veſica ferrea, ſuperimpoſito & ſtramine impleto alembico magno, coquunt, & tandem Camphoram ſublimatam, ſtraminibus adhærentem, colligunt, quæ deinde ulterius purificatur, atque, tradente *Künſtio* in *Act. Phyſ. Med.* Vol. V. in vitro probe clauſo, leni igne colliquata, figuram orbicularem nanciſcitur. *Camphora Borneenſis*, quæ optima cenſetur, nunquam ad nos pervenit, ſed magno pretio etiam apud incolas habetur. Nativa eſt & absque deſtillatione, ex trunco arboris eruitur & colligitur. Multæ etiam dantur aliæ plantæ, quæ Camphoram largiuntur: Radices arboris Cinnamomi magnam exhibent quantitatem deſtillatione; Zedoaria vero parum prodit. *Eligenda Camphora candicans*, *ſine maculis*, *pellucida*, *inſtar glaciei*, *quæ deflagrando tota conſumitur*, *& in ipſa aqua ardet. Alexipharmaca*, *calida & anodina eſt. Adhibetur tam interne*, *quam externe. Doſis interne a paucis granis ad ſcrupulum ſemis*, *in mania ad drachmam ſemis. Miſcetur*, *utplurimum cum nitro*, *& abſorbentibus*, *vel ſic dictis bezoardicis. B.* Fr. Hoſmannus, *cum* Balſamo de Copaiva *mixtam*, *ad gonorrhœam*, *& cum* Tincturis croci, ſuccini & Cort. Aurantiorum, *ad menſtrua ſuppreſſa*, *commendat.*

Cancamum quid ſit, hodie plane ignoratur. Alii *Laccam* eſſe, alii *Benzöen;* nonnulli *Animæ Gummi*, pro Cancamo habent. Plurimi, ubi in veterum deſcriptionibus ſive compoſitionibus occurrit, *Gummi Animæ* ſumere ſuadent.

Caranna, *Caragne.* Reſina tenax duraque eſt, quæ, dum recens, picis inſtar ductilis, inveterata vero fragilis & dura eſt; coloris ex viridi nigricantis, ſaporis amari, ingrati, odoris fragrantis, præſertim, dum accenditur. Ex nova Hiſpania, in fruſtis cylindraceis, quæ foliis junceis involuta ſunt, ad-

ve-

vehitur. Arbori, ex qua exſudat, folia adſcribuntur oleaginea, in crucis formam compoſita, fructus ſeu baccæ oblongæ, quaternæ. *Calefacit & reſolvit. Uſus eſt externus in emplaſtris.*

Ceraſorum Gummi, *Gomme des Ceriſes*, Kirſchen-Harz, Kirſchen-Gummi. *In aqua totum diſſolvitur, & cum Gummi Arabico vel Senegal convenit, atque defectu ejus in uſum vocari poteſt.*

Colophonia, *Colophone*, Spiegel-Harz, Geigen-Harz, Colophonium. Ex urbe Colophone olim habebatur. Pix, ſive abiegna reſina eſt, lento igne ad hanc conſiſtentiam friabilem & colorem brunneum cocta. Fit etiam ex reſiduo Olei Terebinthinæ, vocatur quoque *Pix græca. Fumus ejus ad teneſmum & prolapſum ani ac uteri procidentiam commendatur; additur Emplaſtris; roborat & ſiccat.*

Copal, Pancopal, *Gomme Copal*, Gummi Copal. Reſina eſt duriuſcula, diaphana, ex albo flaveſcens, dum carbonibus inſpergitur, odorata, a nonnullis Succinum vegetabile vocata. Volunt, eſſe arborem, ex qua Copal colligitur, Populo nigro haud diſſimilem, & copioſe in inſulis Antillinis provenire. Sponte ex arboribus defluit, & non raro ab imbribus ad ripas fluminum abripitur, quod forſan, & cum prima facies Succinum referat, anſam dedit, Succinum vegetabile appellandi. A recentioribus botanicis, *Rajo, Pluckenet*, & *Clayton*, *arbor reſinam copal fundens*, *Rhus* vel *Sumach Virginiana* & *Linnæo*, *Rhus foliis pinnatis*, *petiolo membranaceo articulato* vocatur. *Jonſton* viginti ſpecies arborum, Copal proferentium, enumerat: Americani enim fere omnes reſinas transparentes, nomine Copal indigitare ſolent. Copal ſubſtantia ſua non mere reſinoſum eſt, ſed gummoſi quid occultat, unde difficilis eſt ſolutionis. *In Medicina rari, niſi ad ſuffimenta, eſt uſus; frequentius ad vernices ſeu laccas expetitur, atque peculiarem depoſcit encheireſin ſolutionis.*

Elemi, *Gomme Elemi*, wild Oelbaum-Harz. Reſina eſt ſemidiaphana, pinguis, ex flavo albicans, ad viridem colorem inclinans, in maſſam coacta, & foliis arundinaceis involuta, odoris vinoſi ſuavis. Ex America, & præſertim nova Hiſpania & Braſilia advehitur. Arbor Elemifera folia habet pinnata, petiolis longis, pentaphyllis, ſemper virentia; floſculos tetrapetalos, verticillatos; Fructus purpureos, pyriformes, minores. Arbor, Gummi vel potius reſinam Elemi fundens, ab Illuſtr. *Linnæo* in *Horto Cliff. Elemifera foliis ternatis*, a Cl. *van Royen*, *Frutex trifolius reſinoſus*, *floribus tetrapetalis albis*, *racemoſis* vocatur; A *Chabræo*, *Lentiſcus Peruviana.* Deſcribitur & alia arbor a *Breyn.* in *Prodrom.* 2. atque *Elemi* arbor ex *Surinama*, *myrti laureæ foliis*, appellatur; cujus tamen reſina, non pro vero, ſed ſpurio Elemi habetur; idcirco *Gummi Chibou*, *la Gomme Chibou*, in *Codice Pariſienſi pharmacevtico* ſalutatur. *Rajus* in *H. Pl.* ex *Baccio de vinis apulis* locum adducit, ubi Elemi, ex olea arbore vetuſta exſudaſſe, mentio fit: Quæ *Baccii* obſervatio forte anſam dedit, reſinam Elemi vernacula noſtra wild Oelbaum-Gummi appellandi. Eligitur odoratum, purum, pingue. *Calefacit, digerit, reſolvit, & in vulneribus membranoſarum & nervearum partium, bono cum effectu, adhibetur. Uſus eſt in Balſamis vulnerariis & Emplaſtris.*

Euphorbium, *Gomme Euphorbe*, Euphorbium, ein ſcharfes Gummi. Subſtantia eſt gummoſa, in guttis ſive granis palleſcentibus, ſaporis acerrimi, urentis, nauſeoſi, odoris nullius. Colligitur ex planta Euphorbii, cerei effigie, caulibus craſſioribus, ſpinis validioribus armati, in apice frugiferis, floribus Tithymali tetrapetaloidibus, quæ in Indiæ Orientalis regionibus & Mauritania creſcit, hinc inde etiam *Tithymalus Mauritanicus*, *Aphyllus anguloſus*, *ſpinoſus*, apud *Bærhavium* & apud *Linnæum Euphorbia aculeata nuda multangularis*, *aculeis gemminatis*, audit. Succus plantæ vulneratæ lacteſcens a ſole condenſatur. Eligatur albicans in granis majoribus. *Vim habet exurentem*, *inflammatoriam*, *vehementer humores viſcidos fundit & educit; vix tamen*, *niſi hydropicis fortioribus dari debet: corrigitur ſucco citri vel aliis acidis*, *quamvis lixivio alcalino magis obedire credatur; externe cariei oſſium abſumendæ inſervit.*

Galbanum Gummi, *Gomme Galbanum*, Galban, Mutter-Gummi. Eſt ſuccus in grumos condenſatus gummoſus, reſinoſis paucis particulis permixtus, coloris flaveſcentis, ſubfuſci, ſaporis amaricantis acris, odoris gravis. Colligitur e *Ferula Syriaca Galbanifera*, *fruticoſa*, foliolis pinnatifidis, pinnis linearibus, planis, trifidis, ſemper virentibus. Radices plantæ valde ſucculentæ & lacteſcentes ſunt, caules fungoſi medulla pleni; ſemina & flores, in umbella, ovata, tenuia, perampla, plerumque per maturitatem nigra. A *Tournefortio* planta vocatur *Oreoſolinum Africanum Galbaniferum*; his a *Rajo* adduntur verba: *fruteſcens aniſi foliis*: *Tournefortius*, quem modo allegavimus, plantam *foliis aniſi ſimilibus*, *longioribus tamen & magis inciſis* deſcribit: addit *flores luteos*, *ſemina plana*, *orbicularia*, quibus ſe planta diſtinguit a *Ferula*. *Linnæo* dicitur: *Bubon foliis rhombeis ſerratis glabris umbellis paucis.* Tota planta lacteſcit, vel ſucco gummoſo lacteo turget, qui ſuccus vel ſponte erumpens, vel ex planta vulnerata exſudans, coagulatur a ſolis calore in grana, quæ optimum Galbanum conſtituunt. Ex orientalibus regionibus, Arabia, Syria & Æthiopia advehitur. Eligendum Galbanum in lachrymis, ſive granis, coloris flaveſcentis, vel rufi. *Emollit & maturat*; *interne in menſibus ciendis*, *& aliis uterinis affectibus adhibetur. Plurimus uſus eſt in Emplaſtris.*

Galda Gummi, *Gomme Galda*, coloris eſt ſubgriſei, & multum cum Elemi Gummi, tam quoad odorem, quam virtutem convenit. De arbore nil nobis conſtat.

Guajacum, *Gomme de Guayac*, Franzoſen-Holz-Gummi. Eſt ſubſtantia gummi-reſinoſa, friabilis, coloris virideſcentis fuſci, ſaporis acris, odoris fere nullius; cum vero carbonibus injicitur, haud ingrati. Diſtinguitur a Reſina, quæ, mediante Spiritu Vini, Ligno extrahitur; hoc vero nativum eſt, & ex arbore, quæ Guajacum Lignum ſuppeditat, exſudat. Eligatur illud, quod in minoribus fruſtis advehitur, & corticibus adhæret Guajaci. *Incidit*, *attenuat*, *reſolvit*, *& easdem vires habet*, *quas Reſina*, *atque in iisdem affectibus*, *ſcilicet catarrhalibus*, *Lue venerea*, *gonorrhœa*, *ſcabie maligna*, *&c. &c. in forma pilulari*, *cum Extractis appropriatis*, *exhiberi poteſt. Doſis grana quatuor*, *ad octo.*

Gummi Gutta, Gutta Gamba, Gutta, Cambodia, Gutta & Gitta Gemu, Gummi de Goa, Gummi de Peru, Gamandræ, *Gomme goutte*,

*goutte*, Gummi-Gut. Eſt ſuccus gummoſus & parum reſinoſus, inſpiſſatus, flavus, arboris Malabaricæ *Caddampulli* dictæ, pomiferæ, foliis conjugatis binis, floribus tetrapetalis, in ſummis ſurculis, fructu Mali Aurei æmulo. Succus e ſauciato trunco emanans, flaveſcens colligitur, & addita aquæ pluviæ ſufficiente quantitate, a fæcibus purgatur, defæcatus, leniſſimo igne, ne nigreſcat, inſpiſſatur, atque, vel in cylindros efformatus, vel in bacillis, cerei inſtar, contortis, ad nos mittitur. Naſcitur in Malabaria. Eligendum eſt Gummi Gutta flavi vel aurei coloris, purum & a fæcibus liberum. *Acre eſt, & vehementer per ſuperiora & inferiora purgat; hydropicis & phlegmaticis datur a granis octo ad decem; pictoribus vero plurimum inſervit.*

Hederæ Gummi, *Gomme de Lierre*, Epheu-Gummi. Lachryma eſt, ut plurimi putant, Hederæ arboreſcentis, quæ vel ſponte, vel ex trunco vulnerato ſtillat, ſaporis cauſtici ſive acris, ſimul adſtringentis, ſubſtantiæ aridæ, reſplendeſcentis, coloris utplurimum fuſci, fere nigri. Advehitur ex calidioribus regionibus. *Reſolvit, attenuat, urinam & ſudorem movet. Datur in forma pilulari, cum Extractis combinatum.*

Juniperi, vide Sandaracha.

Kikekunemalo Gummi, *Gomme Kikekunemalo.* Habetur pro ſpecie Copal, atque puritate, elegantia & perſpicuitate præ ordinario Copal ſe commendat. Facilius etiam ſolvitur; hinc pro nitida alba vernice paranda vix aliquid aptius reperitur. Arbor, ex qua fluit, ignota; certum tamen, ex America advehi. *In affectibus eryſipelaceis & arthriticis carbonibus injectum partes affectas fumigando juvare dicunt.*

Laccæ Gummi, *Gomme Lacque en graines, en baton, en oreilles*, Gummi-Lack. Eſt ſubſtantia ſui generis. Neque reſina eſt, neque Gummi, neque Gummi-reſina. Tres in officinis ejus reperiuntur ſpecies, in ramulis ſive baculis, in granis, & tabulis. *Lacca in Baculis* dicitur, quia parvis arborum ramulis, ſuper quibus efformata eſt, adhærens, ad nos venit. Subſtantia ſua reſinoſa, fuſci coloris, ſuperficie inæquali, quaſi granulata, baculos circumcludit; ſaporis eſt ſubadſtringentis, parum reſinoſi, odoris fere nullius, & dum accenditur, haud ingrati. Quæ *in Granis* dicitur, pellucida, rubicunda, ſaporis reſinoſi eſt. Hæc fuſa & a fæcibus purgata illam, quæ *in Tabulis* vocatur, exhibet, atque ex flavo rubet, pellucida, & fragmentis Vitri Antimonii ſimilis eſt. Reperitur in ramulis arboris *Jujubæ Indicæ*, *Ber* dictæ, foliis majoribus, rotundis, trinerviis, ſubtus lanuginoſis, floribus pentapetalis, herbaceis. Advehitur e regnis Pegu & Martabane Indiæ Orientalis. Non ſponte ex arbore deſtillat, ſed opificium eſt inſectorum alatorum, formicis ſimilium, quæ materiam hujus concreti reſinoſi, vel ex ipſa arbore, vel aliunde colligunt, alvearia ex illa conſtruunt, atque ovula, ad novi examinis ſui generis productionem, in ea deponunt; ovula, alveolis incluſa, in Chryſalides, more aliorum inſectorum, abeunt, & hæ Chryſalides revera id ipſum ſunt, quod Laccæ colorem rubrum conciliat; quo major igitur harum Chryſalidum copia in dictis alveolis latet, eo præſtantior ad tingendum, & extrahendam Tincturam cenſetur. Quæ vero, a ramulis ſeparata, in granis advehitur, Indis, qui telas & varias res colore rubro, mediante Lacca, inficiunt, jam inſervivit, & ſuo colore orbata eſt. *Lacca in granis ad vernicis, in tabulis, ad ſigillatoriæ Laccæ confectionem, expetitur. In uſum medicum*

*quando vocatur, plerumque in granis ſubintelligitur. Leniter adſtringit, & urinam movet. Ad Tincturæ vero præparationem, ob ſupra allegatas cauſas, illa, quæ baculis adhæret, requiritur. De Gummi Laccæ origine legi meretur obſervatio D. D.* Godofredi, Act. Phys. Med. Vol. III. Append. p. 60.

Ladanum, Labdanum, Ladan, *Gomme Ladanum*, Ladan. Eſt reſinoſa ſubſtantia, griſea, terra permixta, in ſpiras, cereorum inſtar, contorta; ſaporis amari, odoris, dum accenditur, fragrantis, non omnibus grati. Colligitur ex Ladani vel Ciſti Ladaniferæ planta, & quidem e caulium & foliorum ſuperficie. Plantæ frequens & copioſus eſt proventus in Candia, Cypro & Græcia. *Ciſtus* appellatur *Ladanifera Cretica, flore purpureo, roſaceo.* E calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, apice dehiſcentem, multicapſularem, ſeminibus fœtum. Modus colligendi tam a *Bellonio*, quam *Tournefortio* deſcribitur. Incolæ habent peculiare inſtrumentum, quod leniter Ciſto affricant; ſic adhæreſcit Ladanum inſtrumento, quod deinde colligitur. Barbis hircorum & caprarum inter Ciſtum paſcentium etiam adhæret, unde Ladanum de Barba appellatur, quod optimum eſſe cenſetur. Sit reſinoſum, pingue, inflammabile, odoratum. *Nervinum eſt; raro tamen interne datur. Uſus eſt in emplaſtris anticatarrhalibus & nervinis, & ad ſuffitus.*

Look Gummi, *Gomme Look.* Colore Succinum æmulatur. Ex Japonia affertur & ſicut Maſtiche electa *temporibus contra dolores dentium & cephalalgiam imponitur.*

Maſtiche, Reſina Lentiſcina, *Maſtic*, Maſtich, Maſtix. Lentiſcus, ex qua Maſtiche colligitur, copioſiſſime in inſula Chio, Ægæi maris, provenit; naſcitur etiam in Ægypto, Syria, Gallia Narbonenſi, & nonnunquam in hortis Botanophilorum in Germania invenitur. *Linnæo* vocatur: *Piſtacia foliis impare pinnatis: foliolis ovato-lanceolatis.* Arbor eſt ramoſa; rami ſunt flexiles, cortice cinereo obducti. Folia myrtum referunt, per paria ad unam coſtam diſpoſita, non in unum folium deſinentem, ſemper viridia, tenera, odoris non ingrati, fortis, ſaporis adſtringentis, acidiuſculi. Flores ex foliorum alis naſcuntur, racemorum inſtar diſpoſiti, rubri, vel coloris herbacei ad purpureum accedentis. Fructus ſunt baccæ rotundæ, nigræ, ſaporis acidi, nucleum habentes oblongum nigrum, duram continentem medullam albam viridem. Duplex in officinis proſtat Maſtiche, electa ſive *in granis*; altera, quæ multis ſcatet impuritatibus, atque cinerei eſt coloris, *in Sorte* vocatur; Laudatiſſima vero ex *Chio* advehitur. Præfertur, quæ eſt in granis majoribus, alba, pellucida, friabilis, quæ tamen, dum maſticatur, picis inſtar, dentibus adhæret, & ductilis eſt, odoris grati. *Uſus eſt tam externus, quam internus; calefacit, ſubadſtringit, roborat.*

Myrrha, *Myrrhe*, Myrrhen. Eſt ſubſtantia gummoſa & parum reſinoſa, arida, fuſca, ſaporis amari, acris, aromatici, odoris fragrantis, non ingrati. Arbor, ex qua colligitur, nondum clare deſcripta eſt; dicunt ab Arabibus vocari *Pola*, eſſe bacciferam, atque in locis deſertis provenire. Ex Arabia, Ægypto & Æthiopia advehitur Myrrha. Eligenda friabilis, levis, in lachrymis quaſi, ubique concolor, amara, acris, aromatica & fragrans. Myrrha *Stacte* vocatur, quæ pellucida, vel ſaltem egregie ſplendens & pura eſt. Hæ forſitan ſola veterum eſt Myrrha; reliqua quæ nobis venditur, quamvis dicatur

catur electa, ſemper variis aliis corporibus & ſordibus permixta eſt. *Calefacit, aperit, attenuat, diſcutit & putredini reſiſtit.*

Olampi Gummi, *Gumme Olampi*, ex America advehitur transparens, durum, coloris pallidi, ſaporis ſubdulcis, parum adſtringentis. Videtur cum Arabico Gummi multum convenire.

Olibanum, Thus, *Encens*, Weyrauch. Eſt lachryma reſinoſa arboris Thuriferæ, e flavo palleſcens, duriuſcula, ſemidiaphana, in grana variæ magnitudinis concreta, ſaporis reſinoſi, amaricantis, odoris, dum accenditur, fragrantis. Stillat partim ſponte e ſauciata arbore; arbor vero, ex qua colligitur, nondum deſcripta eſt; alii enim Piri, alii Lentiſci, alii Lauri, alii Pini & Salicis folia illi tribuunt. Certum eſt, illam in Arabia, & præſertim ejus provincia, Saba, provenire. *Herbolet* in *Bibliotb. Orient.* mentionem facit. *Gummi Laban*, apud *Cluſium Louan*, quod ex arbore lentiſco ſimili, quæ in *Arabia felici*, & quidem in provincia *Saba* copioſe provenit, colligitur. Arabs *al Edreſi* in *geographia Arabiæ*, ſcribit: Olibani, *Gummi Laban*, magnus eſſe proventus, in provincia *Schagiar*, circa fretum *Gicum*. Probatur album, in guttis, & friabile, corticibus arboris & quisquiliis non inquinatum, nec Thure ſilveſtri permixtum, quod eſt reſina abietis & pini, ex acervis formicarum collectum. Quæ de Thure Mannæ, teſticulato & mammoſo, apud veteres auctores, leguntur, de Thure electo albo intelligenda ſunt; ſecundum enim figuram lachrymæ nomina impoſuerunt veteres. *Calefacit, ſiccat, roborat, & ſubadſtringit Olibanum; internus & externus ejus eſt uſus, plurimus in ſuffimentis.*

Opopanax, Gummi Panacis, *Opopanac*, Panax-Gummi. Gummi ſive ſuccus lacteus concretus, e vulnerata circa radicem planta, æſtivo tempore exſudans, atque ſponte concreſcens. Planta, quæ Botanicis *Sphondylium majus*, ſive *Panax Heracleum & Linnæo Paſtinaca foliis decompoſitis palmatis* audit, florem habet roſaceum, umbellatum, luteum, folia lata Paſtinacæ, verum magis compoſita ſive ramoſa, ſemina ampla, plana, bina, ovata. Gummi eſt quaſi ex granulis, e rufo & albo flaveſcentibus, in glebas compactum, ſaporis amaricantis, acris, ingrati, odoris gravis. Bonitatis ſignum eſt, ſi facile in aqua ſolvitur, lacteſcit & valde amarum eſt. In Syria, Bœotia, Macedonia, Sicilia & Gallia meridionali provenit; colitur etiam in Botanophilorum hortis. *Emollit, digerit, flatus diſcutit, purgat pituitam lentam; externe etiam pro Galbano in emplaſtris adhiberi poteſt.*

Pix, *Poix*, *Reſine*, Pech. Eſt pars reſinoſa, ex arboribus reſiniferis, præſertim e pino, abiete, larice, collecta, cocta, & ab impuritatibus liberata. In uſum medicum præcipue venit, quæ ſequitur.

Pix navalis, Palampiſſa, *Poix ou Reſine noire*, *navale*, Schiff-Pech, quæ navibus picandis adhiberi ſolet. Eſt reſina ſive pix magis cocta & fuſca. *Ex ſeptentrionalibus regionibus advehitur. Siccat, calefacit & diſcutit; uſus eſt in Emplaſtris.*

Reſina communis, vulgaris, *Poix ou Reſine blanche*, Harz, Fichten-Harz. Colligitur magna in quantitate in ſilva Martia, ex abietibus & pinis, atque a corticibus arboris et aliis heterogeneis, per liquationem & colationem, liberata, in parva vaſa lignea effunditur, atque longe lateque di-

venditur. Vocatur Kübel-Harz. Coloris eſt flaveſcentis, ſolida & odorata. *Uſus eſt in Emplaſtris; emollit, diſcutit, digerit.*

Sagapenum, Serapinum, *Sagapenum*, Sagapen. Lachryma ſeu Gummi eſt Ferulæ Sagapeniferæ a botanicis nondum deſcriptæ, ex qua ſauciata colligitur. Naſcitur in Media, Perſia & aliis orientalibus regionibus. Optimum cenſetur in granis translucidum, foris fulvi vel rufi coloris, intus dilutioris, guſtus acris, odoris ad Porrum accedentis. *Inter purgantia validiora habetur; auxiliari cum vino ſumtum a beſtiis venenatis commorſis* Raj. Hiſt. plant. *perhibet. Commendatur hydropicis, aſthmaticis, atque tuſſi inveterata laborantibus. Reſolvit, attenuat, & educit lentos humores ex ventriculo & inteſtinis, menſes & urinam ciet, embryonem enecare creditur.*

Sandaracha Arabum, Vernix ſicca, Gummi Juniperi, *Gomme de Genevre*, Wachholder-Harz, Sandarach. Reſina eſt pellucida, Maſtichis inſtar, in guttis tamen majoribus & longioribus, friabilis, ſaporis reſinoſi, odoris, dum accenditur, ſuavis, ſicut Maſtiche. Ex Africa advehitur, ubi ex arboribus Juniperi majoris, bacca rufeſcente C. B. ſauciatis exſtillat & colligitur. Cedrus eam quoque ſuppeditat; qualis tamen raro ad nos venit. *Proxime ad Maſtichen accedit virtute. Ad ſuffitus etiam eſt uſus; plurimus tamen ad vernices varias.*

Sanguis Draconis, *Sang de Dragon*, Drachen-Blut. Reſinoſa eſt ſubſtantia rubra, igni admota facile liqueſcens, & attritu colorem dilute rubrum reddens. Saporis reſinoſi, adſtringentis. Adfertur in folliculis figuræ olivaris, e foliis arundinaceis, convolutis, & *Sanguis Draconis in Granis* vocatur. Maſſa illa obſcure rubra, quæ *Sanguis Draconis in Tabulis* audit, plerumque factitia, impura, opaca & vilioris pretii eſt. Colligitur e diverſis arboribus, quæ Palmis adnumerantur, inprimis ex illa ſpecie, quæ *Palma pruniſera, foliis Juccæ*, vocatur, e cujus caudice reſinam rubram hanc promanare perhibent. Optima Sanguinis draconis reſina, cenſetur illa, quam producit arbor, quæ *Draco Indica, ſiliquoſa, populi folio, Angſana vel Angſana Javanica, Comelin. Hort. Amſt. Pterocarpus* (officinalis) *Jacquin. Hiſt. Stirp. Amer. Append.* & *Linn. Mater. Med.* vocatur. Etiam ex caudice inciſo arboris, quæ lignum nephriticum producit, gummi rubrum profluere, quo, loco Sanguinis draconis utuntur, *Rajus in Hiſt. plant.* perhibet. Plurimi putant, id, quod Sanguinem draconis vocamus, cinnabarim eſſe *Dioſcoridis. Kæmpferus* vero aliam methodum, Sanguinem Draconis, e fructibus ſtrobiliformibus *Palmæ coniferæ ſpinoſæ*, eliciendi deſcribit. Præfertur ille, qui ab aqua non diſſolvitur, clarus, pellucidus, friabilis & eleganter ruber, atque vel in granis, vel fruſtulis, digiti magnitudinis, foliis arundinaceis involutus, advehitur. *Virtutes ſunt adſtringentes & ſiccantes; pulverem ad caſum & dentifricios ingreditur; dentes firmat, & gingivas, ſcorbuto affectas, ſanat.*

Sarcocolla, *Sarcocolle*, *Collechair*, Fleiſchleim-Gummi. Sunt granula gummoſa, parva, ex albo rufeſcentia, friabilia, ſaporis amaricantis, acris, ſubdulcis, odoris nullius. E Perſia ad nos transfertur. Sunt, qui plantam ſive arborem ſiliquoſam, flore papilionaceo ſcribunt; alii Tithymalum Perſicum ſpinoſum eſſe affirmant: *Linnæus Penæam foliolis ovatis planis* vocat. Eligenda recens, (vetuſta enim rufeſcit,) coloris pallidi, ſaporis amari, ſubſtantiæ poroſæ, glutinoſæ. *Calefacit, adſtringit, conſolidat, glutinat, maturat, in oculo-*

*rum*

*rum fluxionibus, albugine, nubeculis, lacte humano vel asinino macerata, commendatur.*

Senegal Gummi, Senica, *Gomme de Senegal*, illud est, quod sub nomine *Gummi Arabici* in officinis prostat, atque ex *Guinea* advehitur, & a fluvio celebri *Senegal* vel *Senega* nomen habere videtur. Productum esse *Acaciæ, siliquis compressis*, plurimi autumant. Vires sunt eædem, quæ *Gummi Arabici. Plurimus usus in arte tinctoria & sericaria, ad lustranda sericea.*

Styrax, Storax Calamita, *Resine de Storax*, Storax. Massa est resinosa, pinguis, e flavo rufescens, saporis subacris, odoris suavis, fragrantis. Ex Styrace arbore, folio lanuginoso Cotonei Mali, flore monopetalo, velut infundibuliformi, multifido, fructu subrotundo, carnoso, uno vel altero osseiculo plerumque fœto, colligitur. In calidioribus Europæ regionibus nonnunquam reperitur, sed non fundit resinam, sicut in orientalibus, Syria, Pamphilia, Cilicia, &c. Olim in calamis sive cannis advehebatur, unde nomen *Calamitæ* accepit; nunc plerumque in massa, multis quisquiliis & rasura ligni inquinata, advehitur. Styrax in granis vero naturalis rarissima est. Eligatur pinguis, multis granulis resinosis, albicantibus mixta, rufescens, odoris suavis constantis. *Calefacit, emollit, concoquit. Cephalica & nervina est, catarrhis & tussi medetur; ad suffitus adhibetur.*

Tacamahaca, *Tacamahac*, *Tacamaque*, Tacamahac. Resina arida, flavescens, vel rufa, in glebas compacta, saporis resinosi, aromatici, odoris suavis, fragrantis est. Stillat ex arbore *Tacamahacæ*, quæ *Linnæo Populus foliis oblongis acutis* vocatur. Folia sunt fruticis rosarum similia, dentata, & utplurimum quinque, uno pediculo adhærentia. Flores parvi, albi, racematim congesti; semen unicum, triangulare. Vocatur etiam a Batavis *Sadelhaut*, id est lignum, ad ephippia conficienda idoneum. Nascitur in Hispania Nova copiose, & haud raro in insula Madagascar provenit. Duplex reperitur Tacamahaca, illa, quæ sponte ex arbore non vulnerata profluit, & in corticibus cucurbitarum colligitur, atque a Gallis *Tacamahac en Coque* vocatur, raro ad nos venit; altera in lachrymis & glebis, variæ magnitudinis, advehitur. Sit modo pura, suaveolens & fragrans. *Roborat, resolvit, maturat, emollit, dolorem ac flatus discutit. Internus usus rarus est; externe in emplastris, præsertim odontalgicis & stomachicis, adhiberi solet.*

Tragacantha, *Gomme Adraganth*, *d'Adragan*, *ou d'Epine de Bouc*, Traganth. Lachryma gummosa lucida, tenax, levis, in aqua solubilis, mucilaginosa est. Colligitur ex radice vulnerata fruticis *Tragacanthæ Linnæi, foliis pinnatis, non deciduis, costa media, cui pinnulæ annexæ sunt, in longam, rigidam, acutam spinam procurrente, flore papilionaceo, siliquis geminatis, in duplici alveolo, duplicem seminum seriem continentibus*, quæ etiam *Astragalus aculeatus fruticosus Massilienſis* a *Pluckenet* vocatur. Provenit planta copiose in Syria, inprimis circa Aleppum, & in Candia. Haud raro etiam in Gallia, circa Massiliam, occurrit, ubi tamen gummi raro vel nunquam fundit. Eligenda est alba, pura, vermiculata; rufa & impura rejicitur. *Humectat, acrimoniam mitigat, incrassat, atque in tussi a materia acri, dysenteria, ardore urinæ, raucedine, nec non in collyriis ad ophthalmiam bono cum successu adhibetur.*

## CAPUT X.

# DE RESINIS LIQUIDIS ET BALSAMIS NATIVIS.

Ambra liquida, Liquid-Ambra, *Ambre liquide*, flüßiger Amber. Eſt reſina liquida, e flavo fuſca, conſiſtentiæ plerumque Balſami Peruviani nigri, ſaporis acris, aromatici, odoris ſuavis. Fluit vel ſponte, vel ex inciſa arbore Liquidambar ſeu Styracis Virginianæ, quæ a Rajo *Platanus Virginiana*, *Aceris foliis* quinquepartitis, floribus tripetalis, fructibus ſphærocephalis, ſeminibus minimis, oblongis vocatur, & in Virginia, nova Hiſpania, & aliis Indiæ occidentalis regionibus occurrit. *Reſolvit*, *emollit*, *maturat*, *& cum Balſamo Peruviano convenit. Uſus plurimus eſt externus.* Nierembergius in Hiſt. Nat. *etiam interne in affectibus ventriculi & uteri conducere perhibet.*

Balſamum Canadenſe, *Baume de Canada*, Balſam von Canada. Species eſt Terebinthinæ. Fluit ex abiete Canadenſi, quæ a *Pluckenetio*, *Abies minor*, *pectinatis foliis*, *conis parvis*, *ſubrotundis*, Gallis *Epinette* ou *Sapinette de Canada*, vocatur. Cum Terebinthina Veneta convenit.

Balſamum de Copaiba, Copahu, Copaivæ, *Baume de Copaiba*, *de Capahu*, Balſam von Copaiva. Eſt liquor reſinoſus, limpidus, pallidi coloris, ſaporis acriuſculi, amaricantis, odoris terebinthinacei, gratioris. Arbor *Copaiba*, hoc balſamum fundens, in *Braſilia*, *Americæ* regione, naſcitur. Folia habet ſubrotunda, ſive ovalia, flores pentapetalos, ſiliquas monoſpermas. Balſamum non niſi ex vulnerata arbore fluit; magna tamen in copia, ut ſpatio trium horarum propemodum duodecim libræ colligi poſſint. Duplex reperitur, quale prius eſt liquor limpidus, poſterius vero craſſioris eſt conſiſtentiæ, inſtar Terebinthinæ; diſcrimen dependet ex diverſo colligendi tempore: illud enim, quod ſtatim poſt arboris inciſionem profluit, eſt admodum clarum, album, odoris reſinoſi; hoc autem, quod ſequitur, magis aurei coloris & conſiſtentiæ denſioris eſt; & ultimum hoc magna in copia ex Portugallia ad nos venit, alterum autem tenuius magis rarum eſt. Eligatur pellucidum, flaveſcens, liquidum, odoris fragrantis, & quod a Tinctura Tartari, vel alia alkalina, totum ſolvitur, atque Oleum copioſum æthereum dat deſtillatum. *Uſus præcipuus eſt in gonorrhœa*; *dari vero etiam poteſt in diarrhœa & dyſenteria*, *niſi febris contraindicet. Doſis eſt ſcrupulus dimidius*, *ad integrum. Externe præbet Vulnerarium egregium.*

Balſamum Indicum album, Peruvianum album, *Baume blanc de Perou*, weiſſer Indianiſcher, Peruvianiſcher Balſam. Eſt liquor reſinoſus, coloris pallidi, odoris ad Benzoës accedentis, ſuavis, ſaporis acris, amaricantis, conſiſtentiæ mellis liquidi. Fluit ex arbore vulnerata, quæ *Cabareiba*, ſive Balſamum Peruvianum a *Piſone* vocatur. Creſcit arbor in America, & quidem Hiſpania nova, eſtque magnitudine Mali Medicæ, foliis Amygdali majoribus, tamen rotundioribus & magis acuminatis; floribus pentapetalis,

lis, in extremis ramorum flagellis luteis initio loculorum, oblongorum forma, ſed, procedente tempore, quorundam veluti foliorum ceteris latiorum. Fructus ſunt ſiliquoſi, breves, ac in ſingulis ſemen unicum continetur. Rarius in Officinis, quam Nigrum, reperitur, quamvis ex eadem arbore eliciatur. *Adſcribuntur vires potentiores Nigri, præſertim in pectoris affectibus, diarrhœis, gonorrhœa & ulceribus internis commendatur. Datur ex ovo ſorbili; doſis guttæ tres, quinque, ad decem. Externe etiam præbet Vulnerarium egregium.*

Balſamum Indicum, Peruvianum nigrum, *Baume noir de Perou*, ſchwarzer Indianiſcher, Peruvianiſcher Balſam. Subſtantia eſt reſinoſa, ponderoſa, fluida, coloris ex nigro rubentis, ſaporis acris, paululum amaricantis, odoris ſuavis, fragrantis. Coctione extrahitur, ramos atque etiam truncos arboris, modo ſub Balſami Indici albi titulo, deſcriptæ, aſſulatim & minutim conciſos, in lebetem ampliſſimum injiciunt, multaque inſuper affuſa aqua coquunt, quantum ſatis eſſe putant, igne ſublato frigeſcere ſinunt, & conchyliis Balſamum ſupernatans colligunt. Laudatur ſpiſſum, nigrum, ponderoſum, odore fragrans, & quod mixtionem cum Oleis expreſſis reſpuit. *Calidum eſt, diſſolvit, digerit, & roborat; præſtantiſſimum eſt Vulnerarium, & tam interne, quam externe in uſum venit; quia mixtionem cum omnibus liquoribus reſpuit, commode cum vitello ovi miſceri atque exhiberi poteſt. Doſis guttæ tres ad ſex.*

Balſamum Indicum ſiccum, *Baume rouge ſec, ou dur*, trockener Indianiſcher Balſam. Reſina eſt pellucida, coloris fulvi & rutili, ſaporis acris, odoris ſuavis Benzoës, fragrantioris tamen & gratioris, dum recens, picis inſtar ductile, inveteratum vero friabile. Ex balſamifera arbore, quæ præcedentia Balſama, album & nigrum, Peruviana ſuppeditat, colligitur: ramuli nimirum abſciſſi & cortex vulneratus liquorem fundunt, qui, in corticibus cucurbitinis ad ſolem condenſatus, ad nos transportatur. *Ejusdem virtutis cum Peruviano eſt, & commode in pilulis datur.*

Balſamum Orientale verum, Opobalſamum, Balſamum de Mecha, Ægyptiacum, *Baume de Judée, ou de Mecha*, Balſam von Mecha. Reſina eſt liquida, limpida, albicans, ſaporis acris, amaricantis, aromatici, odoris fragrantis, grati. Fluit & colligitur ex arbuſcula vulnerata, balſamifera, ſub titulo Carpobalſami deſcripta. Cum emanat, tenuiſſimum & albo colore tinctum eſt, mox poſt paucos dies, color albus in viridiuſculum mutatur, & conſiſtentiam olei balſamum acquirit; demum, poſt aliquot annos, in conſiſtentiam mellis liquidi, vel Terebinthinæ Venetæ, coloris aurei, abit. Carum atque valde rarum olim fuit, nunc vero, cum vires ejus magis innotuerunt, ab incolis Arabiæ, lucri cauſa, copioſius ac frequentius colitur, atque facilius obtineri poteſt; inprimis vero ſincerum per Legatos ad aulam Turcicam, quibus ceu munus a Turcarum Magnatibus offerri ſolet, nonnunquam ad nos venit. Ceterum maxima pars Opobalſami, quæ nobis venditur, *Balſamo de Copaiba* adulterata eſt; imo ipſum Balſamum de Copaiba, cum Oleo e Carpobalſamo expreſſo mixtum, pro vero venditatur. Notæ ſinceri & veri Opobalſami habentur: quod vehementis ſit odoris, & quo magis recens eſt, acutioris, gratiſſimi, quod guſtu ſit amaricans, adſtringens, modice acre, aquæ inſtillatum, tametſi parva ſit gutta, ſupra totam aquæ ſuperficiem expandatur, eamque liquatum totum ſupernatet, atque in ipſa coagulatum,

totum ſtylo excipi ac auferri poſſit, quodque in laneam veſtem fuſum eam non, ſicut oleum, inficiat, quanquam ei adhæreat; ætas vero Balſami ex colore & conſiſtentia, uti ſupra monuimus, æſtimari debet. *Balſamum hoc toto orbe celebratum, tam interne, quam externe in uſum vocatur; confert aſthmaticis, calculoſis & pro medicamento habetur polychreſto.*

Balſamum Rackaſira, *Baume Rakaſira*, Copaivæ Balſamo tam ſapore, quam odore aromatico & viribus longe præcellens. Americæ productum; arbor vero ignota.

Balſamum Tolutanum, de Tolu, *Baume de Tolou*, **Balſam von Tolu.** Liquor eſt reſinoſus ſive Balſamum, coloris ex pallido ad aureum tendentis, conſiſtentiæ Terebinthinæ Venetæ, glutinoſæ, ſaporis dulcis, aromatici, odoris fragrantis, grati. Arbor balſamifera Tolutana pumilam pinum referre nonnulli perhibent; ſed de ejus charactere inter botanicos nondum ſatis conſtat. Tam ſponte, quam poſt inciſionem factam, Balſamum effluit. Advehitur ex America, ubi circa urbem Tolu colligitur, ſed raro non adulteratum in noſtris officinis invenitur. *Cum Opobalſamo multum convenit, & vulnera recentia ita conſolidare, ut nullam cicatricem relinquant, perhibetur.*

Styrax liquida, *Storax liquide*, **flüßiger Storax.** Eſt reſinoſa ſubſtantia, e fuſco griſea, tenax, conſiſtentiæ melleæ, odoris utplurimum gravis. Magna diſſenſio inter auctores eſt: An Styrax liquida naturalis, vel factitia ſit? Sunt, qui putant, ex eadem arbore, quæ Ambram liquidam largitur, provenire. Certum eſt: Styracem liquidam, uti in Officinis proſtat, vel adulteratam, vel totam eſſe factitiam. *Calefacit & ſiccat; raro tamen in uſum venit, niſi in Unguentis ad ſcabiem & emplaſtris.*

Terebinthina communis, ſive vulgaris, *Terebenthine ordinaire*, **gemeiner Terpentin.** Eſt reſina liquida, melleæ conſiſtentiæ, ex abietis & pini arboribus extracta. Colligitur in multis Germaniæ & Galliæ provinciis. Eligenda, quæ pura, alba & fluida. *Uſus eſt in ungentis & emplaſtris; laudatur inprimis in ſcabie leproſa, aliisque cutis defædationibus.*

Terebinthina Veneta, officinalis, *Terebinthine de Veniſe*, **Venediſcher Terpentin.** Reſina eſt liquida, mellis recentis conſiſtentia, coloris flaveſcentis, ſaporis acris, amaricantis, odoris haud ingrati, *Laricis, folio deciduo, brevi*, Cedrinorum in modum naſcentis, conis parvis. Naſcitur quidem Larix in regionibus pluribus etiam Germaniæ, ſed modo in calidis Terebinthinam fundit; maxima pars Terebinthinæ Venetæ ex Gallia, ubi in ſilva Lionienſi copioſe colligitur, ad nos venit, & *Terebenthine du Bois de Pilatre a* Gallis vocatur. *Virtute vix a vulgari differt; liquidior tamen, purior, & oleo ditior eſt. Tam interne, quam externe in uſum vocatur; calefacit, emollit, abſtergit & incarnat; uſus inprimis eſt in gonorrhœa debellanda, urina cienda. Drachma una vitello ovi ſoluta & aqua diluta alvum movet, atque ad ardorem urinæ, ulcera renum & veſicæ magnopere commendatur.*

Terebinthina vera, de Cypro, de Chio, *Terebinthine de Chypre*, **wahrer Cypriſcher Terpentin.** Raro, aut nunquam in noſtris officinis occurrit. Vulgari eſt ſpiſſior, coloris candido-flaveſcentis, ad cœruleum vergentis, odoris grati, & ſaporis acris, amaricantis. Tractu temporis Terebinthina

thina de Chio ſolideſcit, atque formam & ſubſtantiam reſinæ pellucidæ, ſolidæ, coloris ſubflavi, quæ dentibus non adhæret, induit. In Chio & Cypro ex arbore *Terebintho*, ſeu *Piſtacia foliis impare pinnatis: foliolis ovato-lanceolatis*, *Linn.* colligitur. *Præfertur reliquis, & ad Theriacæ confectionem requiritur; ſubſtituitur vero plerumque Veneta, ſeu laricea, quæ, ſi viribus non æqualis, tamen haud multo inferior eſt.*

## CAPUT XI.

# DE SUCCIS CONDENSATIS ET CONCRETIS.

Acaciæ Ægyptiacæ ſuccus, *Suc d'Acacia veritable d'Egypte*, Egyptiſcher = Schotten = Dorn = Saft. Ex Acaciæ Ægyptiacæ, (quæ *Linnæo* eſt *Mimoſa ſpinis geminatis diſtinctis foliis duplicato pinnatis: particularibus utrinque quinis pluribus*,) fructibus immaturis ſuccus exprimitur, & lento igne inſpiſſatur, qui in ſubſtantia ſolida, foris coloris nigricantis, intus rufeſcentis, ſaporis acerbi, auſteri, adſtringentis advehitur. Naſcitur in Ægypto & Arabia. Eligendus, qui non nimis nigricans, nec friabilis, ſed tenax eſt, atque totus in aqua ſolvitur. *Theriacam ingreditur; raro tamen ad nos pervenit; hanc ob cauſam Acaciæ Germanicæ ſuccum ſubſtituunt. Adſtringit, refrigerat & ſiccat.*

Acaciæ Germanicæ ſuccus, *Suc de Prunelles ſauvages*, eingetrockneter Schlehen = Saft. Acacia Germanica, *Prunus ſilveſtris*, ſub fructibus deſcriptus eſt. Succus exprimitur e fructibus maturis, atque lento igne in vaſe fictili terreo inſpiſſatur. *Refrigerat & adſtringit. Succo Acaciæ Ægyptiacæ ſubſtituitur.*

Aloë caballina, *Aloë caballine*, Roß = Aloe. Eſt ſuccus *Aloës Guineenſis Caballinæ*, vulgari ſimilis, *Maculatæ*, ſucco fœtidiore. Odoris eſt nauſeoſi, picei, myrrhati; ponderoſa, nec a fæcibus depurata, inſpiſſata, coloris nigricantis.

Aloë hepatica, *Aloë hepatique*, gemeine Aloe, Leberfarbige Aloe. Succus eſt inſpiſſatus, vel calore ſolis condenſatus *Aloës vulgaris* C. B. foris colore fuſcus, intus flaveſcens, hepatis inſtar. Exprimitur ex foliis; ſaporis eſt amariſſimi, ingrati, parum adſtringentis, odoris fragrantis, ad Myrrham accedentis. Colligitur in *China*, & inde advehitur; naſcitur etiam planta in *Barbados*, *Americæ* Inſula, & ibi ſuccus inſpiſſatur, qui, ſub nomine *Aloës Barbadenſis*, in cucurbitis adfertur, & Succotrina Aloë haud inferior eſt.

Aloë Succotrina, Socotrina, lucida, *Aloë Succotrin*, feine Aloe, aus der Inſul Soccotora. Succus eſt gummoſus & reſinoſus *Aloës veræ minoris, Succotrinæ, anguſtifoliæ, ſerratæ, ſpinoſæ, floribus ſuave-rubentibus*, fuſco-nigricans, e foliis vel vi expreſſus, vel e planta, circa radicem inciſa, ſponte deſtillans, atque a ſole poſtea condenſatus, coloris, quando teritur, crocei, ſaporis amari, odoris non ingrati. In Inſula Soccotora magnus eſt proventus hujus plantæ, & ſuccus condenſatus inde adportatur. Communis hucusque fuit opinio, Aloës ſpecies, quæ in Officinis proſtant, ex una eademque planta colligi, atque ſaltem puritate inter ſe differre; ex præmiſſis vero

innoteſcit, diverſas Aloës eſſe plantas ac ſpecies. Aloë quidem Epatica vera & Succotrina ex eadem ſpecie elici poſſunt, & tantum ratione patriæ differunt, illaque, quæ ex China transportatur, Epatica, ex Succotora Inſula, Succotrina appellatur; Caballina vero e peculiari ſpecie Aloës maculatæ colligitur; fœtorem nunquam totum amittit, ſi multoties etiam aqua ſolvatur, atque rurſus inſpiſſetur. Notæ genericæ Aloës ſunt radix perennis, fibroſa vel tuberoſa; folia longa, integra, Sedis fere accedentia. Flos monopetalus, tubulatus, infra in ventrem prominens, ſupra anguſtior, ibique in ſex ſegmenta ſciſſus, nudus, ſex ſtaminibus præditus. Fructus oblongus, trilocularis, cilindraceus, hexagonus, fœtus ſeminibus planis, quaſi ſemicircularibus. Aloë eligenda Succotrina pura, lucida, odoris non adeo ingrati. Aloë Hepatica, quæ hodie a nonnullis Succotrinæ præfertur, easdem notas bonitatis habet, colore tamen dilutior eſt; ſæpius vero, imo ſemper, Aloë Caballina pro Hepatica divenditur, quæ tamen ab illa facile odore nauſeoſo myrrhato diſtingui poteſt. *Aloë, præter vim purgantem, etiam calefacientem habet, ſanguinem commovet, menſes & hæmorrhoides ciet, lumbricos enecat; frequenter tamen in uſum vocata noxia eſt, præſertim bilioſis, hecticis, ad hæmoptyſin, fluxum hæmorrhoidalem nimium, & mulieribus ad abortum diſpoſitis.*

Hypociſtidis ſuccus, *Suc d'Hypociſte.* Subſtantia eſt nigra, nonnihil reſinoſa, auſteri, acidi & adſtringentis ſaporis. Non ſolum ex Creta inſula, ſed etiam ex Gallia Narbonenſi & Provincia, ubi planta copioſe provenit, advehitur. Hypociſtis planta eſt paraſitica, quæ ſub Ciſto aſſurgit, cujus radicibus inhæret. *Linnæo* vocatur: *Aſarum foliis ſeſſilibus imbricatis, floribus quadrifidis.* Tota abſciſſa contunditur, atque ſuccus expreſſus inſpiſſatur. *Refrigerat, ſiccat & adſtringit. Ad Theriacam & Mithridatium requiritur.*

Liquiritiæ ſuccus, Glycyrrhizæ, *Suc de Regliſſe en bâton*, Süß-Holz-Saft, Lakrizen-Saft. E radice Liquiritiæ exprimitur, ignis calore inſpiſſatur, & in Trochiſcos vel Magdaleones formatur. Affertur ex Hiſpania & Franconia, ubi in agro Bambergenſi copioſe Liquiritia colitur. Eligitur prior, qui totus in aqua ſolvitur, & ſaporis eſt dulcis, parum amaricantis. *Demulcet, expectorationem promovet, nephriticis & tuſſientibus prodeſt.*

Lycii ſuccus, *Suc de Lycium*, Buxdorn-Saft. Extrahitur coctione & inſpiſſatione e ramulis Lycii, arbuſcula ſpinoſa, frequenter in Lycia, Aſiæ provincia, occurrente. Saporis eſt amari, auſteri & adſtringentis, coloris nigri. In glebis advehitur; raro verum in uſum venit. *Refrigerat & adſtringit; ad ulcera oris & gingivarum maſticatus commendatur.* Veroſimile eſt, Gallorum *Grana d'Avignon* eſſe fructus arbuſculæ, ex cujus ramulis hoc extractum excoquitur.

Manna Calabrina, *Manne de Calabre*, Manna. Eſt ſuccus concretus, collectus ex Arbore *Fraxini* & *Orni*, in Calabria, Sicilia & agro Romano. Saporis dulcis, ſubacris, pinguis, odoris melliti. Arbores Fraxini diebus canicularibus, calidiſſimis horis, cœlo ſicco ſponte emittunt ſuccum viſcidum, ſubdulcem, qui a ſole condenſatus & collectus, ulterius exſiccatur, & Manna vocatur. Spontanea *Manna*, incolis *di Corpo* dicta, a die vigeſimo primo Julii, ad finem hujus menſis usque, e novellis ramulis effluit; Julio deſinente, corticem Fraxinorum incidunt, tunc a meridie ad ſextam horam fluit idem liquor, & in grumos craſſiores, caloris ope, cogitur, atque *Manna forzata* dicitur. Nonnunquam, ob hujus ſucci copiam, in cortice arboris elevantur tubercula,

unde

unde cortex hiſcit, & ſponte ſuccum plorat, qui ſolis calore in Mannam condenſatur. Mannam non omnes Fraxini ac Orni arbores fundunt, ſed juniores tantum, quarum cortex non ſcaber, ſed levis eſt. Optima eſt in granis, ſive granulata, quæ ex Calabria adfertur, alba, parum flaveſcens, dulcis, linguam tamen modice mordens, levis; *Cannulata* dicitur, quæ ex Arbore vulnerata ſtillans, canna vel arundine excipitur, condenſatur, & in fruſtulis longis advehitur. *Leniter alvum movet, abſtergit. Pueris, mulieribus prægnantibus & ſenibus tuto dari poteſt. Doſis drachmæ duæ ad octo vel duodecim.*

Mel, *Miel*, Honig. Liquida craſſiuſcula eſt ſubſtantia, dulcis, ex albo flaveſcens, ab apibus, e variis vegetabilibus collecta. Sunt, qui credunt, Mel nihil eſſe aliud, niſi extractum Florum, cum ſubtiliori roris ſubſtantia conjunctum; alii Chylum apum in ventriculis earum conſummatum, & vomitu intra favos rejectum eſſe contendunt. Certum eſt, Apes ad mellis generationem multum conferre, non ſolum colligendo mel e floribus, ubi a natura paratum proſtat, ſed etiam in ventriculo ulteriori coctione perficiendo, quamvis etiam fieri poſſit, ut mel, quod apes intra cavum proboſcidis colligunt, quæ plena eſt granulis, ſive glandulis, in ea pariter nonnullam mutationem ſubeat. Mel differt tam ratione coloris, quam loci & varietatis plantarum, ex quibus collectum fuit. Habetur *Album*, quod Virgineum vocatur, & ex novellis favis, vel juniorum apum examinibus, citra ignem, colligitur; *Flavum*, quod vetuſtiores favi ſuppeditant. Pro diverſitate loci & plantarum pariter deprehenditur differentia; ubi enim plantæ nobiliores proveniunt, mel etiam gratius & melius exiſtit, quod plantas, ex quibus collectum fuit, redolet, & ſapore prodit; ſic *Mel ſilveſtre* plerumque pinum & reſinam redolet; Mel vero *Narbonenſe*, ubi Rosmarinus aliæque nobiliores plantæ occurrunt, delicatius deprehenditur, unde reliquis etiam præfertur. Vilioris eſt pretii, quod ex Polonia advehitur. *Mel calidum eſt, abſtergit, nutrit, aperit, pulmonibus confert, urinam ciet; præcipue ſenibus & phlegmaticis convenit, junioribus calidisque ſubjectis parcius propinandum, bilioſis & hyſtericis raro vel plane nunquam.*

Opium, Meconium Thebaicum, *Opium de Thebes*, ausgetrockneter Mohn-Saft. Colligitur e capitibus *Papaveris ſativi*, maturitati proximis, vulneratis. Culter, huic negotio inſerviens, quintuplici acie eſt inſtructus, qui una ſectione quinque infligit vulnera longa, parallela. E vulnuſculis ſtatim promanat liquor lacteus, qui a ſole condenſatur, & poſtridie ſcalpro abſtergitur; tum altera capitis facies eodem modo vulneratur, & Opium colligitur. Colitur expreſſe Papaver in agris, & in plantis ramoſis majoribus ſuperflua capita amputantur, ut reliqua magis grandeſcant, & ſucco impleantur majoris efficaciæ. Lachryma primæ collectionis præfertur, & majori pollet demulcendi virtute. Opium ita collectum aqua humectant, ſpata lignea optime permiſcent, in glebas efformant, & foliis Papaveris plerumque involutum, vendunt divitibus ſub nomine *Affion*. Pauperes ex foliis ac ſtolonibus Papaveris Opii ſpeciem excoquunt, quam ſoli porro condenſandam exponunt; hoc medicamentum *Pouſt* vocant, quod nobis ſub nomine *Meconii* venit, & vilioris virtutis & pretii eſt. Opium, quod in regione Thebaica, Ægypto confini, colligitur, optimum cenſetur. Copioſiſſima etiam in Natolia, Cilicia, Cappadocia, aliisve Orientalibus regionibus collectio eſt. Eligendum, quod coloris e nigro rufeſcentis eſt, ponderoſum, denſum, inflammabile ac ardens, ſapore amarum & acre, odoris fortis, narcotici, nauſeoſi, quod facile aqua diluitur, aut ſolvitur, nec multas fæces relinquit. Gummoſæ ſubſtantiæ plurimum,

reſinoſæ parum alit. *Variæ virtutes Opio adſcribuntur, quarum primariæ ſomniferæ, anodynæ, diaphoreticæ & antiſpaſmodicæ; Indi aliique Aſiæ incolæ aphrodiſiacas addunt. Certum divinum eſt Medicamentum, quo in Medicina vix aut nullo modo carere poſſimus, &, ſi Medicis hoc remedio non eſſet proſpectum, tradente Bontio, fruſtra in calidiſſimis Indiæ regionibus Medicinam facerent dyſenteriæ, choleræ, febribus ardentibus, ac reliquis biliosis affectibus, orgaſmo turgentibus; ſic etiam Confectiones illas celebres, Theriacam, Mithridatium, aliaque Philonia maximam ſuæ laudis & efficaciæ partem Opio debere, extra dubitationis aleam poſitum eſt. Crudum apud nos raro in uſum venit, ſed plerumque Extractum vario modo paratum; an vero hac prætenſa correctione revera corrigatur, vel potius caſtretur? lis inter autores eſt. Doſis Opii vix determinari poteſt; ſufficit unum aut alterum granum, imo præſtat, in minima Doſi, exempli gratia, quartam grani partem, repetitis vicibus, quam majori, una vice, exhibere quantitate; præſertim in colica ſpaſmodica caute cum illo mercandum, ne funeſta pareſis illam ſequatur. Opio aſſueti facile majorem doſin perferre poſſunt, & proſtant exempla inter germanos, qui ſpatio 24. horarum integram drachmam, immo unciam ſemis, absque ulla ſecuta noxa, devoraverunt. Aliquo jure locum ſibi hic vindicat.*

Sagu, Zagoe, nonnullis Sego, ſunt granula pallida, milii, imo ſinapeos ſemine paulo majora, quæ ex India Orientali afferuntur. Arbor ex qua Sagu colligitur, ad Palmas refertur, & apud Botanicos: *Palma Japonica, ſpinoſis pediculis, polypodii folio; Palma Indica, caudice in annulos protuberante diſtincto, fructu pruniformi; Palmam referens arbor, farinifera, audit.* Naſcitur in Japonia, & plurimis Indiæ Orientalis regionibus, præcipue in Ternate & Amboina inſulis. Tres arboris ſpecies, Sagu proferentis, a *Jonſtonio* recenſentur: prima, quæ Zagu fert in orbiculato capite, quod in ſummo veſtigio braſſicæ capitate inſtar extuberat. Secunda quæ illud in trunco fert, & tertia, quæ materiam duntaxat ſuppeditat.

Plurimi putant, Sagu, quod ad nos defertur, præparatum, & ex farina, ſive medulla arboris aqua ſubacta, certa encheireſi granulatum & ſiccatum eſſe. Quod & vero ſimile eſt. Granula enim ſinapi ſemine vix majora in lacte vel jure carnis cocta, grandeſcunt ad hordei excorticati magnitudinem. *Non ſolum delicii loco habetur Sagu, ſed & morbo conſumptis & emaciatis bonus eſt cibus, imo medicina refrigerans & demulcens.*

Saccharum, Mel Cannæ, Zuccarum, *Sucre*, Zucker. Eſt ſuccus ex arundinibus ſaccharifers expreſſus, dulcis, concretus, & in ſalis formam redactus. *Arundo ſaccharifera herba graminifolia eſt, floribus imperfectis ſtamineis, media inter Miliaceas & Arundinaceas.* Radices ſunt ſucculentæ, dulces, e quibus germina erumpunt, quæ transplantata adoleſcunt, & in cannas, ſex pedes, vel etiam quandoque ultra longas, geniculatas, foliis anguſtis, ſtriatis, circa genicula veſtitas, excreſcunt: fungoſa medulla dulciſſimo ſucco ubertim referta eſt. Cannas has, cum ad dimidiam ſui altitudinem pervenerunt, abſcindunt, atque, ſeparatis foliis, ſuccum certis machinis exprimunt, ſtatimque, ne aceſcat, in ahenis ebullire faciunt, deſpumant, &, addito lixivio e cineribus & calce viva, purificant, atque ad juſtam conſiſtentiam redigunt. Saccharum hoc, quod farinaceum appellant, poſtea rurſus ſolvitur, magis purificatur, &, pro gradu puritatis, & ratione formæ, varias dat Sacchari ſpecies, quod vel in ciſtulis, vel pyramidibus, variæ magnitudinis, charta cœrulea involutum, ad nos venit, atque vel *Saccharum Farinaceum*,

vel

vel *Melis*, *Refinatum*, *Canarienſe* & *Finiſſimum* vocatur. *Saccharum Thomæum*, *Rubrum*, Thomas-Zucker, nomen ab Inſula St. Thomæ habere ajunt; paratur vero etiam e Syrupo, qui in efformatione pyramidum ſaccharinarum exſtillat, & ad cryſtalliſationem haud idoneus eſt; propter lentorem & pinguedinem facile humeſcit ac diffluit; ſaporem cæteris habet dulciorem & melleum, haud gratum. Quo ſolidioris & ſiccioris conſiſtentiæ eſt, eo melius habetur.

Saccharum liquidum, *Sucre liquide*, Syrup-Zucker. Liquor melleus eſt fuſcus, & nunquam ad ſolidam conſiſtentiam perduci poteſt, &, ſi in eam perducatur, tamen ſponte iterum diffluit, e conis pyramidatis exſtillat, & viliſſimum omnium eſt.

*Saccharum candiſatum*, *Canthum*, Gallis *Candi*, Candel-Zucker, Zucker-Candi, paratur, cum Saccharum pyramidale in aqua ſolvitur. Solutio ad certum gradum cryſtalliſationi aptum, lente inſpiſſatur, & in vaſis, quæ fila hic ibi trajecta habent, ad cryſtalliſationem reponitur. Quo purius adhibetur Saccharum, eo albidiores & pulchriores ex eo naſcuntur cryſtalli, unde *Saccharum candiſatum cryſtallinum album*, vel *rubrum*, diverſæ ſpeciei, obtinetur.

*Uſus Sacchari eſt notiſſimus, & tam medicus, quam culinaris. Sunt, qui credunt, Saccharum mucaginem in ventriculo generare; quod tamen non fit ex Sacchari lentore, cum ſit ſal potius Eſſentiale reſolvens, & hoc reſpectu uſus ſaccharinorum in febribus intermittentibus, ex viſciditate & lentore humorum, & obſtructione ortis, non ſolum plane innoxius, ſed potius commendandus eſt, juxta nonnullos. Externe ulceribus ſordidis ſcopo mundificandi inſpergitur.*

Scammonium, Scammonea, *Scamonée*, purgirender Winden-Saft. Eſt ſuccus reſinoſus concretus, e radice *Convolvuli Syriaci*, *flore majori*, *Scammonea dicti*, vel *Convolvuli foliis ſagittatis poſtice truncatis*, *pedunculis ramoſis inflatis Linn.* per inciſionem prolectus, vel etiam expreſſus. Naſcitur planta in regionibus calidioribus, præſertim in Syria, circa Antiochiam, in Lesbo & Samo inſulis. Optimum cenſetur Scammonium Aleppenſe, & illi, quod e Smyrna venit, longe præfertur. Sit purum, leve, nitidum, ſplendidum, reſinoſum, friabile, madefactum lacteſcens, & linguæ admotum non vehementer acre & urens. *Purgans eſt catholicum, & bene operatur. Male quidem apud nonnullos audit Scammonium, & ſunt, qui illi vim draſticam, inflammatoriam, & quod cruciatus & tormina excitet, adſcribunt: Verum enim vero Scammonium, ſi caute adhibeatur, & non delicatulis, ſiccis, hecticis & debilitate ventriculi laborantibus propinetur, ſemper bonum edit effectum, præſertim, ſi per liquiritiæ decoctum, uti in poſteriori parte hujus Diſpenſatorii deſcribitur, correctum eſt, atque ſalibus permixtum in uſum vocatur. Doſis grana tria, ad duodecim.* Succis condenſatis & concretis ſubjungimus aliud concretum, terreo-acido-oleoſo-ſalinum, quod

Tartarus, *Tartre*, Weinſtein, vocatur, & Sal eſt Eſſentiale Vini, quo dolia, in quibus vinum aſſervatur, intus quaſi incruſtantur. Vel *ruber*, vel *albus* eſt; vina rubra rubrum, alba album Tartarum largiuntur. Optimus cenſetur albus, cui nullæ fæces adhærent, & qui cryſtallis albis in ſuperficie ornatus eſt. Hiſpanica, Hungarica & dulcia Gallica vina parum ſuppeditant; Rhenana, Moſellana & Franconica magnam, Neccarina haud ita largam deponunt quantitatem. Difficile, & non niſi in vigecuplo aquæ ferventis, ſolvitur. Crudus, ſi in uſum vocatur, aqua tepida prius ablui & iterum ſiccari debet. Sed ſi duabus & dimidiæ partibus Cremoris tartari addit Boracis, ſalis fere æque difficulter ſolubilis, mixtum habebis in aquæ triplo ſolubile. Sunt, qui

ita ablutum etiam cryſtallis præferunt, atque a drachma una ad duas exhibent. *Purgat primas vias, absque ulla moleſtia, incidit, atque reſolvit, ſummumque eſt corrigens bilioſorum & acrium humorum. Nullum, præter Tartarum, cognitum eſt corpus, quod plus aëris elaſtici, dum crematur vel deſtillatur, generet, & tantos vapores omnino incoërcibiles exhalet. Non ſolum ad uſus medicos & chemicos, ſed & varios mechanicos expetitur.*

Terra Japonica, Terra Catechu, *Cachou*, Japoniſche Erde. Ad vegetabile regnum pertinet, eſtque ſuccus condenſatus, ex variis vegetabilibus expreſſus; baſin ſuccus Acaciæ Orientalis conſtituit, vel ſecundum *C. B.* fructus ſeſſilis, Palmæ Arecciferæ, qui *Faufel* dicitur. Advehitur ex India Orientali, Pegu, Malabaria, Bengala & Zeilon. Eligenda reſinoſo-gummoſa, dura & purpureo nigricans, & quæ facile in aqua tepida ſolvitur, menſtruis tamen ſpirituoſis pariter auſcultat. *Adſtringit & in fluxionibus alvi & hæmorrhagiis nimiis adhibetur.*

## CAPUT XII.

# DE FUNGIS ET MUSCIS.

Agaricus albus, Agaricum, *Agaric*, Lerchen-Schwamm. Eſt excreſcentia fungoſa arboris *Laricis*, rotundo-anguloſa, inæqualis, pugni, non raro hepatis infantis magnitudine, ſubſtantia interna candida, friabili, externa corticoſa, calloſa, cinerea, ſubrufa, ſapore ſubdulci, mox amaricante & acri, parum adſtringente. Signa bonitatis ſunt: ut ſit fragilis, candidus, & ſplendens atque levis. Larix arbor juvenis Terebinthinam, quam Venetam vocant, fundit, ſeneſcens vero, loco Terebinthinæ, Agaricum progignit. In Galliæ Provinciis, Alpibus & montibus Tirolenſibus provenit. *Bilem, ſerum & pituitam educit, aſthmaticis & tuſſi laborantibus confert. Veteres adhibere ſolebant, dum a remotis locis materiam peccantem educere voluerunt. Etiam menſtrua ducit; unde & prægnantibus, monente* Rajo, *ejus uſus interdicitur. Crudus nunquam, niſi in infuſo, Trochiſcatus in pilulis datur. Doſis in infuſo drachmæ duæ vel tres. Adduntur pro ſtimulo* Sal gemmæ *vel* Cremor Tartari; *pro correctione* Zingiber *vel* Caryophylli.

Boletus cervinus, Fungus cervinus, Tubera cervina, Lycoperdon ſolidum Linn. *Boletus cervinus*, Hirſch-Brunſt. Eſt fungus inæqualis, rotundus, magnitudine juglandis nucis, aliquando minoris, ſub cortice coriaceo fuſco includens medullam pulverulentam, ex purpureo nigreſcentem ſubtiliſſimam, quæ exſiccata nullius eſt odoris. Naſcitur in ſilvis. *Recens habetur pro aphrodiſiaco, exſiccata interior pulverulenta ſubſtantia vero, vix operæ pretium præſtabit; ad tingenda Balſamorum corpora autem utilis eſt.* Sunt, qui *Fungum Phalloidem fœtidum*, penis imaginem referentem, & qui inſigni odore cæteros omnes antecellit, atque in ſilvis, menſe Junio & Julio, in locis umbroſis creſcit, pro cervino Boleto, qui e ſpermate cervi ortus ſit, falſe offerunt; qui tamen potius ad noxios fungos pertinet, & nullius uſus eſt in Medicina.

Boviſta chirurgorum, Fungus rotundus, orbicularis, pulverulentus, Crepitus lupi dictus, ſive ovatus, Lycoperdon ſubrotundum lacerato-dehiſcens, Linn. *Veſſe de Loup*, Boviſt. Vocatur etiam *Lycoperdon*, & ad fungos pertinet noxios. Eſt levis, & non raro magnitudi-

nem

nem pugni excedit, cortice tenui cinereo veſtitus, medulla, ſive interiori parte ſpongioſa & compreſſa, pulverem ſubtiliſſimum, fuſcum profundit. In paſcuis & pratis ſiccioribus naſcitur, atque copioſe circa pagum *Deinacum*, ob acidulas ibi ſcaturientes, celebrem, in ſilva occurrit. *Adſtringit & ſiccat, & abs Chirurgis vulgo ad hæmorrhagias ſiſtendas in uſum vocatur extremum.*

Fungus Salicis, *Eponge de Saule*, Weiden-Schwamm. Fungus pileatus, lamellatus, pileolo, dum recens, ſuperius flaveſcente, lamellis candicantibus, ſalici adnaſcitur. *In phthiſi, etiam conſummata & deplorata quaſi curanda; celebratur; bis de die, a drachma ſemis ad integram, ex ovo ſorbili, vel in pulvere, ſaccharo mixtus, commendatur; ab aliis vero ad noxios fungos refertur.*

Fungus Sambuci, membranaceus, Auriculam referens, Auricula Judæ, *Oreille de Judas, ou de Juif*, Coloris e cinereo nigricantis, in caudice Sambuci naſcens, Hollunder-Schwamm, Judas-Ohr. Fungis pernicioſis accenſetur; in aqua molleſcit, & illam mucilaginoſam reddit. *Adhibetur tanquam refrigerans in oculorum inflammationibus, in aqua roſarum maceratus; additur etiam nonnunquam gargariſmis, ad faucium inflammationem.*

Spongia Cynosbati, ſeu Fungus Bedeguar, *Eponge de Cynorrhodon*, Schlaf-Kunzen, Schlaf-Aepfel, Haagenbutten-Schwamm. Pila hirſuta, ſeu excreſcentia quædam ſpongioſa, hirſuta, quæ nonnullis *Fungus comoſus* vocatur, & in meditullio alveolos, inſecti ſobole repletos, habet, atque frutici *Roſæ ſilveſtris* adnaſcitur; coloris eſt rufi herbacei, odoris, dum recens, roſacei, magnitudinis nucis juglandis, ſæpe ad Mali mediocris accedentis. Ortum habet, ſicut Galla, ab inſectorum punctura, ovula deponentium, e quibus primo vermiculi, poſtea Nymphæ & tandem Muſcæ, colore ex aureo viridi coruſcantes, prodeunt. *Adſcribitur illi vis adſtringens, antinephritica, ſi in pulverem trita, a ſcrupulo uno ad duos, exhibeatur, & ab aniculis hypnotica, ſi pulvinari ſubdatur.*

Muſcus Acaciæ, *Mouſſe de Prunier ſauvage*, Schlehen-Mooß. Muſcus vocatur ſubſtantia illa exſucca, incana, tenuibus filis contexta, arida, villoſa, arboribus adultis adnaſcens, *Bryon* quoque dicta. *Muſcus, qui Acaciæ Germanicæ vel Pruno ſilveſtri adnaſcitur, adſtringit, & ad balnea & fotus adhibetur, in prolapſu uteri & ani, aliisve morbis, ubi adſtrictione opus eſt.*

Muſcus arboreus, quernus, *Mouſſe de Chêne*, Baum-Mooß, Eichen-Mooß. Eligendus albus ſive candidus, prolixus, qui barbæ inſtar e ramis Quercuum adultorum pendet. *Adſtringit, & inſigne eſt anodynum; hinc in tuſſi clangoſa, ferina, infuſum hujus Muſci laudatur. Ventriculum roborat, & fluxiones quascunque probibet.*

Muſcus corallinus, ſive marinus, inter Marina quærendus, ſub tit. Corallina.

Muſcus terreſtris, clavatus, Lycopodium, *Mouſſe terreſtre*, dictus, ſub Seminibus deſcriptus proſtat. *Adſcribitur plantæ huic vis ſingularis contra Plicam Polonicam. Virtutem habet traumaticam; ſcorbuticis, tuſſientibus, phthiſicis, hæmoptyicis, calculoſis & aſthmaticis medetur. Exhibetur in infuſo, cum aqua fontana, vel vino albo.*

# CLASSIS TERTIA.

# REGNUM ANIMALE.

## DE

## ANIMALIBUS ET EORUM PARTIBUS.

Ægagropilæ, Pilæ Damarum, Rupicaprarum, *Ægagropila*, *Bezoard d'Allemagne*, Gemſen-Kugeln. Ita vocantur, quia in primo, ſeu ſecundo ventriculo horum animalium inveniuntur. Raro ſunt rotundæ figuræ, frequentius oblongæ, pondere leviſſimæ. Duplici conſtant ſubſtantia, quarum interior e fibris radicum, aut filamentis & cauliculis concreta eſſe videtur; exterior cortex eſt quaſi coriaceus, mollis, interdum etiam lignoſus, rariſſime lapideſcens, coloris utplurimum cineritii, fuſci, ex luteo obſcuri, vel ex pallido virideſcentis. Magnitudinis ſunt variæ, quæ tamen pugni magnitudinem vix vel nunquam excedit. Non in omnibus Damis & Rupicapris pilæ hujusmodi reperiuntur; concretum enim ſunt præternaturale, quod de diſpoſitione animalis morboſa teſtatur. Per cohæſionem fibrarum cum ſucco plantarum, nondum perfecte reſoluto, ac muco ventriculi, ſucceſſive formari, vero eſt ſimillimum. Ex Helvetia & Tirolenſibus Alpibus, quas Rupicapræ incolunt, ad nos portantur. Sunt, qui ex fibris herbarum & radicum, additis pilis, ejusmodi Pilas efformare ſtudent, atque emtores decipiunt, quæ tamen fraus ab exercitato facile detegitur. Eligantur pilæ non adeo magnæ, leves & tamen ſolidæ, non ex pilis, ſed potius e fungoſa, fibroſa & foliacea ſubſtantia concretæ. *Adſcribitur vis antepileptica, cephalica, alexiterica, & Bezoar Germanicum appellantur; prodeſſe creduntur in morbis malignis, partu difficili, atque arthriticis commendantur. Sed noſtris temporibus uſus earum exoluit.*

Album Græcum, Stercus caninum album, *Crotte de Chien*, weiſſer Enzian. Sunt excrementa alvina canis, oſſibus nutriti, alba, non fœtentia. *Siccat & abſtergit, diſcutit & aperit. Utiliter interne in Colico dolore & dyſenteria, externe ad anginam & ulcera maligna exhibetur.*

Alcis Cornu, *Corne d'Elan*, Elends-Horn.

Alcis Ungulæ, *Ongle d'Elan*, Elends-Klauen.

Alces eſt animal gregarium, biſulcum, cornibus palmatis, in hoc genere maximum; mutat cornua, ſicut cervus. *Tam Cornu, quam Ungula, præſertim vero hæc, pro infallibili Antepileptico habetur, & vix ullus proſtat antepilepticus pulvis, cui non admixta eſt Ungula Alcis. Incenditur etiam & naribus admovetur, ad arcendos inſultus epilepticos. Cornu cum Cornu Cervi convenit, cum quo easdem virtutes habere a ſanioribus creditur.*

Apri

Apri Dentes, *Dents de Sanglier*, wilde Schweins-Zähne. Aper ad porcinum genus pertinet, non ruminat, & biſulcus eſt. Reliqua ſunt notiſſima. *Dentes ſpecifice in pleuritide vulgo commendantur. Vide Præparata.*

Aſelli, ſive Millepedes, Millepedæ, Centipedes, *Cloportes*, Mauer-Eſel, Keller-Eſel. Sunt inſecta terreſtria, non alata, exſanguia; adſcribuntur a nonnullis viviparis, ab aliis oviparis; gaudent quatuordecim pedibus, utrimque ſeptem, latera peripheriæ corporis ſerræ modo ſunt dentata, cutim habent quaſi ſquamoſam, e novem articulis inæqualibus conſtantem, quibus ſeſe contrahere & complicare in orbem piluliformem poſſunt; inſtructa præterea ſunt antennis prominentibus; degunt in cellis, aliisque locis uliginoſis, in rimis parietum, & tepido vivunt humore. *Vires poſſident ſpecificas in viſciditate tartarea reſolvenda, in obſtructionibus viſcerum aperiendis, adeoque in morbo regio, dolore nephritico, aſthmate, & difficultate urinæ adhibentur.*

Bezoar Occidentalis, *Bezoard Occidental*, Occidentaliſcher Bezoar. Eſt concretum lapideum in *Capricervæ occidentalis*, *Cuguacu*, ventriculo natum. Orientali eſt fragilior, & laxior, minus levis, e multis ſibi invicem impoſitis lamellis, multo craſſioribus, coloris & magnitudinis varii, modo nigri, modo cinerei, modo virideſcentis. In meditullio plerumque reperiuntur vel paleæ, vel pili. Lapides hi Bezoardici non in omnibus reperiuntur Capricervarum ventriculis, ſed, ſicut de Ægagropilis notavimus, præternaturalia & morboſa concreta eſſe videntur. Proprium hoc habet India occidentalis, quod vix reperiatur animal, in quo non tales lapides inveniantur, qui omnes, ſub nomine Bezoar occidentalis, adferuntur, & ideo differentis figuræ & coloris ſunt, atque tam vili pretio, reſpectu orientalium, venduntur. *Adſcribitur illis vis alexipharmaca, ſudorifera, antepileptica, cordialis, abſorbens, acrimoniam temperans, & urinam movens. Sed experimenta prudenter inſtituta adhuc deſiderantur.*

Bezoar Orientalis, *Bezoard Oriental*, Orientaliſcher Bezoar. In Capricervæ orientalis, *Gazellæ indicæ, cornibus rectis, longiſſimis, nigris, prope caput tantum annulatis*, ventriculo reperitur. Patria hujus lapidis eſt Perſidis provincia *Laar*, aliæque. Animal pilis brevibus e cinereo rufis veſtitur, magnitudinem Capræ domeſticæ, ejusdemque caput barbatum obtinet; cornua fœminæ ſunt vel nulla, vel exigua; Hircus longiora & liberalius extenſa gerit, annuli in cornibus annos ætatis animalis referunt; timidiſſimum & fugitivum eſt animal, atque aſperrimos montes inhabitat; non autem in omnibus regionibus, quas inhabitat, lapides in hisce gignuntur animalibus. Lapidem Bezoar ferre judicantur annoſa, valde macilenta, quæ circumſpectius incedunt, & inſidias magis, quam ſodales, metuunt. Locus, in quo lapis invenitur, eſt Pylorus, ſive productio quarti, quem vocant, Ventriculi fundus, ad cujus latus plica quædam, ſive ſcrobiculus, mucoſo humore oblitus, lapillum ſuggerit. Lapides hos, vivente animali, nondum habere eandem duritiem, ſed molliores & friabiles eſſe, perhibent; propterea recens exſecti ne improvide frangantur, vel attacti nitorem perdant, ab inventore ore excipi, & aliquamdiu foveri, donec induruerint, mox Goſſypio involvi & aſſervari ſolent. Notæ bonitatis ſunt, quod la-

mellatim ſint concreti, quod cavitas interna eorum non plane vacua, quod in aquam injecti ejus limpiditatem non turbent, nec pondere vel diminuantur, vel augeantur, quod chartæ, creta vel calce, oblitæ, affricti, lineam ducant ex luteo viridem; falſum vero eſt, quod legitimi exinde cognoſcantur, quando candens acus intrudi poſſit, adulterini enim, ex materia reſinoſa compoſiti, acum etiam admittunt, legitimi vero plerique ita indurati ſunt, ut acum candentem reſpuant; nec etiam nota eſt factitii lapidis, ſi interiores laminæ deterioris ſubſtantiæ & coloris ſunt; ea enim disparitas ex diverſitate alimenti provenit, dum genitrix beſtia locum paſtus mutat. Pro genuinis porro lapidibus orientalibus illi habentur, qui inter reſinæ & lapidis ſubſtantiam ambigunt, contuſi in Spiritu Nitri vel Salis diſſolvuntur, ac Menſtruum ſatis rubente colore imbuunt. *Bezoar ut alexipharmacum, abſorbens acidum, & humores reſolvens a nonnullis adhucdum prædicatur, atque ad multas maximam partem exoletas compoſitiones Pulverum Bezoardicorum requiritur.*

Bezoar ſive Lapis Coromandel, *Bezoard de Coromandel.* A regione, unde advehitur, ita dictus. Variæ hi lapides ſunt magnitudinis & coloris diverſi. Alii enim dilute virides ſunt, alii magis ad fuſcum colorem vergentes, alii dilute flaveſcunt, alii ex modo dictis coloribus ſunt variegati. Colorem facile attritu chartæ communicant. Intuitu molis ſunt leves, ſubſtantia fiſſiles atque friabiles. In centro uti plerique lapides hujus originis, ſtraminum, foliorum aut pilorum particulas inter ſe convolutas exhibent. Igni admoti flammam concipiunt, & odorem haud ingratum ſpargunt. Sunt, qui factitios hos lapides, autumant; Certum vero eſt, in ventriculis & inteſtinis Bubalorum inveniri, atque genuinas eſſe concretiones in modo dictis animalibus ortas. Beſtiæ hæ in Orientalibus Indiis admodum ſunt frequentes, atque loco boum & equorum ad agriculturam adhibentur. Vagantur per ſylvas, foliisque arborum gummoſo-reſinoſarum veſcuntur, quæ procul dubio ab ipſorum ſtomacho difficulter ſoluta coagulum hoc formant, quod appoſitione novæ lamellæ ſenſim augeſcit, & in calculi mollioris foliacei ſubſtantiam abit. Copioſe ſæpius inveniuntur, & vel a beſtia cum excrementis ejiciuntur hi lapides, vel mole & numero graves hoſpitem interficiunt. *Vires hujus concreti habentur bezoardicæ ac ſudoriferæ, & in febribus malignis commendatur. Doſis ſcrupulus unus & ultra.*

Bovis ſive Tauri Fel inſpiſſatum, *Fiel de Boeuf épaiſſi*, eingetrocknete Ochſen-Galle. Lento igne ad Extracti conſiſtentiam evaporatur & ſervatur. *Plerumque ad unguenta & emplaſtra contra vermes adhibetur; interne ſumtum alvum movet, & vermes enecat. Bilem animalium in genere magnopere deprædicat in corrigendo glutinoſo ſpontaneo* L. B. van Swieten.

Bufones exſiccati, Rubetæ terreſtres majores, *Crapaux ſecs*, gedörrte Kröten. Animal hoc omnibus eſt notiſſimum. A veneno Bufonis oritur tumor, pallor, ad buxeum colorem inclinans, reſpiratio difficilis, anheloſa, oris halitus gravis, vertigo repentina, ſyncope, convulſiones, interrupta labia, linguaque nigricans & balbutiens, obtutus torvus, vomitus effrænis, ſudor frigidus, tandem mors. *Antidota hujus veneni habentur vomitus ex hydrelæo, theriaca, mithridatium, lac præſertim humanum. Haſta*

vel

*vel palo perfoſſus ſiccatur in aëre; uritur in olla, & pulverem vel cinerem contra hydropem ſummis efferunt laudibus; urinam enim potenter movere fertur. Recentiorum conſenſu præpoſtere in medicinam vocatur.*

Cancrorum Chelæ, ſeu Ungulæ, *Pattes des Ecreviſſes de Mer*, Meerkrebs-Scheeren. Sunt denticulatæ Cancrorum marinorum forcipes. *Adſcribitur illis vis alexipharmaca, antifebrilis, nephritica & abſorbens. Ad Pulverem requiruntur bezoardicum Anglicum.*

Cancrorum oculi, Lapides, Lapilli, *Yeux d'Ecreviſſes*, Krebs-Augen, Krebs-Steine. Sunt lapilli cruſtacei, duri, albi, orbiculati, piſorum & lentium, non raro fabarum magnitudinis, una parte compreſſi & ſinuati, acetabuli in modum, altera convexi, ſaporis terrei, ex Aſtacis fluviatilibus collecti. Obſervationes de lapillorum horum ortu ſunt ſequentes: Aſtaci quotannis ægrotant, accidit hoc maribus circa medium menſis Julio, fœmellis menſe Julio, ante teſtarum exuvium; vigente hoc morbo, per dies novem & amplius, velut ſemiexanimes ac immoti ſunt; hoc interim ſpatio ſtomacho illorum obducitur membranula nova, inter quam & ſtomachum veterem, ex utroque latere, colligitur liquor quidam lacteus, qui ſenſim in lapideam obdureſcens ſubſtantiam, ſuperficiem convexam, illa vero parte, qua ventriculum attingit obducitque, concavitatem exhibet; vetus autem ſeu interior ventriculus abit in mucilaginem, & Aſtaco nutrimentum præbet; membranula vero, in qua liquor iſte lacteus collectus fuit, ventriculum novum conſtituit, qui in veteris locum ſuccedit; liquor lacteus partim coagulatur & abit in ſubſtantiam lapideam, quam Lapides vel Oculos Cancrorum vocamus, partim vero in nutrimentum animalis cedit; tandem ipſi lapilli reſolvuntur, & cibi loco conſumuntur; nihil enim interea, quam diu hi lapilli ad ſtomachum hærent, Aſtacus edit, nec quicquam in ejus ventriculo reperitur, vivitque viginti ſeptem circiter dies, tam ex veteri ſtomacho ſuo, ſenſim abſumto, quam ex lapidibus poſtea reſolutis. Oculi ſeu lapides cancrorum e vivis deſumti ad cœruleum vergunt colorem, e coctis vero albeſcunt. Tanta proſtat horum lapidum quantitas, ut vix credibile videatur, omnes eſſe genuinos. E Polonia, Boruſſia, Beſſarabia & Ucrainia maxima pars adfertur, ubi cancrorum tanta eſt copia, ut ſues illis ſaginari poſſint. Modus colligendi hic eſt: Cancri vivi contunduntur in Magma, quod aqua diluitur, ſic lapides fundum petunt, qui ſiccati ſervantur. Adulterari ſolent vel ex cretra, vel terra alba confectis, qui tamen facile a genuinis, qui e lamellis ſibi ſuperincumbentibus vel ſtriis compoſiti ſunt, dignoſcuntur. Affuſa calida fraudem optime detegit. *Reſolvunt, abſtergunt, abſorbent, urinam & ſudorem movent. Uſus eſt frequentiſſimus in pulveribus. Supra porphyritem in inpalpabilem pulverem redacti, non ſemper tuti, cum glutinoſis enim in maſſas difficulter reſolubiles abeunt.*

Cantharides, Muſcæ Hiſpanicæ, *Cantharides*, Spaniſche Fliegen. Sunt inſecta alata, oblonga, pedata, vaginipennia, coloris lucentis aurei & viridis, ſaporis acris, picei, cauſtici, erodentis, odoris, cum recentia, fœtidiſſimi. Inveniuntur in regionibus calidioribus, Hiſpania, in Gallia in agro Pariſienſi; occurrunt etiam in Germania, & fere tota Europa. Amant,

præ cæteris, Fraxinum, Liguſtrum & Populum albam; reperiuntur tamen etiam ſuper aliis plantis. Cantharides noſtræ quidem recentes eundem edunt effectum, ac e regionibus calidioribus allatæ; virtus vero earum brevi perit. Extant diverſæ magnitudinis; præferuntur vero minores, integræ recentes, non pulverulentæ. *Vim habent cauſticam, quæ in ſale acri conſiſtit, potenter urinam cient, venerem ſtimulant, & pro ſpecifico in hydrophobia habentur. Hungari cantharides in aceto conſervare, & tam hominibus, quam equis & vaccis &c. a canibus rabioſis demorſis, exhibere ſolent. Suſpectus vero atque noxius eſt earum internus uſus; igitur nunquam, niſi ſumma neceſſitate, exhiberi debent, incipiendo a doſi minori, grano dimidio ſcilicet, & ſi cum levamine ægroti, ad granum integrum vel duo aſcendere licet. Frequentiſſimus eſt uſus in veſicatoriis. Ardorem urinæ & mictum cruentum a Cantharidibus excitatum, lac, emulſiones, & oleum amygdalarum dulcium, vel ſeminis lini, mitigat.*

Carpionum Lapides, *Pierres des Carpes*, Karpfen-Stein. Sunt oſſicula triangularia cartilagine obducta, in acetabulo, quo ſpina dorſi capiti conjungitur, poſita. E Carpionibus ſive Cyprinis colliguntur. *Pleuriticis, colicis doloribus vexatis, calculoſis & epilepticis commendantur.*

Caſtoreum, *Caſtorée, ou Caſtoréum*, Bibergail. Folliculi ſunt duo, qui tam in maribus, quam in fœminis Caſtoris Animalis, utrinque in inguinibus ſtatim ſub cute, Ovorum gallinaceorum magnitudine, & ſæpius majores, reperiuntur, qui liquorem oleoſum, vivente Animali, fundunt; exſiccati vero, cum contentis, Caſtoreum exhibent. Caſtor animal eſt amphibium, quadrupes, & magnitudinem felis ſuperat, pedes anteriores ſunt canum inſtar, quibus terram fodit, poſteriores anſerum pedibus conſimiles, quibus inter natandum potiſſimum utitur; caput non admodum diſſimile eſt Muris montani, cauda non tam piſcis caudam, quam piſcem integrum refert, plano-compreſſa eſt, & pilis in totum nudata, quatuor circiter digitos lata, cineritii coloris, multis rugis & anfractibus, gyrisque inſtructa, excavata quaſi. Caſtores quidem ſemper ad ripas fluviorum ſpecus ſuos ædificare ſolent, & in Germania quoque nonnunquam, frequentius in Moſcovia & Polonia occurrunt, plurimi vero in Canada capiuntur. Probatur Caſtoreum, quod ex Ruſſia advehitur, ponderoſum, carnoſum, colore fuſcum, ſaporis acris, odoris gravis. *Calefacit, attenuat, aperit, flatus diſcutit, nervos roborat, venenis reſiſtit, anodinum, uterinum eſt, menſes promovet. Doſis grana quatuor ad decem.*

Cervi Cornu, *Corne de Cerf*, Hirſch-Horn. Cervus animal omnibus cognitum, & cornibus quotannis deciduis, ſolidis, ramoſis, ab aliis ruminantibus cornigeris facile diſtinguitur. *Adſcribuntur cornu crudo vires bezoardicæ; hinc in variolis, morbillis, aliisve morbis malignis, commendatur; Gelatina phthiſicis & tabe conſumtis præſcribi ſolet. In Officinis proſtat Cornu Cervi philoſophice præparatum, Cornu Cervi uſtum & raſpatum.*

Cervi Priapus, *Priape de Cerf*, Hirſch-Ruthe. *Penis Cervi commendatur adverſus venenatos morbos, pleuritidem, colicam & diarrhœam; pellit urinam & calculum, atque contra mictum cruentum ac ad venerem ſtimu-*

*ſtimulandam celebratur. Uſus eſt in pulveribus & electuariis; ſed noſtris temporibus obſoletus.*

Ceti Priapus, *Priape de Baleine*, Wallfiſch-Ruthe. Incredibilis magnitudinis, tres & plures ulnas longus nonnunquam invenitur; ſubſtantia eſt carnoſa, ſemipellucida, quaſi cornea, odoris non ingrati, ſaporis carnulenti. *Credunt Venerem excitare; vim ſuam vero magis abſtringendo, exſerit; hinc in diarrhœa & fluxionibus ſanguinis adhiberi poteſt. Uſus eſt in pulveribus vel electuariis. Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.*

Ceti Sperma, *Sperme ou Blanc de Baleine*, Wallrath. Eſt pinguedinoſa, alba, ſquamoſa, tenera, mollis, quaſi ex parvis furfuraceis ſquamulis compoſita ſubſtantia, ſaporis oleoſi, odoris unctuoſi. Veteres perſuaſi fuere, ſubſtantiam hanc, quam ſperma Ceti vocamus, revera eſſe ſemen, ſive Ceti ſperma; hodie vero edocti ſumus, eam potius eſſe pinguedinoſam materiam, cerebro circumfuſam, & ipſiſſimum pingue cerebrum Balænæ, ſive *Ceti dentati*, quæ *Orca*, *Byoris*, vel *Cachelot*, *Phyſeter macrocephalus dorſo impenni*, *fiſtula in cervice*, Potfiſch, Nord-Caper, vocatur. Intra horum piſcium crania, imo per totam carneam ſubſtantiam piſcis tanta hujus materiæ quantitas invenitur, ut ex unico aliquot tonnæ repleri poſſint. Materia hæc, poſtquam ab oleoſa ſubſtantia, transcolatione per ſaccum laneum eſt ſeparata, maceratur in lixivio, ex Calce viva & cineribus facto, & manibus probe ſubacta per viginti quatuor horas relinquitur. Altero mane per ſaccum piloſum lixivium exprimitur, & ſeparatur, quodque reſtitit, aqua pura abluitur, ſuper linteum explicatur, & digitis diducitur ac exſiccatur; ſi non ſatis album deprehendatur, denuo cum lixivio ſubigitur, atque præſcripto modo tractatur. Eligendum eſt Sperma Ceti probe candidum, pingue, recens, non flavum, nec rancidum. *Reſolvit, demulcet, anodinum & coſmeticum eſt. Cum vitello ovi & melius adhuc cum Gummi Arabico ſubactum, commodiſſimè propinatur.*

Coccinilla, Cochinilla, *Cochenille*, Coccinell, Kuzenell. Inſectum eſt, quod in Ficus Indicæ, *Tunæ* dictæ, ſurculis colligitur. Initio velut veſica quædam exigua apparet in ſurculis modo dictæ Opuntiæ, ſive Ficus Indicæ, quæ poſtmodum calore ſolis in vermiculum Anthermitem evadit, qui proceſſu temporis in inſectum Scarabæiforme parvum, quod *Scarabæus nigricans alarum alias rubicundus limbis*, a *Meriana* in *Deſcript. inſectorum Surinam.* appellatur, abit. Hæc inſecta, cum jam debitam maturitatem adepta ſunt, fumo denſo ex materia aliqua combuſtili, ex ea parte, unde ventus in frutices, quos inſecta depaſcuntur, ſpirat, ſita, excitato, ſubſtratis prius ſub fruticibus linteis, enecantur. Ita fumo ſuffocata, levi fruticum concuſſione, in lintea decidunt, adeoque magna copia, parvo vel nullo fere negotio, colliguntur; deinde ſuper lintea expanſa, in arenoſo quodam aprico loco, ſolis calori exponuntur, donec corpuſculis contractis, exſiccentur, quæ manibus leniter confricata, alis & pedibus decedentibus, in grana abeunt. Ex nova Hiſpania & Mexico advehitur. Eligatur integra, granulata, quæ albicet externe, trita vero purpurea, ponderoſa ſit. *Adſcribuntur Coccinillæ vires cardiacæ, ſudoriferæ, alexipharmacæ & antifebriles, atque in febribus malignis* (neſcimus, quo jure) *laudatur. Diuretica eſt, & ob vim, quam*

*cum millepedibus, & hujusmodi insectis communem habet, leniter stimulantem, commendatur. Alias vero usibus mechanicis tinctoriis plurimum inservit.*

Cochlearum Opercula, Folia, *Couvercles d'Escargots*, Schnecken-Deckelein. Sunt Cochlearum Domiportarum sive edulium opercula, quibus ante hyemem domunculas claudere solent. *Virtutibus cum lapidibus cancrorum conveniunt; abluta & in pulverem trita pro Specifico diuretico habentur, & hydropicis commendantur.*

Cochlearum testæ, *Coquilles d'Escargots*, Schnecken-Häußlein. Earundem Cochlearum edulium sunt domunculæ, & eadem pollent virtute. *Præferuntur, absque prævia calcinatione, in pulverem tritæ calcinatis. Dosis drachma semis.*

Cranium humanum, *Crane humain*, Menschen-Hirnschale. Nunquam crudum, sed præparatum in usum vocatur. Non sit hominis morbo, sed sani, & violenta morte perempti.

Ebur, *Yvoir*, Helfenbein. Sunt dentes e maxilla superiore Elephantum, e basi ampliori cava in cuspidem desinentes solidissimam, inflexi, diversæ magnitudinis, longitudinis & crassitiei, pro ætate ipsius belluæ, exterius coloris fusci, intus albicantis. Ex India Orientali & Africa advehitur Ebur. *Refrigerat, & moderate adstringit. In usum vocatur tam Rasura, quam Ebur præparatum.*

Equi testes, *Testicules de Cheval*, Pferd-Geylen. Testes sive testiculi equorum in castratione exsecti, dissecti, vino loti, & exsiccati in clibano. *Commendantur, tanquam præsentissimum remedium, ad fœtum mortuum & secundinas pellendas, & ad colicos dolores sedandos. Exhibentur plerumque in pulvere. Dosis scrupulus unus, ad scrupulos duos.*

Erinaceus combustus, *Herisson calciné*, gebrannter Igel. Erinaceus quadrupes est animal, terrestre, cuniculi magnitudine, proboscide porcina, aculeis undique armatum, uti Hystrix, præterquam in ima parte. Degit hiberno tempore in cavernis, in globum se volvit, cum de fuga desperat; ita in globum convolutus, atque in aquam calidam immissus, qua delectatur, se evolvit ac dilatat, ut pedibus apprehendi, & sic suspendio enecari possit. Enectus in olla, operculo leviter tecta, comburitur. *Cachecticis, ictericis, & hydropicis, specifice vero ad mictum involuntarium, seu incontinentiam urinæ, commendatur. Dosis scrupulus unus ad drachmam dimidiam.*

Gallinæ ventriculi tunicæ interiores, *Gysieres*, Hüner-Magen-Häutlein. Non solum Gallinarum, sed & Gallorum & Caponum tunicæ membranosæ, ventriculos interne vestientes, lotæ & siccatæ promiscue in usum vocantur. *Commendantur tam adstringendi & corroborandi ventriculum & intestina, tum & calculum & sabulum pellendi fine.*

Hippopotami, Equi Marini, Dentes, *Dents d'Hippopotame, ou de Cheval marin*, Wallroß, See-Pferds-Zähne. Animal Hippopotamus

mus eſt amphibium magnum, auriculis caret, & duobus dentibus magnis, prominentibus, recurvis, præditum eſt. In baſi concavi ſunt dentes, verſus apicem ſolidi, albidiores, duriores & ponderoſiores Ebore, nec tam facile flaveſcunt. *Laudantur qua antepileptici, antiſpaſmodici, antipleuritici, & ſanguinem, nec non fluxiones alvi ſiſtentes. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

Hirci ſanguis exſiccatus, *Sang de Bouc ſec*, Bocks-Blut. Hirci herbis vulnerariis per tempus paſti, atque poſtea mactati ſanguinem excipere, & in clibano ſiccare jubent. *Commendatur ad ſanguinem concretum reſolvendum, nec non calculoſis & dyſentericis convenire credunt.*

Hirundines combuſtæ, *Hirondelles calcinées*, gebrannte Schwalben. Hirundo avicula, cauda longa, forcipata, vel bifida, Hauß-Schwalben, Gabel-Schwalben, omnibus nota. Hirundinum pulli adulti integri, in olla operculo tecta, in pulverem vel cinerem nigrum comburuntur. *Adſcribitur his cineribus vis ſpecifica antepileptica, & in angina & tonſillarum inflammatione cum melle adhibentur.*

Hirundinum nidi, *Nids d'Hirondelles*, Schwalben-Neſter. Colligendi ſunt, vel, cum pulli adhuc nido inſident, vel poſtquam adoleverint. *Non tam in nido, quam excrementis Hirundinum vis conſiſtit reſolvendi & diſcutiendi. Adhibentur in cataplaſmatibus ad Anginam.*

Ichthyocolla, Colla piſcium, *Colle de Poiſſon*, Hauſen-Blaſen, Fiſch-Leim. Paratur e cute, inteſtinis, ventriculo, veſica, pinnis & cauda *Huſonis* piſcis. Dictæ partes minutim inciduntur, ſectæ vel inciſæ macerantur in aqua calida, poſtea coquuntur lento igne, ad pultis conſiſtentiam, malaxantur, & antequam maſſa refrixerit, in pelliculas diducuntur, quæ deinde in ſpiras coactæ penitus exſiccantur. Maxima pars advehitur ex Moſcovia, & optima cenſetur alba, ponderoſa, ſolida, & facile ac tota diſſolubilis. *Uſus Ichthyocollæ eſt rarus in Medicina; ad inviſcandos tamen tenues & acres humores commendabilis; a coquis ad gelatinas parandas adhiberi ſolet; frequentiſſimus ejus eſt uſus ad clarificanda vina, & conglutinandas varias res.*

Lepus combuſtus, *Lievre calciné*, gebrannter Haaſe. Animal notiſſimum totum medicinale; non ſolum enim ejus viſcera & plurimæ partes, ſed totus in uſum veniunt. Lepus junior totus, vel in fruſtra diſſectus, in olla operculo tecta, comburitur, & in pulverem tritus aſſervatur. *Præſtantiſſimum creditur oſſe remedium in calculo, ad ſcrupulum unum vel duos exhibitum.*

Leporum tali, *Talons de Lievre*, Haaſen-Sprünge. Talus, ſive Aſtragalus eſt primum os inter oſſa Tarſi Leporis, in ſuffragine poſteriore, ſuperius per ginglymum tibiæ conjungitur, ex altera vero parte capitulo rotundo donatur. Oſſiculum eſt ſatis ſolidum. *Commendatur ad epilepſiam, pleuritidem, colicos dolores, & ad facilitandum partum.*

Lucii piſcis mandibulæ, *Machoires de Brochet*, Hechts-Kieffer.

Lucius eſt piſcis fluviatilis, non aculeatus, unica pinna in dorſo donatus, dentibus acutis præditus. In uſum veniunt præcipue Mandibulæ, ſive Maxillæ inferiores. *Dantur in pleuritide ceu ſpecificum. In calculo & fluore albo pariter conferre paſſim creduntur.*

Lumbrici terreſtres, *Vers de terre ſecs*, getrocknete Regen-Würmer. Lumbrici animalcula ſunt apoda, longa, pennæ anſerinæ plerumque craſſitie, mollia, carnoſa & annulata, dilute ſanguinei coloris. Capiuntur per æſtatem, &, mundati atque vino extincti, mox in clibano calore lento exſiccantur. *Sunt virtutis anodinæ, diureticæ, antiſpaſmodicæ, diaphoreticæ; diſcutiunt, reſolvunt, podagricis conveniunt, & ſpecifice in arthritide ſcorbutica laudantur. Doſis ſcrupulus unus, ad grana triginta.*

Lupi epar, *Foye de Loup*, Wolfs-Leber. Lupus beſtia ferociſſima, cani perſimilis, diverſas partes pro Medicina exhibet, præcipue vero hepar in uſum vocatur, quod, vino & abſinthio parum coctum & exſiccatum, in uſum venit. *Hydropicis, arthriticis & atrophicis commendatur; ſunt, qui ad hydrophobiam laudant.*

Manati lapis, Auris Ceti, *Pierre de Vache marine*, Seekuhe-Stein. Manati nonnullis *Vacca marina* dicitur. Amphibium eſt magnum, bipes, auriculis carens, phytivorum. Lapis Manati eſt os cruſtaceum, album, Ebori fere ſimile, circa aurem beſtiæ ſitum, petroſum. *Summe commendatur ad renum & veſicæ calculos, & dolores colicos ſedandos; cum dentibus Hippopotami convenit & adſtringit. Sunt, qui etiam vim, vomitus ciendi, adſcribunt, quod tamen experientia non comprobatum eſt. Datur a ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum.*

Moſchus, *Muſc*, Biſam. Subſtantia hæc granuloſa, pinguis ac unctuoſa, ſanguini congrumato fere ſimilis, coloris ferruginei, ſaporis ſubacris, amaricantis, odoris fragrantiſſimi eſt. Animal Moſchiferum neque e caprino, neque cervino genere eſſe videtur; cutis eſt variegata, caput lupinum, ex ore duo deorſum exporriguntur dentes, & infra umbilicum folliculo quodam inſtructum eſt, qui extus piloſus, magnitudine ovum gallinaceum adæquat, & in ſua cavitate Nuciſtam continere valet, interiore vero ſuperficie adhuc ſpecialem habet pelliculam, Moſchum cingentem, in qua præter vaſa ſanguifera, circa meatus moſchiferi orificium, complures glandulas, procul dubio ad Moſchi ſecretionem facientes, invenire licet. Reperitur autem hoc animal *Dorcas* caprea vocatum, in Tartaria, China & India, & occiſis animalibus, folliculi moſchiferi exſcinduntur. Optimus Moſchus cenſetur, qui e ferrugineo nigricantis coloris, unctuoſus, ſaporis grati, amaricantis, odoris fragrantis, laminæ impoſitus ignitæ fere totus evaporat; verum, ſi carbonis ad inſtar multum remaneat, adulteratus eſt. *Moſchus ab Anglo quodam, nomine* Cobb, *commendatur contra hydrophobiam, ſive rabiem caninam. Exhiberi debet ad grana 16. usque, pro una doſi, cum æquali pondere Cinnabaris, in vehiculo ſpirituoſo. Doſis modo dicta, ſcopo præſervativo, ſingulis menſibus ſaltim dari debet. Ubi autem ſymptomata rabiei ſe jam produnt, ſecundam doſin, trium horarum ſpatio, poſt priorem, exhibendam eſſe*, James *in* Lexico medico *ſcribit, additque, plerumque duas doſes hujus remedii ſufficere*

*pro*

*pro curatione mali. Cæterum Moſchus calefacit, attenuat, diſcutit; cardiaca, alexipharmaca & aphrodiſiaca pollet virtute. Mulieres autem raro odorem perferre queunt; caute igitur in præſcriptione procedendum. Plurimus uſus eſt ad Odoramenta.*

Mumiæ, *Momies ou Mumies d'Egypte*, **Mumien.** Sunt cadavera humana, Aloë, Myrrha & Aſphalto, aliisque aromaticis & balſamicis ſpeciebus condita, & exſiccata. Raro integra cadavera, ſed in partes diviſa, advehuntur, & in ſubſtantia fuſca, ad nigredinem inclinante, ſaporis amari, odoris fragrantis, venduntur. Ex Ægypto adportatur, atque, quo fragrantior & ſplendidior eſt, eo melior habetur. *Laudantur ejus virtutes traumaticæ; frequentius tamen a veterinariis expetitur, & magis in emplaſtris, quam interne dari ſolet.*

Mumia Perſica nativa, *Momie ou Mumie naturelle de Perſe*, **natürliche Perſianiſche Mumie.** Mentionem hujus facimus hoc loco nominis cauſa; pertinet enim ad Regnum Minerale, & eſt bitumen valde pretioſum, in caverna quadam, ſub radice montis Caucaſi, e rupe exſudans, *cui miras adſcribunt in conſolidandis oſſibus & vulneribus virtutes.* Coloris eſt nigri, odoris grati, & ex parte balſamici, ſaporis parum dulcis. Raro vel nunquam apud nos occurrit, niſi Ambram nigram pro Mumia Perſica ſumere velimus.

Mures marini, *Souris marines*, **See-Mäuſe.** Non ſunt mures, ſed duplicatæ & intus cavæ, e nigro fuſcæ pelliculæ, latitudine circiter unius ac dimidii pollicis, glabræ, ſtriatæ, & quadrangulæ, inſtar pulvinaris; in quatuor angulis oblongos anguſtosque apices habent. In Seelandia & Hollandia potiſſimum inveniuntur, & ob figuram muris compreſſi, quam exhibent, ita a vulgo vocantur. Ova vero ſunt *Rajæ piſcis*, atque in iſtis, tanquam ovis membranaceis, juniores Rajæ naſcuntur, interdum adhuc in illis reperiundæ, quæ, ſi per anteriorem aperturam exierunt, a mari ad littus projiciuntur. *Ad hæmorrhoides cæcas dolentes in uſum vocantur, atque locus dolens his pelliculis fumigatur.*

Muſtelæ piſcis ſpinæ dorſi, ſive vertebræ, *Arêtes de Murene*, **Aalruppen-Gräten.** Piſcis eſt Muſtela anguilliformis, fluviatilis, ſquamis carens. *Spina dorſi exſiccata, atque in pulverem trita, ad epilepſiam ſeu caducum morbum commendatur.*

Oſſa de cordibus cervi, *Os de cœur de cerf*, **Hirſch-Creutz, Hirſch-Hertz-Bein.** Sunt oſſicula fere cruciformia, ex Aortæ fibris oſſificatis & induratis orta. In cervis non ſolum annoſis, ſed etiam bobus, reperiuntur. Eligenda ſunt candida, non nimis magna & alba; alias bovina ſe magis eſſe produnt. *Habentur cordialia, antepileptica, & alexipharmaca.*

Oſſa Sepiæ, *Os de Seiche*, **Fiſch-Bein, Black- oder Kuttelfiſch-Bein.** Candida, teſtacea, & levis eſt ſubſtantia, ſupina parte duriuſcula, corticoſa, lævis & glabra, inferna fungoſa, mollis, leviter aſpera, & friabilis,

bilis, nata in dorſo Sepiæ piſcis. Capitur piſcis in Oceano, Mediterraneo mari, aliisve locis littoralibus, & in eſcam cedit. Oſſa eligantur alba, levia, integra, mediocriter magna & craſſa; friabilis, fungoſa vero ejus ſubſtantia interior ſaltem vocatur in uſum. *Exſiccant, abſtergunt, urinam movent, in gonorrhœa conferunt, & Septicum leniſſimum præbent. Ad dentifricia quoque expetuntur.*

Ovorum teſtæ, *Coques des Oeufs*, Eyer-Schaalen. Quamvis teſtæ omnium ovorum viribus ſint eædem, tamen in uſum medicum vocantur potiſſimum gallinaceorum teſtæ, & cum in genere teſtæ ovorum præſcribuntur, hæ intelliguntur. Lotæ & a pellicula interiore mundatæ, in pulverem teruntur. *Cum oculis cancrorum conveniunt, & eadem doſi exhibentur. Teſtæ ovorum, e quibus per incubatum pulli excluſi fuerunt, præſtantiores ad nephritidem & calculum pellendum creduntur; præferendæ etiam ſiccatæ, tritæ, calcinatis.*

Pavonis ſtercus, *Crotte de Paon*, Pfauen-Koth. Sunt excrementa alvina Pavonis utriusque ſexus, avis, ob pulchritudinem notiſſimæ. *Commendatur epilepticis & vertiginoſis. Uſus eſt in pulvere ad drachmam integram, vel in infuſo ad unciam dimidiam; adduntur etiam enematibus pro epilepticis. Sed relegamus pulcherrimæ avis ſtercus, cum tota familia, ad medicinam ſtercorariam.*

Percarum lapides, *Pierres de Perche*, Kaulperſich-Berſing-Steine. Oſſicula, ovalis figuræ, quodammodo in uno latere crenata, lapideæ duritiei, coloris albicantis, in capitibus Percarum, juxta ſpinæ dorſi exortum reperiuntur, bina, quæ ſicut in Carpionibus, Carpionum, ita hæc in Percis, Percarum lapides vocantur. Perca piſcis eſt ſatis cognitus fluviatilis, pinnis dorſalibus ſpinoſus, ichthyophagus. *Lapilli hi cum Carpionum lapidibus conveniunt viribus; magis tamen diuretici creduntur.*

Porcinus lapis, Hiſtricinus Malacenſis, Bezoar porci, Pedra de porco, *Pierre de Malacco*, *Bezoard de Porcépi des Indes*, Bezoar vom Stachelſchwein. Coagulum eſt bilioſum, rotundum, compactum, utplurimum nudis Myriſticæ vel Juglandis magnitudine, leve, coloris rufi, ſubſtantiæ quodammodo unguinoſæ, ſaporis amareſcentis. Reperitur in veſicula fellea Hyſtricum, terræ Malaicæ, unde *Lapis Melacenſis* vocatur. Plerumque ſphæris vel circulis aureis armatur, adnexa ex eodem metallo catenula, cujus adminiculo commodius tractari queat. Uſus ejus eſt, ut ſuſpendatur per horas aliquot, vel una alteraque vice agitetur in hauſtu aquæ communis, quam, vix grani pondere imminutus, amarore imbuit. *Concretum hoc, ob raritatem & eximias virtutes, valde pretioſum; habetur cordiale & alexipharmacum, tum in ictero, febribus putridis, malignisque, & in quibuscunque viſcerum obſtructionibus medicamentum efficaciſſimum. Sed ſaniores inter recentes medicos pretioſiſſimo huic lapidi anteponunt adhuc bovis vel alias cujuscunque animalis bilem inſpiſſatam.*

Advehitur etiam ejusmodi coagulum bilioſum ex inſula Ceylana, quod a *Kæmpfero*, *Pedra de Porco ſpuria* vocatur; Malacenſi quodammodo ſimile, ſed nigrius, informe & pilis permixtum eſt. Coagulum hoc non in veſicula

ſicula biliari, ſed in ventriculis Hyſtricum invenitur, proditque beſtia crebro ructu ac vomitione latitantem lapidem. *Eædem de illo prædicantur vires, debiliores tamen, licet majori propinetur doſi.*

Reguli uſti, *Roitelets brulées*, gebrannte Zaun-Könige, Zaunſchlüpferlein. Regulus ſeu *Paſſer Troglotydes* in olla combuſtus. *Valdopere ad nephritidem, & calculum pellendum & præſervandum commendatur.*

Rhinocerotis Cornu, *Corne de Rhinoceros*, Rhinoceros- oder Nashorn-Horn. Rhinoceros bellua, Elephantis magnitudine, cruribus tamen brevioribus. Cornu foris nigrum, intus album, fiſſile, ulnam circiter longum, firmum, grave & ſolidum, incurvatum, in baſi craſſum, in ſuperiori vero parte acutum, e proboſcide vel naſo hujus animalis exſurgit. *Pro vero habetur unicornu veterum, & ad venena, contagioſos morbos, & epilepticos motus commendatur.*

Sericum crudum toſtum, *Soye brulée*, gebrannte Seyden-Bälglein. Folliculi ſericei, ſive textura Bombycum aperiuntur, & ſi forſan Aurelia vel Bombyx mortua in illis latet, ſeparatur, folliculi vero in olla comburuntur. *Uſus eſt rarus; ad Species Temperatas tamen Cordiales requiritur, & antepilepticum habetur. Olim ex his folliculis, Spiritus deſtillari ſolebat, cui virtutes cordiales, alexipharmacas & antepilepticas adſcribebant.*

Serpentum exuviæ, *Depouilles de Serpent*, Schlangen-Häutlein, Bälge. Cutis animalis eſt ſponte depoſita, quæ colorem nativum cum figura retinuit. Serpens diſtinguitur a Vipera, quod ſit ovipara, atque ova ſua in fimetum, aliumve locum calidum deponat, ubi calore fota excluduntur. *Exuviæ partum facilitare, ventri vel lumbis alligatæ; hydropicis in forma pulveris conferre, & ad vulnera conglutinanda valere perhibentur.*

Stinci marini, Scinci, Zinci marini, *Scinc marin*, Meer-Stinz. Animalcula ſunt quadrupedia, ovipara, Lacertis ſimilia, niſi, quod dorſum habeant latius, magis glabrum, cuti ſquamoſa albicante tecta, cœſia a capite ad caudam decurrente linea. In Nilo fluvio, & Mari rubro degunt; veſcuntur herbis odoriferis, & Polio vel Abſinthio condita adportantur. *Diuretici ſunt Scinci; creduntur etiam aphrodiſiaca & bezoardica virtute pollere. Theriacam, Mithridatium & Diaſatyrium ingrediuntur.*

Struthionis ova, Struthio-Cameli ova, *Oeſs d'Autruche*, Strauſen-Eyer. Struthio avis in Africa haud infrequens, maxima, ob corporis molem, & alarum parvitatem ad volatum inepta, Ova ponit infantis caput magnitudine æquantia, imo ſuperantia, teſta eſt craſſitie calami ſtraminei, foris pallide flaveſcens, intus alba. In Africa, circa promontorium Bonæ Spei copioſe ſunt obvia, indeque adferuntur. *Adſcribitur teſtis horum Ovorum peculiaris vis diuretica & calculum pellendi.*

Talpæ combuſtæ, *Taupes brulées*, gebrannte Maulwürfe. Talpa animal ſubterraneum, notum, quadrupes, pilis molliſſimis, e cinereo nigricantibus, roſtro ſuillo, oculis minimis, cruribus breviſſimis. Capitur, atque

integra in olla comburitur. *Intrinſecus laudatur ad arthritidem vagam; externe opponitur lepris, ſtrumis, ulceribus & fiſtulis.*

Tauri Priapus, *Priape de Taureau*, Ochſen-Senne, Ochſen-Ruthe. *Cum Priapo cervi convenit; præcipue in diarrhœa & dyſenteria laudatur.*

Viperarum ſpinæ, *Epine des viperes*, Vipern- oder Nattern-Rückgrat. Differt Vipera a cæteris ſerpentibus non modo, quod ſegnius ſerpat, neque in altum exſiliat, ſed præcipue, quod illius fœtus in utero materno omnimodam perfectionem conſequantur, & vivi prodeant. Mares & fœminæ, cum adultæ ſunt, medio ſui corporis pollicem craſſitie adæquant; in fœminis vero, cum fœtus maturos gerunt, craſſior eſt truncus, longitudinem utplurimum bipedalem attingunt, plus minus; collum in maribus plerumque craſſius eſt, quam in fœminis; cauda in maribus ſemper longior & craſſior continet membra generationi dicata, & longitudinem digitorum quatuor transverſorum, in fœminis trium tantummodo habet. Viperæ pellis ſemper eſt variegata, fundi tamen color variat, modo enim candicat, modo ſubrubeſcit, alias eſt cineracei coloris, alias flavi, alias ferruginei; fundum hunc diſtinguunt perpetuo maculæ nigræ; pellem totam obtegunt ſquamæ, quas cum cute bis in anno exuere ſolent. Viperæ nunquam terram effodiunt, latebras quæſituræ, ſed utplurimum inter lapides & ruinas ædificiorum reperiuntur, ſereno tempore Rubos quærunt & denſas herbas; morſu tantum ſunt venenoſæ, venenum in duabus veſiculis, circa dentes poſteriores deliteſcens, ira percitæ, in hoſtem vibrantes, intus ſumtæ totæ medicinales. Non ſolum in Italia & aliis regionibus calidioribus reperiuntur, ſed etiam in Germaniæ quibusdam locis occurrunt; præferuntur vero ex Italia allatæ. *Adſcribitur vis alexipharmaca, diuretica & reſtaurativa. Laudantur ad ſanguinem purificandum in lue venerea, lepra, ſcabie ferina, & ulceribus malignis. In uſum veniunt, cute, capite & cauda exutæ, vel recentes in juſculis medicis, vel exſiccatæ & in pulverem tritæ. Doſis a ſcrupulo dimidio, ad drachmam ſemis. Theriacam ingrediuntur, & Bezoardicum animale conſtituunt.*

Umbilici marini, inter Marina occurrunt.

Unicornu marinum, verum Monoceros, *Licorne veritable*, Einhorn. E Cetaceo animali, quod in Mari boreali, circa Grœnlandiæ & Islandiæ littora, degit, & *Narhval* vocatur, depromitur. Alii putant eſſe dentem, alii, quia non habetur animal unico dente præditum, cornu vocant. Eſt candidum, teres, ſtriatum & tornatile, aliquot ulnas, plus minus, longum, durum, grave, in baſi excavatum, vel ſecundum longitudinem, ad apicem fere usque, perforatum, odoris & ſaporis nullius. *Cum aliis dentibus & cornibus convenit. Veteres adſcripſere ei virtutem alexipharmacam, & contra omnia venena valentem: potius vero virtus ejus demulcens, antacida, antiſpaſmodica, & diaphoretica reputatur. Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam.*

Unicornu foſſile, Ebur foſſile, *Unicorne mineral*, gegraben Einhorn. Sunt dentes vel cornua, vel alia oſſa animalium in lapideam quaſi ſubſtantiam, longo temporis ſucceſſu, mutata, vel quaſi calcinata. Reperiuntur, quæ ſicut oſſa calcinata friabilia, & alia, quæ Margæ ſpeciem referunt; alia autem

autem cum ſic dictis philoſophice calcinatis conveniunt, atque artificio parari poſſunt, ſi cornu Cervi vel Eboris fruſtum magnæ quantitati Calcis vivæ immergatur, & Calx, aqua affuſa, extinguatur, ſic brevi tempore calcinabitur, & ſpeciem ſic dicti Unicornu foſſilis exhibebit. Invenitur hoc foſſile in multis Germaniæ locis, etiam in Ducatu Wirtenbergico, prope Cantſtadium maxime. Elephantini dentes, incredibilis magnitudinis, reperti, in Cimeliarchio proſtant Stutgardienſi, quos animalis eſſe proſapiæ, ignis probavit aperte. *Abſorbet, adſtringit, & ſudorem movet.*

Vulpis pulmones, *Poumons des Renards*, getrocknete Fuchs-Lungen. Pulmones recentes vino abluuntur & ſiccantur. *Ad vitia pulmonum commendantur, & pro Loch de vulpis pulmone requiruntur.*

Zibethum, *Civette*, Zibeth. Pinguis & unctuoſa eſt ſubſtantia, a natura ſecreta, & collecta in folliculo glanduloſo, in mare inter penem & teſtes, in fœmina inter vulvam & anum ſito, *Cati Zibethici*, ſive *Hyænæ odoriferæ*, ſeu *Viverræ* Zoologorum. Animal lupum potius æmulatur, quam felem; corpus habet albicans & cinereum, lupi colore, maculis aſperſum nigris, crura & pedes parvos, pedis digitos quatuor & hallucem ſimul, a reliquis digitis parum diſtinctum; ungues ſunt canini, nigri, breves, craſſi & obtuſi, minime adunci. Reperitur in pluribus Indiæ Occidentalis & Orientalis regionibus. Delectari videntur cicurata animalia, dum folliculi auriſcalpio exinaniuntur. Optimum cenſetur, quod ſubpallidum habet colorem, pingue, moderate liquidum, tractu temporis craſſeſcens, papyro impoſitum & affrictum ſolubile, ſine craſſamento, quo ipſo diſtinguitur ab adulterino, odoris fragrantis, ſaporis amaricantis. *Calidum atque anodinum eſt. Uſus ad odoramenta, & in dolore colico umbilico inungitur.*

Regno animali etiam adſcribenda ſunt Seva, Axungiæ & Ceræ. Sunt vero uſitatiora:

Sevum Bovinum, *Suif de Bœuf*, Rinder-Inſchlitt.
Cervinum, *Suif de Cerf*, Hirſchen-Inſchlitt.
Hircinum, *Suif de Bouc*, Bocks-Inſchlitt.

Sevum, Sebum eſt adeps liquatus, & a membranis ſeparatus, conſiſtentia duriuſcula. Diſtinguitur vero adeps a pinguedine, quod adeps ſit craſſior, durior, calore difficilius ſolvatur, & promte coëat, ac præſertim in brutis biſulcis inveniatur, bobus ſcilicet, hircis, cervis, ovibusque. Seva omnia virtute utplurimum conveniunt emolliente & leniente. Uſus plurimus eſt in emplaſtris.

Axungiæ uſitatiores in noſtris Officinis ſunt:

Axungia Anatis, - - *Axonge de Canard*, Enten-Schmalz.
Anguillæ, - - - - *d' Anguille*, Ahl-Aal-Schmalz.
Anſeris, - - - - *d' Oye*, Ganß-Schmalz.
Ardeæ, - - - - *de Heron*, Reiher-Schmalz.

Axungia Aſchii, Aſchiæ, ſ. Thymalli piſcis, *Axonge de Thymallus, de Barbote, d'Ombre*, Aſchen-Schmalz.
Canis, - *Axonge de Chien*, Hunds-Schmalz.
Caponis, - - *de Chapon*, Capaunen-Schmalz.
Caſtorei, - - *de Caſtoreum*, Bibergail-Schmalz.
Caſtoris, - - *de Caſtor*, Biber-Schmalz.
Cati ſilveſtris, - *de Chat ſauvage*, wild Kazen-Schmalz.
Ciconiæ, - - *de Cicogne*, Storchen-Schmalz.
Coturnicis, - *de Caille*, Wachtel-Schmalz.
Cuniculi, - - *de Lapin*, Caninchen-Schmalz.
Equi e collo, ſ. juba, - - *de Col de Cheval*, Kammfett-Pferde-Schmalz.
Gallinæ, - - *de Poule*, Hüner-Schmalz.
Hominis, - - *Humaine*, Menſchen-Schmalz.
Leporis, - - *de Lievre*, Haaſen-Schmalz.
Lucii, piſcis, - *de Brochet*, Hecht-Schmalz.
Lupi, - - - *de Loup*, Wolfs-Schmalz.
Muris Alpini, Montani, - *de Marmotte, de Liron, de Loir*, Murmelthiers-Schmalz.
Porci, - - - *du panne de Porc, Sain doux*, Schweinen-Schmalz.
Serpentum, - *de Couleuvre*, Schlangen-Schmalz.
Taxi, - - - *de Blaireau, ou de Taiſſon*, Dachſen-Schmalz.
Viperarum, - *des Viperes*, Vippern-Schmalz.
Urſi, - - - *d'Ours*, Bären-Schmalz.
Vulpis, - - *de Renard*, Fuchs-Schmalz.

Axungiæ ſunt pinguedines animalium eliquatæ, & a partibus membranaceis cellularum, in quibus reconditæ fuerunt, ſeparatæ; ſuntque partim conſiſtentiæ liquidæ. inſtar olei, partim vero craſſeſcunt; quo liquidiores vero, eo penetrantiores etiam ſunt. *Omnes axungiæ vim habent emolliendi, digerendi, & leniendi; præſertim vero:*

Axungia Anatis,
Anſeris,

Axungia Canis,
Caponis,
Caſtoris,
Equi,
Gallinæ,
Hominis,
Porci.

*Attenuandi & reſolvendi vis adſcribitur ſequentibus:*

Axungiæ Ardeæ,
Cati ſilveſtris,
Ciconiæ,
Coturnicis,
Cuniculi,
Leporis,
Lupi,
Muris Alpini,
Serpentum,
Taxi,
Viperarum,
Urſi,
Vulpis,

*Vim autem calefaciendi, detergendi & ſepticam habent:*

Axungia Anguillæ,
Aſchiæ, ſive Thymalli,
Lucii Piſcis.

Eligantur ſeva & pinguedines, & inprimis axungiæ liquatæ recentes, non vetuſtate & rancore corruptæ, & quæ fœtore nares feriunt; præcipue vero, ubi in linimentis adhibentur, quæ lenire & demulcere debent; rancidæ enim omnes calorem concitant, & affluxum augent. *Axungia Canis* etiam haud raro interne, ad leniendos ſpaſmos, & acrimoniam humorum temperandam ſumitur, quo in caſu vero ex animali recens mactato, & non per vetuſtatem rancida eſſe debet.

*Axungia Caſtorei* pretio reliquas axungias multum ſuperat; hinc tanta copia, ut membra ea inungi poſſint, vix præſcribitur, etiamſi antiſpaſmodicum & nervinum ſit egregium. *In affectibus vero hyſtericis, balſamis ad odoratum, & ungentis abdomini illinendis admiſcetur.*

Cera alba, *Cire blanche*, weiſſes Wachs. E flava, frequenti adſperſione aquæ, & inſolatione paratur.

Cera flava, *Cire jaune*, gelbes Wachs. Eſt ſubſtantia pinguis oleoſa, condenſata, flaveſcens, e favis apum, ignis calore liquata & expreſſa, ſaporis lenti, oleoſi, odoris grati. Per ſe neque aqua neque Spiritu vini ſolvitur, ſed cum tenuiſſimo Gummi Arabici pulvere exacte mixta, ſaponacea fit & aquæ patet.

Propolis, *Propolis*, Stopf-Wachs. Eſt craſſa illa ceroſa materia, qua apes favos agglutinant, rimas & latera alveorum obducunt, atque domicilium non ſolum firmant, ſed & externi aëris acceſſum impediunt.

*Cera & Propolis digerunt, maturant, emolliunt & dolores mitigant. Uſus plurimus eſt in emplaſtris; a nonnullis cum pomo Cydonio toſto, interne ſumta, ad dyſenteriam commendatur.*

# APPENDIX.

Caa-apia. Planta eſt puſilla & depreſſa. Ex radice enim pennam anſerinam craſſa, verrucoſa, filamentis ad latera & inferius prædita, exterius e griſeo flaveſcente, interius alba, tres vel quatuor pullulant pediculi teretes, quorum quilibet unicum folium ſuſtinet, obrotundum, vel oblongum, tenerrimum, ſuperius ſplendidum, viride, inferius paulum albicans. Florem producit in proprio petiolo radiatum, floris bellidis æmulum. Radix guſtu eſt acris, & fere ejusdem virtutis, quæ Ipecacuannhæ: mitior tamen agit, & majori doſi, cum vomitus excitare debet, exhibenda. Quandoquidem ejusdem virtutis cum Ipecacuannha celebratur; charactere tamen botanico, longe ab illa, ſecundum deſcriptionem, quam Piſo dedit, differt. Ipecacuannha enim eſt planta baccifera, ſecundum illuſtrem Linnæum. Hort. Cliffort. & a Rajo Herba Paris Braſiliana polycoccos vocatur. Patriam etiam agnoſcit Braſiliam. Indigenæ plantam contundunt integram, & ſuccum expreſſum hauriunt, nec non vulneribus a colubris vel ſagittis venenatis inflictis inſtillant. Ex quibus virtus hujus radicis alexipharmaca facile cognoſcitur.

Cajeput Oleum ex India Orientali advehitur, & pro oleo, ex ſpecie quadam Cardamomi deſtillato, habetur. *Uſus ejus eſt tam internus, quam externus. Laudatur ſpecifice ad colicam flatulentam, menſtrua ſuppreſſa & fœtum mortuum pellendum. Ad dentium dolores, ſugillationes & ſuffuſiones diſcutiendas vix ſimile haberi dicunt remedium. Doſis guttæ tres, quinque vel ſex, ſaccharo albo inſtillatæ, cum infuſo theæ.*

# PHARMACOPOEÆ
## WIRTENBERGICÆ
### PARS ALTERA
### COMPOSITA ET PRÆPARATA
EORUMQUE
### MODUM PRÆPARANDI
EXHIBENS.

## ACETUM BEZOARDICUM.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Enulæ,
Imperatoriæ,
Hirundinariæ,
Zedoariæ ana drachmas ſex,
Herbarum Scordii,
Rutæ,
Salviæ ana unciam unam,
Baccarum Juniperi unciam ſemis,
Flavedinis Corticum Citri drachmas ſex.

Minutim inciſis affundantur:
Aceti Vini optimi, non deſtillati, libræ tres.

Poſt ſufficientem digeſtionem exprimantur, & filtratum acetum ad uſum reponatur.

*In morbis contagioſis, præcipue peſte, tam internus quam externus uſus ad odoratum & collutionem oris commendatur.*

*Propinatur ab uncia dimidia ad integram.*

## ACETUM LAVENDULÆ.

*REC.* Florum Lavendulæ libram dimidiam,
Aceti Vini boni albi libras tres.

Reponantur ad uſum.

*Uſus eſt externus. Epithematibus & odoramentis inſervit.*

*Nota.* Durabiliora quidem ſunt aceta compoſita e deſtillato parata, at non efficaciora; imo, tam quoad externum quam internum uſum, longe præferendum eſt acetum ſimplex deſtillato: gratius enim, odoratius & ſecurius eſt.

## ACETUM ODORATUM.

*REC.* Radicum Cyperi rotundi,
Galangæ minoris,
Zedoariæ ana unciam ſemis,
Herbarum Rorismarini,
Salviæ,
Florum Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Roſarum rubrarum ana drachmas tres,
Ligni Rhodii,
Cinnamomi,
Caryophyllorum aromaticorum,
Corticum Citri recentium, ana drachmas duas,
Aceti Vini albi libras duas.

Inciſis & contuſis ſuperfundatur acetum, & poſt digeſtionem per triduum, ad uſum reponatur.

*Uſus eſt externus, pro odoramentis & epithematibus ad pulſus. Reficit, atque ſpirituoſis longe præferendum eſt.*

## ACETUM PAPAVERIS ERRATICI, ROSARUM, RUTÆ, SAMBUCI, TUNICÆ,

Eodem modo, quo Acetum Lavendulæ, parantur.

*Vires habent vegetabilium, quibus imprægnantur, & præcipue ad uſum externum commendantur.*

## ACETUM SATURNINUM, SIVE LYTHARGYRII.

*REC.* Lithargyrii triti libram unam,
Aceti Vini deſtillati libras quatuor.

Coquantur lento igne in vaſe figulino prope vitreato, ſpatula lignea perpetuo

petuo agitata, donec acetum probe ſaturatum ſit, quod per chartam filtratum, ſervetur.

*Ad inflammationes, ulcera maligna exſiccanda, & affluxum prohibendum, applicari ſolet.*

## ACETUM SCILLITICUM.

*REC.* Scillæ præparatæ & exſiccatæ uncias octo.
Aceti Vini albi acerrimi libras octo.

Scillæ radices minutim inciſæ macerentur in aceto per plures dies, acetum per pannum colatum ad uſus reponatur.

*Adhibetur in pectoris infarctu viſcido expediendo, tuſſi difficili, aſthmate humido: Gravitatem auditus, a pituita ortam, gargarizatione emendat.*

*Doſis drachma una ad unciam dimidiam.*

## ACETUM VINI DESTILLATUM.

*REC.* Aceti Vini fortis, quantum libet.

Deſtilletur e cucurbita magna vitrea lento igne; prodit primo phlegma, quod ſequitur, acetum eſt. Continuetur deſtillatio, usque dum a duodecim vel quindecim libris, vix libra una & dimidia reſtet, alioquin, ſi ad ſiccitatem acetum abſtraheretur, empyreuma contraheret.

*Utimur hoc aceto deſtillato potiſſimum ad ſolutiones coralliorum, oculorum cancrorum, ſaccharum Saturni conficienda, & arcanum tartari parandum.*

*Ad internum uſum acetum ſimplex merito præfertur.*

## ÆS VIRIDE CRYSTALLISATUM, SIVE ÆRIS FLORES.

*REC.* Æruginis, ſive viridis æris, in pulverem triti, libram unam,
Aceti Vini deſtillati libras ſex.

Immittantur cucurbitæ vitreæ, macerentur in loco calido, acetum tinctum per inclinationem vaſis effundatur, novumque affundatur. Hoc fiat aliquoties, & tandem in vaſe cupreo æs viride, addita ſufficienti aceti quantitate, coquatur, ut ſolvatur. Tincturas omnes, per filtrum trajectas, leni calore evaporari permitte ad cuticulam, & ad cryſtalliſandum in locum frigidum repone. Cryſtallos inter chartam leniſſimo calore exſiccatos ſerva.

*Rarus in Medicina uſus, niſi ad unguenta mundificantia & Spiritum Veneris deſtillandum. A pictoribus & mechanicis frequentius expetuntur.*

## ÆS USTUM.

Æris laminæ ſtratificantur Sale culinari, atque in crucibulo probe lutato cæmentantur per duodecim horas, vel usque dum friabiles exiſtant, quæ in pulverem tritæ ad uſum reponuntur.

*Uſus eſt externus, in exſiccandis præſertim ulceribus.*

## ÆTHIOPS ANTIMONIALIS.

*REC.* Antimonii crudi puriſſimi optime triti uncias duas,
Mercurii vivi e Cinnabari reſuſcitati unciam unam.

Terantur multum & diu, in mortario vitreo, usque dum omnes globuli mercuriales evaneſcant, quod longa & patienti tritura perficitur. Serventur in vitro, vel pyxide lignea.

*Vires ſunt eædem, ac ſequentis Æthiopis mineralis.*

*Doſis a ſcrupulo dimidio, ad drachmam ſemis.*

## ÆTHIOPS MINERALIS.

*REC.* Mercurii vivi e Cinnabari reſuſcitati uncias tres,
Florum ſulphuris uncias duas.

Miſceantur & terantur in mortario vitreo vel marmoreo diu & diligenter, donec Mercurius plane diſpareat, & cum floribus Sulphuris in pulverem nigrum redactus ſit.

*Eximiæ huic pulveri ſulphurato mercuriali adſcribuntur vires, in tumoribus glandularum colli, exulcerationibus antiquis, fiſtuloſis, ſcabie ſicca, febre quartana, & ubi vermium ſuſpicio*

*ſuſpicio eſt. Sunt vero etiam, qui omnem, præter anthelminticam, ei denegant virtutem.*

*Datur infanti tenero ad grana tria vel quinque, adultiori ad ſcrupulum dimidium, homini adulto ad drachmam dimidiam, & per complures dies, abſque metu ſalivationis, uſus ejus continuari poteſt.*

## AGARICUS TROCHISCATUS.

Agaricus albiſſimus radula comminuitur, atque per cribrum transmittitur, poſtea in mortario lapideo, piſtillo ligneo, cum vino, in quo zingiber infuſum fuit, & exigua portione tragacantæ, in maſſam cogitur, quæ maſſa in trochiſcos majores formatur, qui, ut eo magis albeſcant, hieme ſunt parandi, & in frigore exſiccandi.

*Per trochiſcationem, quam vocant, correctior habetur, atque in vinis medicatis infuſus, pectoris vitiis, humores craſſos & viſcidos educendo, mederi creditur.*

## ALCIS CORNU PHILOSOPHICE PRÆPARATUM.

Cornu Alcis, in fruſta diſſectum, in magna copia aquæ fontanæ coquitur, ut molleſcat, & medulloſa exteriorque corticoſa pars cultro auferri queat. Cornu exſiccatum in pulverem tenerrimum teritur & aſſervatur.

*Præ aliis oſſibus calcinatis parum prærogativæ habet. Præſtat cornu alcis in ſcobem redactum, & in ſubtiliſſimum pulverem tritum, adhibere: additur pulveribus antepilepticis & antiſpasmodicis.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad duos.*

## ALOE DEPURATA, SIVE LOTA.

*REC.* Aloës Succotrinæ libram unam,
ſolvatur in
Aquæ fontanæ calidæ libris quinque,
Succi Citri depurati libra una.



Solutio reponatur in vaſe vitreo per unum aut alterum diem, ut reſinoſa ſubſtantia cum fæcibus ſubſideat, quo facto clarum a ſpiſſo ſeparetur per decantationem & colationem, lentoque igne ad extracti conſiſtentiam evaporetur.

*Longe ſecurius, promtius, & minori quantitate ſumpta, alvum laxat, quam ſola Aloë Succotrina. Per hanc depurationem ſeparatur illa reſinoſa ſubſtantia, hæmorrhoidalium motuum ſæpius cauſa, qui frequentiorem aloëticorum uſum ſequuntur. Tale Aloës extractum baſis eſt Pilularum Celeberrimi Stahlii, & pro baſi Pilularum laxantium adhiberi poteſt.*

*Grana octo, quin tria, ſufficiunt pro alvo ſtimulanda; pro laxanda verum dari poſſunt grana quindecim.*

## ALOE INSUCCATA.

*REC.* Aloës Succotrinæ pulveriſatæ libram unam,
ſolvatur ſuccis ſequentibus, ſcilicet:
Succi Roſarum libris duabus,
Violarum,
Borraginis,
Bugloſſæ ana unciis quindecim.

Solutio, per pannum calide transcolata, evaporetur ad extracti conſiſtentiam.

*Aloës inſuccatæ præparatio nititur priſca illa perſuaſione, aloëm hepar lædere: quare factum eſt, ut ſucci herbarum, quas cor & hepar juvare putabant, additi fuerint; quibus etiam particulæ reſinoſæ magis disjunguntur, ut facilius per inteſtina transeant, nec illis adhæreſcentes tormina & hæmorrhoides excitent.*

*Doſis eſt eadem, quæ præcedentis.*

## ALOE ROSATA ET VIOLATA.

Fiunt, ſi loco ſuccorum modo dictorum tantundem Succi vel infuſionis ſaturatæ Roſarum vel Violarum adhibeatur.

*Doſis & Virtus eſt eadem cum præcedenti.*

## ALUMEN SACCHARINUM.

*REC.* Aluminis crudi vulgaris uncias ſex,
Ceruſſæ Venetæ albæ drachmas ſex,
Vitrioli albi drachmas tres,
Sacchari albi Canarienſis unciam unam ſemis.

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui albumine ovorum & aceti deſtillati æquali portione, in mellis liquidi conſiſtentiam, diluatur, probeque agitatus, formis chartaceis, parvis, conicis infundatur & ſiccetur.

*Uſus præcipuus eſt in Collyriis & Cosmeticis; detergit & carnem luxuriantem aufert.*

## ALUMEN USTUM.

*REC.* Aluminis vulgaris albi quantum volueris, coquatur & calcinetur in olla fictili, nova, donec totum Alumen, ſpiritibus expulſis, leve, poroſum, & quaſi ſpumoſum evaſerit.

*Ad dentifricia & carnem luxuriantem abſumendam, adhiberi ſolet.*

## ANTIHECTICUM POTERII, S. DIAPHORETICUM JOVIALE.

*REC.* Reguli Antimonii ſimplicis uncias ſex,
Jovis, ſive Stanni Anglici uncias duas.

Fundantur in crucibulo, fuſa effundantur, terantur in pollinem, & cum Nitri puri, probe ſiccati, triplo, vel unciis viginti quatuor mixta, in crucibulo detonentur. Refrigeſcant, maſſa alba cœruleſcens iterum teratur, & ſufficienti copia aquæ fontanæ calidæ edulcoretur, tandem aqua copioſa diluatur, ut ponderoſior pars fundum petat, levior autem cum aqua, per inclinationem vaſis, ab illa ſeparari queat. Pulvis ſubtilior ita paratus eluatur, leni calore ſiccetur, & uſui ſervetur.

*Vires hujus pulveris adſtringentes ſunt. Ad ſanguinis & ſeminis fluxus cohibendos inſervire, & hecticorum etiam colliquativos ſudores minuere credebatur. At Stahlius calcem hanc Antimonii cum calce ſtanni omni abſorbente deteriorem & periculoſiorem exiſtimat.*

*Datur a ſcrupulo ſemis ad drachmam dimidiam.*

## ANTIMONII BUTYRUM ET CINNABARIS.

*REC.* Mercurii ſublimati corroſivi duodecim,
Antimonii crudi quinque partes.

Trita in mortario vitreo optime miſceantur, & per aliquot dies relinquantur; humida inde fit miſcela, quæ immittatur retortæ, cui præponitur excipulum, & ſublimatio ex arenæ balneo inſtituitur; moderato calore aſcendit ſubſtantia ſpiſſa, quæ, ſi difficilius ex roſtro profluit, prunis candentibus admotis liquanda eſt. Hæc *Butyri Antimonii* nomine venit; quo obtento & liquefacto, ad ſummum urgendus eſt ignis, ut aſcendat *Cinnabaris Antimonii*. Refrigeratis omnibus, Cinnabaris ſublimata, rejecto ſulphure, quod ſuperiori ejus parti adhæret, conteratur ſubtiliter, abluatur aqua fontana, & denuo e cucurbita ſublimetur. Semper magis nigricans præ nativa ac factitia apparet. Ejus quantitas ad quantitatem Antimonii ad laborem adhibiti proxime ſolet accedere. Butyrum ſeorſim ſervetur, quod una tertia parte cedit quantitati Mercurii ſublimati, quæ recepta fuit.

*Butyrum Antimonii a chirurgis, loco cauterii, adhibetur; eſt enim concentratiſſimus Salis ſpiritus, Regulo Antimonii corroſo unitus, & ad varios chymicos & pharmaceuticos labores eſt utilis.*

*Cinnabari huic ſpecifica quædam virtus antepileptica & antiſpasmodica adſcribitur; verum, an multum a vulgari factitia, rite elaborata, differat? merito dubitatur.*

Dari

*Dari poteſt a granis quinque ad ſcrupulam unum.*

## ANTIMONII CLYSSUS, ſive MINERALIS.

*REC.* Antimonii crudi,
Nitri,
Sulphuris, ana libram ſemis.

Pulveriſata miſce, & in retortam tubulatam candentem, recipiente magno, cui aquæ ſimplicis libra una infuſa, adaptato, nec exacte nimis lutato, ſucceſſive ad drachmas duas una ingere, ac mox fruſtulo luti madidi, linteolo involuto, tubulum bene claude; ubi nebulæ in recipiente ceſſaverint, perge ingerendo, donec omnis materia ingeſta detonuerit; tum liquorem omnem, in recipiente collectum, recipientem hinc inde agitando, effunde, filtra, atque aquam ad dimidias abſtrahe, & clyſſum ſive liquorem acidum reſiduum in vaſe clauſo ſerva.

*Sitim & calorem nimium extinguit, & in febribus etiam malignis, loco ſpiritus vitrioli, potui ordinario & julapiis addi, & ad tincturas florum roſarum & aliorum exaltandas adhiberi ſolet.*

*Doſis ægre determinari poteſt, ſufficiunt plerumque guttæ quindecim.*

*Vix amplius in uſu eſt.*

## ANTIMONIUM DIAPHORETICUM MARTIALE.

*REC.* Limaturæ Martis,
Antimonii crudi, bene triti, ana uncias octo.

Miſceantur & immittantur crucibulo candenti, agitentur baculo ferreo, usque dum in ſcorias mixtura abiiſſe videatur, quæ accurate contrita, & cum triplo nitri crudi puriſſimi & ſicciſſimi mixta, in crucibulo candenti detonetur, atque, poſt lenem calcinationem, in aquæ tepidæ ſufficienti copia ſolvatur: ſic ſubſidebit pulvis e luteo fuſcus, qui, addita copioſa aqua, diluatur, ut levior ac ſubtilior a graviori ſeparetur, quem edulcoratum atque leni calore ſiccatum ſerva.

*Propter Martis particulas leniter adſtringit, tonum ventriculi & inteſtinorum roborat, cachecticis & ictericis prodeſt.*

*Doſis grana quindecim ad ſcrupulum.*

## ANTIMONIUM DIAPHORETICUM SIMPLEX.

*REC.* Mineræ Antimonii puriſſimæ libram unam,
Nitri crudi cryſtallini ſicciſſimi libras tres.

Exacte miſceantur, atque in crucibulo magno, per vices ingeſta, detonentur. Agitentur ſpatula ferrea inter detonationem, ut materia æqualiter deflagret & calcinetur. His peractis, maſſa albicans ſufficiente quantitate aquæ diſſolvatur, pulvis albus fundum petens, copioſa affuſa aqua diluatur, ut commovendo ſubtilior pars cum ea decantari poſſit, quæ edulcorata atque ſiccata uſui ſervetur. Eſt vera Reguli Antimonii calx, nitro cicurata. Tres quartas partes ponderis antimonii, quod receptum fuit, æquat. Si aqua ſalſa, nitrum antimoniatum continens, non decantatur, ſed una cum calce evaporando exſiccatur, Antimonium diaphoreticum *non ablutum* dicitur, quod poſt Bœrhavium à multis ceu medicamentum efficacius expetitur.

*Adſcribuntur vires abſorbentes, alexipharmacæ, diapnoicæ, ſanguinem purificantes. Datur in febribus cujuscunque generis. Purgantibus admixtum eorum vires acuit.* Non ablutum *incidens, expectorans, in glutine pulmonum & in morbis cutaneis utile habetur.*

*Doſis a granis quindecim ad drachmam dimidiam.*

## AQUÆ DESTILLATÆ SIMPLICES.

Plantæ, ex quibus aquæ deſtillantur, ſunt vel
Succoſæ, ſucco abundanti præditæ, vel
Viſcoſæ & minus ſucculentæ, vel
Succo acri turgentes, vel
Odoriferæ, oleum aromaticum æthereum reddentes.

Plantæ ſucco abundantes uſitatiores, e quibus aquæ deſtillari ſolent, ſunt:

ACETOSA,
ACETOSELLA,
ANAGALLIS,
BELLIS MINOR,
BORRAGO,
BUGLOSSA,
LACTUCA,
PORTULACA,
SEDUM,
URTICA,

His & ſimilibus recentibus, parum conciſis, ad ſingulam libram duplum ponderis, i. e. libræ duæ aquæ fontanæ adduntur, & ex qualibet libra herbæ, libra una & dimidia aquæ, deſtillatione ex veſica cuprea, per alembicum, ſtanno probe obductum, elicitur.

Plantæ uſitatiores viſcoſæ & minus ſucculentæ ſunt:

ARGENTINA, ſive ANSERINA,
BETONICA,
BURSA PASTORIS,
CALENDULA,
CARDUUS BENEDICTUS,
CARDUUS MARIÆ,
CENTAURIUM MINUS,
CHELIDONIUM MAJUS,
CICHORIUM,
EUPHRASIA,
FRAGARIA,
FUMARIA,



GALEGA,
HEPATICA NOBILIS,
PLANTAGO,
PRUNELLA,
QUERCUS FOLIA,
SAXIFRAGIA,
SCABIOSA,
SCORDIUM,
SCORZONERA,
SIGILLUM SALOMONIS,
SOLANUM,
TARAXACUM,
TILIÆ FLORES,
TUSSILLAGO,
VALERIANA,
VERBENA,
VERONICA,

Hæ triplum aquæ expoſcunt, & dimidiam partem reddunt.

Plantæ ſucco acri turgentes uſitatæ ſunt:

BECCABUNGA,
COCHLEARIA,
NASTURTIUM AQUATICUM,
RAPHANUS HORTENSIS & RUSTICANUS,
TRIFOLIUM FIBRINUM.

Hæ in duplo aquæ macerari, & poſtea deſtillari debent, atque ex qualibet libra herbæ, libra una & dimidia aquæ prolici.

Plantæ odoriferæ, oleo æthereo dotatæ, ſunt:

ABSINTHIUM,
ANGELICA,
ARTEMISIA,
CHAMÆMELUM, ſive CHAMOMILLA,
CHÆREFOLIUM,
FOENICULUM,
HEDERA TERRESTRIS,
HYSSOPUS,
LAVENDULA,
LEVISTICUM,
MAJORANA,

MATRI-

MATRICARIA,
MELISSA,
MENTHA,
MILLEFOLIUM,
PETROSELINUM,
PULEGIUM,
ROSMARINUS,
RUTA HORTENSIS,
SABINA,
SALVIA,
SERPILLUM,
TANACETUM,

His omnibus quadruplum aquæ affundi, & duæ libræ aquæ deſtillatione elici poſſunt.

Cum floribus ſequentibus integris atque recentibus:

ACACIÆ,
AURANTIORUM,
CYANI,
FABARUM,
KEIRI,
LILIORUM ALBORUM,
CONVALLIUM,
NYMPHÆÆ,
POEONIAE,
PRIMULÆ VERIS,
ROSARUM,
SAMBUCI,

Affuſo triplo aquæ, ſtatim deſtillatio inſtituenda, & ex qualibet libra florum, libra una cum dimidia aquæ elicienda.

SEMINA ANISI,
CARVI,
CORIANDRI,
FOENICULI.
BACCÆ JUNIPERI,
LAURI.
RADICES ANGELICÆ,
CALAMI AROMATICI.
LIGNA SASSAFRAS,
RHODIUM.
CORTICES CHACARILLÆ,
WINTERANI.

Omnia ſextuplum aquæ, & macerationem per aliquot dies, ante



deſtillationem, expoſcunt. Ex quavis libra, aquæ lacteæ, oleoſæ, libræ tres elici poſſunt.

CORTICES FRUCTUUM AURANTIORUM & CITRI.

Absque prævia maceratione, ſtatim deſtillantur, atque ad libram corticum aquæ libræ quatuor affundi, & libræ duæ deſtillatione abſtrahi debent.

FRUCTUS HALICACABI, ſive ALKEKENGI, minus ſuculenti

quatuor partes aquæ expoſcunt, atque unam ſemis reddunt.

CERASORUM,
FRAGORUM,
RUBI IDÆI

duplum aquæ poſcunt, & e qualibet libra, libram unam aquæ deſtillatæ fragrantis exhibent.

*Pro vehiculo aliorum medicamentorum ut plurimum inſerviunt. Ex herbis, floribus & fructibus frigidis paratæ vix annum durant; oleoſorum & odoratorum ſimplicium aquæ durabiliores ſunt.*

## AQUA ACUSTICA.

*REC.* Radicum Cyperi rotundi,
Iridis Florentinæ,
Leviſtici,
Valerianæ ana unciam ſemis,
Herbarum recentium Majoranæ,
Origani,
Rorismarini,
Rutæ hortenſis,
Salviæ hortenſis,
Serpilli,
Florum Lavendulæ,
Sambuci ana drachmas tres,
Seminum Coriandri,
Fœniculi,
Rutæ,

Baccarum Juniperi,
Lauri ana unciam
ſemis,
Ceparum inciſarum uncias duas
ſemis,
Caſtorei drachmas duas.

Inciſa & contuſa immittantur cucurbitæ vitreæ, & ſuperaffundantur
Aquæ epilepticæ Langii,
Spiritus Baccarum Juniperi ana
unciæ quindecim,
Succi Raphanorum libra una ſemis.

Digerantur per biduum, poſtea, additis
Cinerum clavellatorum drachmis
quatuor,
Salis ammoniaci drachmis duabus,
Camphoræ drachma una.
Aquæ fontanæ quantum ſufficit,
ad præcavendum empyrevma.

Deſtillentur ex cucurbita vitrea, & liquoris ſpirituoſi volatilis unciæ ſedecim proliciantur, qui in vaſe probe clauſo ſervandus.

*Applicatur vel in fruſto panis calidi, e clibano modo extracti, auribus, vel goſſypio aliquot guttæ exceptæ immittuntur auri. Craſſos humores, nervos & auditorios meatus obſtruentes, attenuat, atque tympani atoniæ roborando, medetur.*

## AQUA ANHALTINA.

*REC.* Radicum Galangæ minoris,
Florum Anthos ana drachmas
ſex,
Seminis Fœniculi,
Baccarum Lauri ana unciam
dimidiam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum,
Nucum Moſchatarum.
Cinnamomi acuti,
Maſtiches ana drachmas ſex,
Thuris unciam unam,
Terebinthinæ Venetæ libram
dimidiam.

In pulverem contrita infundantur in ſpiritus vini rectificati libris ſex, & digeſta per dies ſex, addita aquæ fontanæ libra una, deſtillentur, leniſſimo balnei calore, libræ quinque.

*Vires hujus aquæ ſpirituoſæ ſunt inſignes in ventriculo roborando, colica flatulenta, urina pellenda; verum adhibenda prudenter, ne ſanguis nimium commoveatur. Externus uſus eſt frequentior, ventriculo applicata, vomitum & diarrhœas ſiſtit, & in roborandis membris, debilitatis a paralyſi, valet.*

## AQUA ANTISCORBUTICA TEMPERATA.

*REC.* Herbarum, omnium recentium,
Acetoſæ,
Nummulariæ,
Beccabungæ,
Bellidis minoris,
Chæreſolii,
Fumariæ,
Trifolii fibrini,
Veronicæ ana uncias octo,
Fructuum Rubi idæi libram
unam.

Inciſa miſceantur, ſuperfuſis aquæ fontanæ libris quindecim, deſtillentur, atque libræ ſex eliciantur.

*Parata eſt ex herbis antiſcorbuticis temperatis, & æque omnibus convenit, ubi affectus æſtuoſi, febriles, cum diatheſi ſcorbutica, complicantur.*

*Dari poteſt ad uncias duas treſve.*

## AQUA APOPLECTICA SPIRITUOSA.

*REC.* Florum Liliorum convallium recentium,
Lavendulæ recentium,
Primulæ veris,
Tiliæ,
Betonicæ,

Florum

Florum Tunicæ, ana unciam unam,
Herbæ Rorismarini,
Majoranæ,
Basilici,
Salviæ,
Serpilli,
Mari veri ana unciam unam semis,
Cinnamomi acuti uncias duas,
Caryophyllorum aromaticorum drachmas sex,
Nucum moschatarum unciam unam,
Cardamomi minoris,
Cubebarum,
Zedoariæ,
Galangæ,
Sandali citrini ana unciam semis.

Flores & herbæ recentes colligantur successive per æstatem, & in spiritus vini rectificati libris quinque macerentur. Postea aromata, minutim incisa & contusa, vini generosi libris quinque infundantur, & post digestionem per biduum, cum priori infuso commixta, addita prius, ad præcavendum empyreuma, sufficiente aquæ fontanæ quantitate, e vesica, lento igne, destillentur. Clarum & magis spirituosum seorsim, pro usu externo, servandum; quod sequitur oleosum albicans, pro usu interno.

## AQUA APOPLECTICA MINUS SPIRITUOSA.

*REC.* Herbæ, cum floribus, Salviæ uncias octo,
Majoranæ,
Serpilli ana unciam unam,
Florum Liliorum convallium uncias tres,
Lavendulæ,
Anthos una uncias duas,
Cinnamomi electi unciam unam semis,
Cubebarum unciam semis,
Caryophyllorum drachmas tres,
Macis drachmas duas,
Vini albi generosi libras duodecim.

Macerata per triduum destillentur ad dimidiæ partis remanentiam.

*Aquæ hujusmodi spirituosæ in Apoplexia, quam sanguineam vocant, internæ sumtæ non conveniunt; externe autem ad partes debilitatas roborandas, & ad odorandum, præcipue adhibentur. In morbis vero a causa frigida ortis, colica flatulenta, & ventriculi debilitate, bono cum effectu, a drachmis duabus ad sex, vel integram unciam, propinari possunt.*

## AQUA ASTHMATICA.

*REC.* Radicum Enulæ,
Liquiritiæ,
Iridis Florentinæ ana uncias duas,
Herbarum Hederæ terrestris,
Tussilaginis,
Botryos ana libram semis,
Hyssopi,
Marrubii albi,
Pulegii,
Salviæ ana uncias tres,
Seminum Anisi,
Fœniculi ana unciam unam.

Incisa infundantur spiritus vini rectificati libra una, aquæ fontanæ libris duodecim, & præmissa digestione per triduum, libræ sex vel septem e vesica destillentur.

*Senes tussi humida vexatos, mane ad unciam unam vel duas sumta, juvasse visa est.*

## AQUA BALSAMICA AD GONORRHÆAM RIVERII.

*REC.* Radicis Iridis Florentinæ uncias tres,

Foliorum Dictamni Cretici,
Menthæ ficcæ ana unciam unam ſemis,
Seminis Fœniculi uncias duas,
Rutæ unciam unam,
Terebinthinæ claræ Venetæ libram ſemis,
Vini albi libras decem.

Poſt infuſionem per triduum deſtillentur ad dimidium ex veſica.

*Ad gonorrhœam virulentam, tam inveteratam, quam recentem, laudatur, partes enim exulceratas detergit, & materiam corroſivam educit.*

*Doſis a drachmis quatuor ad unciam unam.*

## AQUA BENEDICTA SERPILLI.

*REC.* Herbæ Serpilli in umbra ſiccatæ libras duas,
Saturejæ floreſcentis,
Thymi floreſcentis,
Florum Chamomillæ Romanæ ana uncias duas,
Cinnamomi uncias tres,
Macis unciam ſemis.

Inciſa & contuſa miſce, atque, per biduum vini albi generoſi libris octodecim infuſa, lento igne libræ octo eliciantur.

*Prodeſt illis, qui catarrhis & defluxionibus vexati ſunt, nervos & ventriculum, cum reliquis viſceribus, corroborat, aſthmaticis ſubvenit, urinam, calculum & menſes movet, omnibusque aquis, quas vocant apoplecticas, fortaſſe præferenda eſt.*

*Doſis ab uncia ſemis ad integram.*

## AQUA CALCIS VIVÆ.

*REC.* Calcis vivæ libram dimidiam.

Superfundantur aquæ fontanæ libræ quinque; poſt ebullitionem decantetur aqua ſupernatans, atque ſervetur.

Notatu dignum eſt, aquam Calcis vivæ etiam decimæ, vigeſimæ &c. infuſionis ejusdem eſſe virtutis ac primæ; cum demonſtratum ſit, quod Calcis in aqua ſolubilis pars una vel 1500. partes aquæ imprægnare valeat.

*Uſus plerumque externus eſt ad inflammationes, ambuſta (vel ſimpliciter adhibita, vel cum oleo, in linimenti formam ſubacta) ulcera, & id genus affectiones. Interne in frigidis morbis, chronicis inprimis, fluore albo, diarrhœis chronicis, calculo, ad uncias duas plures, bis de die, imo ad libram unam, quibusdam cum æquali, vel majori portione lactis mixta propinatur, ſcopo ſiccandi & detergendi.*

## AQUA CAPONIS.

*REC.* Caponem eviſceratum atque in fruſta inciſum, depoſita pinguedine, decoque, vaſe clauſo, in ſufficiente quantitate aquæ, donec carnes ab oſſibus ſeparentur: quibus ad pultis formam contuſis, Brodii ſive decocti Caponis per pannum transpreſſi libris duabus ſemis adde

Aquæ Borraginis,
Bugloſſi ana libram unam ſemis;
Florum quatuor cordialium ana drachmas duas,
Cinnamomi electi unciam.

Deſtillentur ex M. B.

*Vires habentur analepticæ atque tabidis & a morbo longo extenuatis commendatur.*

*Doſis uncia una ad duas usque.*

Quanquam eandem cum Zwölffero ſententiam tenemus, aquis ex animalium partibus deſtillatis, juſcula vel decocta eorum longe præferenda: tamen ut mulierculis, aquam hanc ſummopere laudantibus & nonnunquam expetentibus, ſatisfaciamus, deſcriptionem dare voluimus.

AQUA

## AQUA CARBUNCULI.

*REC.* Herbæ Majoranæ,
Salviæ ana unciam unam ſemis,
Florum Lavendulæ uncias quatuor,
Liliorum convallium,
Roriſmarini,
Roſarum,
Cinnamomi,
Cardamomi minoris ana unciam unam,
Nucis moſchatæ,
Macis,
Caryophyllorum ana unciam ſemis,
Zinziberis,
Galangæ,
Baccarum Juniperi ana drachmas tres.
Spiritus vini rectificati libram unam,
Aquæ rubi idæi,
lavendulæ ana libras tres.

Fiat infuſio per octiduum, in loco tepido, poſtea deſtillatio ad dimidias. Liquori deſtillato, ſplendoris vulgo expetiti cauſa; folia auri immergi ſolent.

*Uſus frequens eſt externus ad epithemata cordis & pulſuum; ad fœtum roborandum gravidarum abdomini, cum aqua embryonum imponitur. Internus uſus varior eſt. Nomen inde habere ajunt, quod carbunculos & bubones peſtilentiales expellat, & retroceſſionem eorum prohibeat.*

## AQUA CARMINATIVA.

*REC.* Herbæ Abſinthii pontici unciam ſemis,
Centaurii minoris,
Pulegii,
Origani ana drachmas duas,
Florum Chamomillæ Romanæ,
Chamomillæ vulgaris, ana libram unam ſemis,
Seminis Anethi uncias duas,
Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Carvi unciam ſemis,
Corticum aurantiorum exteriorum uncias duas.

Inciſa & contuſa infundantur per quatriduum in aquæ fontanæ libris duodecim, poſtea ad reſiduum unius tertiæ deſtillentur.

*Experti uſus eſt in affectibus colicis, hyſtericis, doloribus poſt partum, & in menſibus dolorificis; cum non adeo calida ſit, ubique tutius adhibetur.*

*Doſis ab uncia dimidia ad integram & ultra.*

## AQUA CARMINATIVA SPIRITUOSA.

*REC.* Calami aromatici,
Herbæ Menthæ criſpæ,
Serpilli floreſcentis ana uncias duas,
Florum Chamomillæ Romanæ libram ſemis,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana uncias duas ſemis,
Cinnamomi acuti uncias tres,
Nucum moſchatarum,
Baccarum Lauri,
Juniperi ana unciam ſemis,
Corticum Aurantiorum recentium uncias duas.

Inciſa infundantur ſpiritus vini rectificati libris novem, aquæ fontanæ libris quinque, digerantur per triduum, poſtea deſtillentur ex veſica libræ decem.

*Prodeſt contra flatus, & loco alterius ſpiritus, poſt paſtum, ad unciam unam dari poteſt.*

## AQUA CARMINATIVA PER INFUSIONEM.

*REC.* Seminum Coriandri,

Seminum Fœniculi,
Dauci,
Aniſi,
Carvi,
Anethi, ana unciam ſemis,
Parum contuſis affunde
Spiritus vini optimi, libras quatuor.
Stent per aliquot dies in digeſtione, poſtea addantur
Sacchari clarificati unciæ duodecim,
& liquor per chartam emporeticam filtratus uſui ſervetur.

*Flatus diſcutit & pellit; doſis uncia dimidia ad unam usque. In Codice medicamentario Pariſinſi ſub nomine:* Claretum e ſex ſeminibus *venit; alius ob eximias virtutes*, Aqua immortalis & Roſſolis des ſix graines *vocatur.*

## AQUA CARYOPHYLLORUM AROMATICORUM.

*REC.* Caryophyllorum aromaticorum uncias tres, in pulverem tritis adde
Aquæ fontanæ libras quatuor.
Macerentur per triduum, poſtea deſtillentur leni igne, & aquæ oleoſæ lacteæ libræ tres eliciantur.

*Inter aquas cordiales & ſtomachicas referri meretur, & ob gratum ſaporem mixturis cordialibus addi poteſt.*

## AQUA CEPHALICA CAROLI QUINTI.

*REC.* Summitatum Majoranæ,
Meliſſæ,
Origani,
Florum Anthos,
Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Roſarum rubrarum,
Salviæ ana uncias duas,
Caryophyllorum,
Nucum moſchatarum ana uncias duas,
Cardamomi minoris,
Cinnamomi,
Cubebarum,
Granorum Paradiſi,
Macis ana unciam ſemis.

Inciſa & contuſa groſſo modo infunde in ſpiritus vini optimi libris octo, ſtent per dies ſex in loco calido, & poſtea, addita aquæ fontanæ libra una ſemis, deſtillentur.

Si libuerit,
Ambræ griſeæ &
Moſchi grana aliquot
aliquotæ illius deſtillatæ parti, aut roſtro etiam alembici imponi poterunt, pro iis, qui odorem ferre poſſunt, & tunc completa vocari.

*Quæ de Aqua apoplectica diximus, etiam hic repetenda eſſe cenſemus: hanc nempe pariter in affectibus, a cauſa frigida ortis, feliciter adhiberi; ſi vero in morbis ſanguineis in uſum vocetur, majus damnum ab uſu interno expectandum eſſe.*

## AQUA CHAMOMILLÆ ANISATA.

*REC.* Florum Chamomillæ recentium libras quatuor,
Seminis Aniſi libras duas,
Vini albi generoſi libras quadraginta quatuor, vel menſuras tres cum dimidia.

Poſt digeſtionem aliquot dierum deſtillentur ad dimidias.

*Uſu frequenti tanquam carminativum ſe commendat.*
*Doſis uncia dimidia ad unam usque.*

## AQUA CINNAMOMI BUGLOSSATA.

*REC.* Cinnamomi acuti contuſi uncias ſex,
Aquæ Bugloſſi libras novem.
Macerentur per biduum, poſtea deſtillentur lento igne, & aquæ libræ ſex eliciantur.

## AQUA CINNAMOMI CORDIALIS.

*REC.* Aquæ Borraginis,
Bugloſſæ,
Roſarum,
Violarum ana libram unam & ſemis,
Cinnamomi electi uncias quatuor.

Poſt triduanam infuſionem fiat deſtillatio, ita, ut tertia pars ſit reſidua.

## AQUA CINNAMOMI CYDONIATA.

*REC.* Succi Cydoniorum expreſſi, & vinoſam indolem, mora temporis, nacti libras ſex,
Cinnamomi electi uncias quatuor.

Fiat infuſio per triduum, poſtea deſtillentur, ut reſiduum tertiam partem æquet.

## AQUA CINNAMOMI SINE VINO.

*REC.* Cinnamomi acuti uncias octo,
Aquæ ceraſorum nigrorum libras duodecim.

Miſceantur, digerantur per triduum, deſtillentur ex veſica, donec tertia pars ſolum reſtet.

## AQUA CINNAMOMI SPIRITUOSA.

*REC.* Cinnamomi acuti uncias ſedecim,
Vini albi ſpirituoſi libras duodecim,
Spiritus vini rectificati libras duas & ſemis.

Infuſa per biduum deſtillentur per veſicam, lentiſſimo igne, & liquoris ſpirituoſi lacteſcentis libræ octo proliciantur.

## AQUA CINNAMOMI VINOSA.

*REC.* Cinnamomi electi uncias novem.
Minutim conciſis ſuperfundantur Vini albi generoſi libræ duodecim, macerentur in vaſe clauſo, poſtea deſtillentur ad dimidias.

*Cum Cinnamomi virtus analeptica ſit & nervina, ſapor vero & odor omnibus gratus eſſe ſoleat, cunctis aquis cordialibus, analepticis & apoplecticis hæ admiſcentur, & certe vix ullum eſt, in totius materiæ medicæ farragine, ſuavius ac efficacius aroma. Hinc in omnibus morbis adhiberi poteſt, habita ratione, quo cum liquore aqua fuerit deſtillata. Phlegmaticis & ſenibus ſpirituoſa, aliis ſine vino deſtillata propinetur. Admiſcentur vero potionibus analepticis, vel ſolæ etiam ad cochlearia duo vel tria offerri poſſunt.*

## AQUA CONFORTATIVA ſive PERLATA.

*REC.* Aquæ Ceraſorum nigrorum libram unam & ſemis,
Tiliæ uncias ſex,
Cinnamomi vinoſæ unciam unam ſemis,
Margaritarum occidentalium præparatarum ſcrupulos duos,
Coralliorum alborum præparatorum drachmam unam,
Cornu cervi uſti præparati ſcrupulos quatuor,
Julepi roſati uncias tres.

*Eſt Aqua, quam confortativam vocant, ordinaria, & infantibus ac aliis, qui medicamenta reformidant, offerri ſolet. Doſis eſt ab uncia dimidia ad integram. Hic autem pharmacopœi monendi ſunt, ne nimiam ejus quantitatem ſaccharo temperatam, ſed potius, ne aceſcat, non ſaccharatam reponant, &, ſi neceſſe ſit, Julepum roſarum, ad edulcorandum, addant.*

## AQUA CORDIALIS FRIGIDA.

*REC.* Cinnamomi acuti uncias duas & ſemis,

Corticum citri recentium e pomis octo,
Sandali citrini unciam unam,
inciſa & contuſa infundantur, in
Aquæ Bugloſſæ,
Acetoſæ ana libra una,
Ceraſorum nigrorum,
Roſarum fragrantiſſimæ,
Rubi idæi ana libra una & ſemis,
Miſceantur, deſtillentur ad tertiæ partis remanentiam e veſica.

*In morbis acutis ac malignis febribus, ubi calida, & nimium aromatica, merito fugiuntur, optimi effectus eſt, & admiſcetur potionibus & mixturis.*

## AQUA CORDIALIS TEMPERATA.

*REC.* Cinnamomi acutiſſimi uncias tres, drachmas duas,
Corticum citri exteriorum recentium unciam unam,
Sandali citrini unciam ſemis,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucum moſchatarum ana drachmam unam ſemis,
Cardamomi minoris drachmas tres,
Florum Lavendulæ drachmas ſex,
Borraginis unciam unam,
Roſarum uncias duas ſemis.

Inciſis & tritis adde
Vini albi generoſi,
Succi Pomorum redolentium,
Fructuum Rubi idæi ana libram unam,
Aquæ Borraginis,
Bugloſſi ana libram unam ſemis,
Roſarum libras duas ſemis,
Rubi idæi,
Ceraſorum nigrorum,
Meliſſæ ana libram ſemis.

In vaſe vitreo bene clauſo, per dies quatuor, digerantur, deinde in balneo deſtillentur ad dimidias, id eſt libras ſex.

*In morbis malignis & inde proſtratis viribus, potionibus additur; prodeſt etiam a morbo convaleſcentibus, ad vires reſtauvandas.*

*Doſis ab uncia dimidia ad integram.*

## AQUA CORNU CERVI CITRATA.

*REC.* Raſuræ cornu cervi uncias ſex,
Pomorum citri, cum corticibus inciſorum, numero quatuor.

Infunde per nycthemeron
Aquæ Roſarum,
Scabioſæ,
Acetoſæ,
Cardui benedicti,
Meliſſæ,
Scordii ana libra una.

Poſtea deſtilla ad quartæ partis remanentiam.

*Analeptica & alexipharmaca deprædicatur; hinc in febribus malignis utilis. Adpoſuimus formulam, quia jam a longo tempore a pluribus in uſum vocatur. Cavere tamen illa æque poſſumus, ac ſubſequente Aqua e Corde Cervi.*

*Doſis uncia una ad duas.*

## AQUA CORTICUM AURANTIORUM CUM VINO.

*REC.* Corticum aurantiorum recentium libram unam;

Conciſi in
Vini albi libris octo
infundantur, & deſtillentur ad dimidias.

*Carminativa & ſtomachica eſt.*

*Doſis uncia una, vel una ſemis.*

## AQUA E CORDE CERVI.

*REC.* Cor cervi recens ſcindatur in partes minores, addantur
Foliorum Meliſſæ,

Foliorum

Foliorum Borraginis recentium ana unciæ duæ,
Florum Rosarum,
Tunicæ ana uncia una,
Corticis ligni Sassafras,
Cinnamomi,
Sandali citrini ana drachmæ sex,
Caryophyllorum,
Nucis moschatæ ana drachmæ duæ.

Incisis & contusis affundantur
Vini albi libræ quatuor,
Aquæ Melissæ,
Borraginis ana libra una semis.

Destillentur statim ex vesica, leni igne, ut residuum libras tres æquet.

*In confesso quidem est, aquas destillatas ab animalium partibus tantum haud accipere, quod vulgo creditur, ideoque hanc aquam vix quidquam virtutis e corde cervi nanciscì; cum vero abs plebe frequenter e pharmacopoliis petatur, in Dispensatorio hoc nostro locum illi concedere voluimus.*

*Habet autem eandem, a reliquis ingredientibus, vim, quam aqua cordialis temperata, & ab uncia semis ad unciam unam sola hauriri, vel potionibus admisceri potest.*

## AQUA DIURETICA E NUCLEIS.

*REC.* Amygdalarum amararum,
Nucleorum Persicorum,
Ceraforum ana uncias duas,
Florum Sambuci uncias sex,
Vini generosi libras octo.

Contusa digerantur per biduum in loco calido, dein destillentur ad dimidias.

*Commendatur nephriticis & calculosis, in quibus neque inflammationis, nec mictus cruenti metus est, post copiosam infusi Theæ vel calidæ potionem, ad unciam dimidiam aut integram sumenda. Tormina sedat & urinam pellit.*

## AQUA SIVE BALSAMUM EMBRYONUM.

*REC.* Nucum moschatarum uncias tres semis,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Zingiberis,
Cubebarum,
Granorum Paradisi,
Zedoariæ ana uncias duas,
Macis unciam semis,
Galangæ drachmas tres,
Croci orientalis drachmas duas,
Florum Tunicæ,
Tiliæ ana libram unam,
Lavendulæ,
Herbæ Salviæ,
Seminum Carvi,
Fœniculi ana uncias tres,
Menthæ crispæ,
Radicum Pœoniæ,
Seminum ejusdem,
Visci querni ana uncias duas,
Medullæ panis tritici a furno calentis libras duas,

Incisa & contusa infundantur in
Vini malvatici libris decem,
Aquæ Borraginis,
Buglossæ ana libris quatuor,
Florum Liliorum convallium libris duabus & unciis octo,
Fragorum,
Rosarum, ana unciis sedecim,

Digerantur per triduum, postea destillentur lento igne ex vesica ad dimidias.

Descriptio, quam modo dedimus, est Pharmacopœæ Augustanæ, in qua, cum a longo tempore apud nos in usu fuerit, nihil immutare voluimus.

*Constat ex aromatibus & calidis sanguinem commoventibus, unde caute mu-*

*lierculis ad abortum dispositis, siquidem plethoricæ sint, commendanda est, ne hæmorrhagias excitet. Prodest vero flatulentis & debilibus, potestque loco aquæ carminativæ adhiberi; externe non sine fructu, cum crusta panis calida, abdomini imponitur.*

*Ab uncia semis ad integram hauriri potest.*

## AQUA vel BALSAMUM EMBRYONUM correctior, *sive* ELIXIR VITÆ MULIERUM.

*REC.* Galangæ,
Zedoariæ ana unciam semis,
Herbæ Menthæ,
Melissæ ana unciam unam,
Florum Stœchadis Arabicæ,
Tunicæ,
Tiliæ ana drachmas quinque,
Seminis Sileris montani,
Fœniculi Cretici ana unciam semis,
Nucum moschatarum unciam unam,
Cinnamomi drachmas sex,
Corticum Aurantiorum recentium,
Citri recentium ana unciam unam semis.

Incisa & contusa infundantur Vini albi libris decem. Post digestionem viginti quatuor horarum, destillentur ad dimidias.

*Cum præcedenti convenit, tamen non adeo aromatica, calida & pretiosa, atque ad internum usum magis commendabilis est.*

*Dosis cochlearia duo vel tria.*

## AQUA EPIDEMICA LONDINENSIS.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Tormentillæ,
Gentianæ,
Zedoariæ,
Liquiritiæ,
Herbarum Chelidonii majoris,
Rorismarini,
Rutæ,
Salviæ,
Artemisiæ,
Absinthii,
Anagallidis,
Dracontiæ,
Scabiosæ,
Agrimoniæ,
Melissæ,
Scordii,
Centaurii minoris,
Cardui Benedicti,
Betonicæ,
Roris solis ana unciam unam.

Macerata in vini albi libris duodecim, destillentur ad dimidias.

*Medicis Anglis magni usus est hæc aqua in febribus epidemice grassantibus, malignis, & cum paucæ apud illos aquæ destillatæ simplices prostent, aquam hanc, cujus vires theriacales, vel, si mavis, bezoardicæ sunt, salubri instituto, in usum vocasse videntur.*

*Dosis ab uncia una ad uncias duas.*

## AQUA EPILEPTICA LANGII.

*REC.* Florum Liliorum convallium recentium uncias sex,
Lavendulæ unciam unam,
Rorismarini,
Stœchadis Arabicæ,
Tiliæ ana unciam semis,
Cinnamomi drachmas sex,
Nucum moschatarum unciam semis,
Piperis longi,
Cubebarum ana drachmas duas,
Visci querni,
Radicum Pæoniæ,
Fraxinellæ, sive Dictamni nostratis ana unciam semis.

Macera-

Macerata in Vini generosi libris octo per triduum, destillentur ad dimidias.

*Ad epilepsiam, vertiginem, apoplexiam, tum præservandi, tum curandi fine, in ipso paroxysmo, vulgo commendari solet; cum vero aqua sit aromatibus dives, facilis erit conjectura, quid in his morbis valere possit.*

*Assumi potest ea quantitate, qua aliæ aquæ spirituosæ.*

## AQUA FLORUM OMNIUM.

*REC.* Stercoris vaccini recentis, mense Junio collecti, quantum placet,

Includatur sacco lineo; & cum triplo aquæ fontanæ, ex vesica, leni igne destilletur, atque ex qualibet libra stercoris, libra una semis aquæ, proliciatur.

*Laudatur ad arthritidem, colicam, calculum, & urinæ suppressionem; externe inter cosmetica numeratur.*

## AQUA FORTIS.

*REC.* Vitrioli vulgaris ad rubedinem calcinati,
Nitri purissimi ana libras duas.

Trita misceantur & destillentur per retortam terream, igne aperto gradatim adhibito, in vas recipiens valde capax, juncturis luto probe obturatis, cui aquæ fontanæ libra una ante fit infusa.

*Rarus ejus usus in medendo, sed plurimum a chymicis & artificibus aliis expetitur.*

Spiritus Nitri, ope acidi vitriolici paratus, ab omni, quæ ipsi adhæret, labe vitriolica liberatur, abstractione a novo Nitro.

## AQUA AD GONORRHOEAM HOFFMANNI.

*REC.* Radicum Iridis Florentinæ uncias duas,
Herbæ Menthæ siccæ uncias tres,
Dictamni Cretici unciam unam,
Seminis Agni casti,
Rutæ ana uncias duas semis,
Terebinthinæ Venetæ uncias decem,
Vini albi generosi libras decem.

Fiat destillatio ex Mariæ Balneo ad dimidias.

*Non solum in gonorrhœa, sed & fluore albo fœmmarum, præmissa purgatione, insignis est utilitatis.*

*Dentur, suadente auctore, ægrotis mane horis duabus vel tribus ante pastum, & vesperi quatuor horis a cœna duo cochlearia.*

## AQUA GRISEA.

*REC.* Mercurii vivi,
Aquæ fortis ana unciam unam,

reponantur in locum calidum, ut solvatur Mercurius; solutioni adde decoctum sequens:

*REC.* Radicis Chelidonii majoris,
Aristolochiæ longæ,
Herbæ Rutæ hortensis,
Scordii,
Florum Rosarum ana unciam unam.

Coque in aquæ fontanæ libris novem, ut post colaturam remaneant libræ octo.

Misceantur calide, & statim abibunt in mixturam grisei coloris.

*Commendatur ad ulcera phagedænica, & specifice ad Synoviam.*

Convenit cum Liquore BELLOSTII.

## AQUA HIRUNDINUM CUM CASTOREO.

*REC.* Pullorum Hirundinum vivorum, in partes dissectorum numero quadraginta,
Foliorum Rutæ hortensis recentium uncias duas,

Caſtorei orientalis veri unciam unam,
Vini albi libras octo.

Miſceantur, & ſtatim ex veſica deſtillentur ad dimidias.

*Vires ſunt antepilepticæ & hyſtericæ.*

*Doſis ab uncia ſemis ad unciam unam per ſe vel cum aliis.*

## AQUA HIRUNDINUM SINE CASTOREO.

*REC.* Pullorum Hirundinum diſſectorum numero triginta,
Viſci querni,
Radicis Pœoniæ ana unciam unam ſemis,
Seminis ejusdem unciam unam,
Florum Liliorum convallium uncias quatuor,
Sambuci unciam unam ſemis,
Aquæ fontanæ libras decem.

Miſceantur, deſtillentur ad dimidias.

*Convenit cum præcedente, & infantibus etiam, qui caſtoreum plerumque nauſeant, & ſpirituoſa non ferunt, cum potionibus & mixturis, a drachmis duabus ad ſex, præſcribi poteſt.*

## AQUA HUNGARICA, ſive REGINÆ HUNGARIÆ.

*REC.* Herbæ & florum Rorismarini, una collectorum, libras quatuor,
Herbæ & florum Salviæ libram ſemis.
Zinziberis uncias duas.

Parum inciſa infundantur Spiritus Vini rectificati libris duodecim, aquæ fontanæ libris duabus, & deſtillatione ex veſica, leni igne, libræ undecim eliciantur.

Si ſpiritus prolectus denuo cohobetur de novis floribus, odoratui ſe magis commendabit.

*Uſus omnibus notus eſt externus, quippe in decubitu humorum, contuſionibus, tumoribus &c. adhibetur, vel ſola, vel aliis ſpirituoſis admixta.*

## AQUA HYSTERICA.

*REC.* Radicum Pœoniæ,
Zedoariæ,
Leviſtici,
Imperatoriæ ana unciam unam,
Herbarum Meliſſæ,
Matricariæ,
Menthæ,
Florum Chamomillæ Romanæ ana unciam unam ſemis,
Seminis Carvi,
Sileris montani,
Fœniculi,
Corticis Citri exterioris anà unciam unam.

Inciſa & contuſa infundantur
Spiritus vini rectificati libra dimidia,
Aquæ fontanæ libris ſeptem.

Digeſta per biduum deſtillentur lento igne, ex veſica, donec libræ quatuor liquoris habeantur.

*Carminativa eſt & anodyna. Prodeſt fœminis hyſtericis, & in defectu menſium, doloribus poſt partum, colicis & ſimilibus affectibus, non ſine ſucceſſu adhibetur.*

*Doſis ab uncia una ad unam ſemis.*

## AQUA LIGNI SASSAFRAS COMPOSITA.

*REC.* Lign. Saſſafras odorati libram ſemis,
Cinnamomi acuti uncias tres,
Vini generoſi libras decem.

Stent in digeſtione per aliquot dies, poſtea deſtillentur ad dimidias.

*Carminativa & ſtomachica eſt, atque ſenibus & phlegmaticis in affectibus catarrhalibus conducit, & cephalalgiam mitigat.*

*Doſis drachmæ duæ vel tres.*

## AQUA LILIORUM CONVALLIUM CUM VINO.

*REC.* Liliorum convallium recentium, absque ſtipitibus, libram unam.
Vini albi libras octo.

Poſt digeſtionem per triduum deſtillentur leni igne, ex veſica, ad dimidias.

*Commendatur apoplecticis & paralyticis, nervina, cordialis & ſtomachica eſt.*
*Doſis uncia una.*

## AQUA LOCH SANI ET EXPERTI.

*REC.* Radicum Ireos Florentinæ,
Liquiritiæ,
Herbarum Hyſſopi,
Capillorum Veneris,
Calaminthæ montanæ, ana uncias duas,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Cinnamomi electi uncias duas.

Inciſa & contuſa macerentur in aquæ fontanæ libris decem, & poſt digeſtionem per triduum, deſtillentur ex veſica, usque dum libræ quatuor reſtent.

*Eſt ſaporis & odoris grati, nec etiam effectu pectorali deſtituta. Cum illa paratur Loch ſic dictum ſanum & expertum.*
*In doſis copia non facile exceditur, & ab uncia una ſemis ad duas exhiberi poteſt.*

## AQUA MAGNANIMITATIS.

*REC.* Formicarum, Majo vel Junio collectarum, libras duas,
Spiritus Vini rectificati libras tres.

Macerentur per quinque vel ſex dies, & poſtea in Balneo Mariæ abſtrahatur ſpiritus ad ſiccitatem, in quo denuo infundantur
Cinnamomi electi uncia una,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cardamomi minoris ana drachmæ ſex,
Cubebarum uncia ſemis,
Zedoariæ drachmæ decem.

Poſt digeſtionem per triduum abſtrahantur in Balneo Mariæ.

*Commendatur ad vitia nervorum frigida, Venerem languidam, & id genus alia; articulos a paralyſi debilitatos externe adhibita mire corroborat.*
*Doſis drachmæ duæ ad unciam ſemis.*

## AQUA MASTICHINA.

*REC.* Maſtiches uncias quatuor,
Nucum moſchatarum unciam unam.

Contuſis, & per triduum in ſpiritus vini rectificati libra una maceratis, addantur aquæ fontanæ libræ quatuor, deſtillentur ex veſica, leni igne, donec reſiduum ſit librarum duarum, liquor lacteus prodiens ſervetur.

*Aqua hæc vires habet ſtomachum confortantes, hinc in ſingultu, ciborum faſtidio, flatulentia, diarrhœa & vomitu commendatur.*
*Doſis ab uncia dimidia ad integram.*

## AQUA ANTI-MELANCHOLICA.

*REC.* Radicum Bugloſſi recentium uncias quatuor,
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Anthos ana unciam unam,
Croci Auſtriaci drachmas duas,
Flavedinis corticum Citri uncias duas,
Fructuum ſive pomorum Cydoniorum recentium, odoratorum uncias ſex,

Inciſa infundantur in vini albi libris octo, maceratione per viginti qua-

tuor horas peracta, deſtillentur ad dimidias.

*Commendatur melancholicis, atque mentis torporem, mœſtitiam & timorem auferre creditur.*

*Doſis uncia una vel duæ.*

## AQUA MELISSÆ ANTIHYSTERICA.

*REC.* Foliorum Meliſſæ recentium libram unam,
Baccarum Lauri,
Seminis Cumini ana unciam unam,
Myrrhæ electæ unciam ſemis,
Caſtorei drachmas duas,
Vini albi ſpirituoſi libras duodecim,

Poſt ſufficientem digeſtionem deſtillentur ad dimidias.

*Vires ex titulo patent, nimirum anthyſtericæ, carminativæ.*

*Doſis uncia ſemis ad integram.*

## AQUA MELISSÆ CUM VINO.

*REC.* Herbæ Meliſſæ recentis libras duas,
Vini albi libras octo.

Deſtillentur ad dimidias.

*Cenſetur ſtomachica, cordialis & hyſterica.*

*Doſis uncia una vel una ſemis.*

## AQUA MELISSÆ SPIRITUOSA COMPOSITA, *EAU DES CARMES*, DICTA.

*REC.* Herbæ Meliſſæ recentis libram unam ſemis,
Flavedinis corticum citri recentium uncias quatuor,
Nucum moſchatarum,
Seminis Coriandri ana uncias duas,
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum ana unciam unam.

Inciſis affundantur
Spiritus vini rectificati libræ ſex,
Aquæ Meliſſæ libræ duæ.

Poſt digeſtionem per biduum, deſtillentur ad quintæ partis remanentiam; ſpiritus eductus ſervetur.

*Inter aquas ſpirituoſas eminet; commendatur adverſus apoplexiam, paralyſin, & quoscunque morbos nervorum, a cauſa frigida ortos. Stomachicum & carminativum eſt egregium; externe adhibetur ad ſpaſticos & rheumaticos dolores, cephalalgiam, vomitum, colicam &c.*

*Doſis a drachma una ad drachmas tres.*

*Pro uſu externo tinctura Croci tingi ſolet.*

## AQUA MERCURIALIS AD USUS EXTERNOS.

*REC.* Ceruſſæ Venetæ unciam unam,
Aluminis crudi drachmas ſex,
Lithargyrii unciam ſemis,
Mercurii ſublimati corroſivi,
Salis ammoniaci ana drachmam unam,
Aquæ Solani,
Plantaginis,
Roſarum,
Nymphææ ana uncias quatuor,
Aceti Vini libram ſemis.

Trita & commixta modicum bulliant, poſtea non colata ſerventur.

*Prodeſt cuti deformatæ, ad verrucas, ſcabiem malignam, ſerpiginem, ficus, fiſſuras, ulcera venerea, vel ubi ſeptico & mundificante opus eſt, penicillo illita. Unciam unam ingrediuntur mercurii ſublimati grana duo ſemis.*

## AQUA MYRRHÆ.

*REC.* Myrrhæ rubræ uncias octo,
In pulverem comminutis, infunde
Aquæ fontanæ libras ſex,

& poſt digeſtionem per triduum, in loco calido factam, deſtilla lento igne, atque aquæ oleoſæ, ſuaviſſimi odoris, libras quatuor elice.

*Commendatur in affectibus, a vitio menſium*

*ſium ortis, & morbis pectoris atque ventriculi.*

*Doſis uncia una.*

E reſiduo in veſica extractum Myrrhæ parari poteſt, ſi per pannum laneum colatur, & leni igne ad mellis conſiſtentiam evaporatur.

## AQUA ODORIFERA.

*REC.* Herbæ Rorismarini,
Majoranæ ana unciam unam,
Florum Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Roſarum ana uncias duas,
Ligni Rhodii,
Corticis citri recentis ana unciam unam ſemis,
Cinnamomi acuti uncias duas,
Caryophyllorum aromaticorum unciam unam ſemis.

Mixtis & contuſis affundantur
Spiritus vini rectificati libræ octo,
Aquæ fontanæ libræ quatuor,
& poſt digeſtionem per triduum, leni igne tres quartæ inde deſtillentur.

*Ob odoris fragrantiam in animi deliquiis non ſolum naribus, ſed & pectori & pulſibus applicari ſolet.*

## AQUA OPHTHALMICA SAPPHIREA.

*REC.* Aquæ calcis vivæ libram unam,
Salis armoniaci drachmam unam.

Miſceantur, ſtent per viginti quatuor horas in vaſe cupreo, a quo aqua, colorem ſapphireum nacta filtretur & ſervetur.

*Præfertur aliis collyriis, atque ad plerosque oculorum affectus commendatur. Vim habet refrigerantem, deficcantem & mundificantem Inſtillatur vel oculis, vel mediantibus linteis applicatur.*





## AQUA PANIS.

*REC.* Cruſtæ panis recenter e clibano extracti, & adhuc calentis, libras duas,
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum,
Nucum moſchatarum ana unciam dimidiam,
Vini albi ſpirituoſi libras octo.

Deſtillentur leni igne ad dimidias.

*Inter aquas ſtomachicas & analepticas eminet, & guſtui grata eſt.*

*Doſis uncia dimidia ad integram.*

## AQUA PHAGEDÆNICA.

*REC.* Aquæ calcis vivæ uncias ſedecim.

In hac diſſolve
Mercurii ſublimati corroſivi grana viginti quatuor.

Serva.

*Ad exulcerationes externas, carnem luxuriantem & fœda inprimis ulcera venerea mundificanda & conſolidanda feliciter adhibetur.*

*Hac mercurii ſublimati ad aquam calcis proportione mercurius fere omnis colore aurantio præcipitatur. Obtinetur ita medicamentum mite, dolorem non excitans. Si major mercurii ſublimati quantitas additur, hic aqua ſolutus tenetur, nec ultra præcipitatur; eritque aqua talis phagedænica leniter corroſiva, carnem luxuriantem magis exedens. Pro ratione circumſtantiarum & fine Chirurgi doſis mercurii ſublimati vel prudenter minui, vel augeri poteſt.*

## AQUA PHYSAGOGA.

*REC.* Seminis Aniſi libram unam,
Sileris montani unciam unam ſemis,
Cinnamomi acuti uncias duas,
Nucum moſchatarum,
Galangæ,
Macis,

Caryophyllorum aromaticorum ana unciam ſemis,
Contuſa macerentur per triduum in Vini albi generoſi libris ſedecim,
Spiritus vini rectificati libris duabus,
& deſtillentur leni igne ad dimidias.

*Ventriculum & inteſtina roborat, & nomen ſuum tuetur.*
*Doſis ab uncia dimidia ad integram.*

## AQUA PROPHYLACTICA, ſive ACETUM BEZOARDICUM SYLVII.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Zedoariæ ana unciam unam,
Petaſitidis uncias duas,
Foliorum Rutæ hortenſis uncias quatuor,
Meliſſæ,
Scabioſæ,
Florum Calendulæ ana uncias duas,
Nucum juglandium immaturarum, conſciſſarum libras duas,
Pomorum Citreorum recentium, conſciſſorum libram unam.

Contuſis omnibus affunde aceti vini optimi libras duodecim. Digerantur per noctem, mane deſtillentur igne lento, ad ſiccitatem fere, cavendo empyrevma.

*Summis laudibus celeberrimus Autor effert ad curationem febrium, continuarum inprimis, & admiſceri jubet potui ordinario, mixturis, potionibus, juſculis &c. exhibet eam ad ſudores modeſte proliciendos, bilis acrimoniam obtundendam, ſitim compeſcendam, vomitum cohibendum, oris amaroren emendandum, præſertim in peſte & cunctis affectibus epidemicis eximiam eſſe vult; externus ejus uſus eſt, ut pulſibus & naribus admoveatur.*



*Exhiberi ſolet ab uncia ſemis, ad unciam unam ſemis.*

## AQUA REGIS.

*REC.* Aquæ fortis uncias ſex,
Salis ammoniaci albi unciam unam.
Mixta ſerventur.

*Uſus chymicus potiſſimum eſt ad ſolvendum aurum; medicus non, niſi raviſſime, ſi unquam.*

## AQUA SALVIÆ COMPOSITA.

*REC.* Foliorum Salviæ recentium uncias octo,
Rorismarini,
Serpilli,
Thymi ana unciam unam,
Cardamomi utriusque drachmas ſex,
Macis,
Nucum moſchatarum,
Caryophyllorum,
Zedoariæ,
Galangæ,
Calami aromatici, ana unciam dimidiam,
Vini ſpirituoſi libras octo,
Spiritus vini rectificati libras quatuor,

Poſt ſufficientem digeſtionem, deſtillentur lento igne ad quartæ partis remanentiam.

*Vires cum Aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ viribus conveniunt.*

*Doſis uncia ſemis ad drachmas ſex.*

## AQUA SAPPHIREA.

Videatur AQUA OPHTHALMICA SAPPHIREA.

## AQUA SPERMATIS RANARUM.

Deſtillatur, ſine alius aquæ additione, ex recens collecto ſpermate, ſacculo lineo, ne alembicum transſcendat,

ſcendat, incluſo, ad tertiæ partis remanentiam.

*Uſus eſt coſmeticus, & ad faciei ruborem, atque in collyriis adhibetur.*

## AQUA SPLENETICA.

*REC.* Aquæ Meliſſæ,
Menthæ,
Epilepticæ Langii ana uncias tres.
Mixturæ ſimplicis Ludovici drachmas tres,
Eſſentiæ Caſtorei drachmam unam,
Elæoſacchari Succini drachmas duas.

Miſceantur.

*Uſus in affectibus ſplenetico-hyſtericis ad unciam ſemis, vel drachmas ſex.*

## AQUA STOMACHICA.

*REC.* Summitatum Menthæ criſpæ recentis uncias tres,
Galangæ,
Nucum moſchatarum,
Cinnamomi ana unciam unam,
Vini ſpirituoſi libras octo.

Deſtillentur ad dimidias.

*Vires ex ipſa denominatione patent.*

*Doſis uncia ſemis ad integram.*

## AQUA THERIACALIS COMPOSITA.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Valerianæ,
Cardopatii,
Oſtrutii,
Zedoariæ ana unciam unam,
Herbarum Scordii,
Rutæ ana unciam unam ſemis,
Corticum Citri recentium uncias duas,
Baccarum Juniperi unciam unam,
Theriacæ Andromachi libram ſemis.
Aquæ fontanæ libras decem.

Miſceantur, & proliciantur per deſtillationem aquæ libræ ſex.

*Eſt alexipharmaca, ſtomachica, atque carminativa, & in febribus malignis, affectibus ventriculi, vomitu, tormimibus, dyſenteria, additur mixturis & potionibus.*

*Doſis ab uncia dimidia ad integram.*

## AQUA THERIACALIS SIMPLEX.

*REC.* Theriacæ Andromachi uncias quatuor,
Vini albi libras quinque.

Abſtrahantur libræ duæ ſemis.

*Alexipharmaca cenſetur, & a theriacæ ingredientibus vim habet ſtomachum confortandi & carminativam.*

## AQUA TYPHORUM CERVI COMPOSITA.

*REC* Typhorum Cervi ſucculentorum libras duas ſemis,
Radicum Pæoniæ unciam unam,
Herbæ Meliſſæ,
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Roriſmarini,
Tunicæ ana unciam unam ſemis,
Roſarum unciam ſemis,

Inciſis affundantur
Vini albi ſpirituoſi libræ duodecim.

Deſtillentur leni igne ad dimidias.

*Vires habentur alexipharmacæ, cordiales & antimelancholicæ.*

*Doſis uncia una, vel duæ.*

## AQUA TYPHORUM CERVI SIMPLEX.

*REC.* Cornua cervi recentia ſucculenta conſcindantur in fruſtula, & ad libram unam addantur libræ tres Vini generoſi, deſtillentur ex Mariæ Balneo ad dimidias.

*Ad partum difficilem, & in febribus malignis magnarum prædicatur esse virium.*

*Dosis ad unciam unam, vel unciam unam semis.*

*Destillatur etiam per se, absque vini additione ex M. B. grata satis, sed & cara.*

## AQUA VERONICÆ CUM VINO.

*REC.* Herbæ Veronicæ floreſcentis libras tres,
Vini albi libras octo.

Poſtquam per aliquot dies ad incipientem usque fermentationem in loco temperato ſteterunt,

Deſtillentur lento igne ad dimidias.

*Balſamica, vulneraria & tonica eſt. Commendatur tam in tuſſi pulmonali, quam hypochondriaca, inprimis ſenibus aſthmaticis & ad maraſmum diſpoſitis convenit.*

*Doſis bis vel ter in die ab uncia una ad unciam unam ſemis.*

## AQUA VISCERALIS MAUCHARTI.

*REC.* Rad.recent. Symphyti majoris,
Liquiritiæ,
Farfaræ ana uncias quinque,
Herb.recent. Bugulæ,
Chærefolii,
Hederæ terreſtris,
Hyperici florentis,
Plantaginis minoris,
Scabioſæ,
Veronicæ, ana manipulos quatuor,
Seminis Aniſi ſtellati drachmas ſex,
Macis drachmam unam,
Maſtiches electæ drachmas tres,
Cancrorum fluviatilium vivorum N^ro triginta,
Pulmonem vituli recens mactati,
Inciſis ſuperfundantur
Aquæ Bugloſſi,
Chærefolii,
Hederæ terreſtris,
Veronicæ, ana libra una ſemis,

Deſtillentur per Balneum Mariæ, atque libræ quatuor liquoris eliciantur.

*Vulneraria eſt, demulcet, & præſertim phthiſicis, atrophicis & hecticis convenit.*

*Doſis uncia una, aut altera.*

## AQUA VITÆ MULIERUM.

Videatur AQUA EMBRYONUM correctior.

## AQUA VULNERARIA, Gallis *Eau d'arquebuſade* dicta.

*REC.* Herb.recent. Agrimoniæ,
Alchimillæ ana manipulos duos,
Ariſtolochiæ,
Artemiſiæ ana manipulos quatuor,
Bellidis majoris,
minoris,
Betonicæ,
Bugloſſi ana manipulos duos,
Conſolidæ Saracenicæ manipulos quatuor,
Fœniculi,
Hyperici,
Plantaginis utriusque,
Saniculæ ana manipulos duos,
Salviæ hortenſis manipulos quatuor,
Scrophulariæ,
Verbenæ ana manipulos duos.

Inciſis affundantur vini ſpirituoſi libræ quadraginta, & poſt digeſtionem aliquot dierum, donec fermentare paululum

paululum incipiant, deſtillentur lento igne, ex veſica ad dimidias; aqua ſpirituoſa ſervetur.

*Laudatur aqua hæc ad contuſiones, ſugillationes, luxationes, ambuſta, inflammationes, gangrænam præcavendam, ad vulnera, nec non ad partes roborandas. Sunt, qui etiam interne adhibere ſolent, ad flatus & tormina diſcutienda, ſpirituoſa enim eſt & aromatica.*

*Deſcriptio eſt e Diſpenſatorio Brandenburgico, atque pro genuina habetur, idcirco in officina aulica regia uſualis.*

## AQUÆ VULNERARIÆ deſcriptio *Pharmacopœæ Pariſienſis.*

*REC.* Radicis recentis Symphyti majoris,
Foliorum ejusdem,
Bellidis majoris & minoris,
Bugulæ,
Saniculæ,
Betonicæ,
Scrophulariæ,
Plantaginis,
Agrimoniæ,
Hyperici cum ſummitatibus,
Vincæ per vincæ,
Hederæ terreſtris,
Artemiſiæ,
Veronicæ,
Verbenæ,
Telephii majoris,
Millefolii ana uncias quatuor,
Salviæ,
Angelicæ,
Tanaceti,
Abſinthii,
Chelidonii majoris,
Fœniculi,
Ariſtolochiæ clematitidis,
Menthæ,
Hyſſopi,
Nicotianæ ana uncias octo,
Rutæ,
Chamomillæ,
Scordii,
Majoranæ,
Rorismarini ana uncias quatuor,
Summitatum & Florum,
Lavendulæ,
Origani,
Calaminthæ, ana uncias ſex.

Macerentur per quatriduum in vini generoſi libris quinquaginta, ponderis civilis, poſtea deſtillentur ad dimidias.

Si ſpirituoſa expetitur hæc aqua vulneraria, loco vini, herbis modo præſcriptis ſpiritus vini non rectificati ſuperaffundantur libræ quinquaginta, atque deſtillentur.

*Vires ſunt eædem, quæ præcedentis.*

## AQUA ZEDOARIÆ ANISATA.

*REC.* Zedoariæ uncias ſex,
Seminis Aniſi uncias tres,
Corticum citri unciam unam.

Inciſa infunde per triduum in vini generoſi libris decem.

Poſtea deſtillentur ad dimidias.

*Easdem cum ſuccedenti habet vires, flatus diſcutit, & tormina exinde oborta.*

*Ab uncia dimidia ad unciam integram aſſumi poteſt.*

## AQUA ZEDOARIÆ SIMPLEX.

*REC.* Zedoariæ uncias octo,
Vini generoſi libras octo.

Deſtillentur ad dimidias.

*Eſt carminativa & alexipharmaca.*

*Doſis uncia dimidia ad integram.*

## ARCANUM CORALLINUM.

*REC.* Mercurii vivi puriſſimi uncias quatuor.

Solvantur in Spiritus nitri ſufficienti quantitate, vel unciis circiter octo; ſolutio committatur retortæ, & leni igne liquidum evocetur. Tunc augeatur ignis, & retorta undique carbonibus vivis obruatur, ut omnes ſpiritus expellantur; quo peracto refrigeſcat. Retorta caute diffracta, invenietur in ejus fundo Mercurius præcipitatus, coccineo colore ſplendens; ſublimatum quod ad collum retortæ hæret, corroſivum, provide ſeparari debet. Præcipitatum rubrum, quod in fundo reperitur, in mortario vitreo optime tere, inter terendum Olei Tartari per deliquium uncias tres vel quatuor affunde, atque diu & multum piſtillo agita; tandem, affuſa aqua copioſa, omnem ſalſedinem elue, & pulverem rubrum exſicca. Cicuratur hac trituratione cum Oleo Tartari alcalino, corroſivum acidum; quod ad grana duo, tria, vel quatuor, ſine periculo, dari poteſt.

*Uſus Arcani corallini, in diaphoreſi promovenda, a multis commendatur, ſtimulum alvum ducentibus pharmacis addit, & ad ciendum ſalivæ fluxum interdum adhibetur. Plurimi tamen ab uſu interno præparati hujus, licet mitigati, merito abſtinent.*

## ARCANUM DUPLICATUM, ſive NITRUM VITRIOLATUM.

*REC.* Vitrioli Ungarici, vel alius martialis, libras duas,
ſolvantur in
Aquæ calidæ fontanæ libris octo, vel decem;
Nitri fixi tantundem in aquæ fontanæ libris quinque ſoluti.

Ambas ſolutiones filtratas ſenſim commiſce, Nitri fixi ſolutionem Vitrioli lente infundendo; præcipitabitur terra metallica; cum quodam efferveſcentiæ indicio; affundatur ſolutio alcalina ad punctum ſaturationis usque; filtretur poſtea permixtus liquor. Terra præcipitata eluatur affuſa aqua calida, ut omnis extrahatur ſalſedo. Evaporentur permixti liquores ad cuticulam, & ad cryſtalliſationem reponantur.

*Sal medium hoc, Tartaro vitriolato Tacheniano per omnia ſimile; medicamentum in malo hypochondriaco, febribus, verbo, in obſtructionibus, & detergendis ventriculo atque inteſtinis a viſcidis humoribus, egregios effectus præſtat. Alvum ducit, a ſcrupulo ad ſcrupulos duos & drachmam integram exhibitum. Commiſcetur vero plerumque abſorbentibus, & ita etiam adminiſtratum, ad incidendos viſcidos humores in primis viis, multum valere deprehenditur. Animadvertendum magnopere eſt, ut bene ſit præparatum, atque metallicæ particulæ penitus ſint præcipitatæ, (quod fit ſufficiente ſolutionis Nitri fixi additione,) alias facile nauſeam & vomitum excitat.*

*Nota.* Parari plerumque ſolet ſic dictum hoc Arcanum duplicatum ex reſiduo Aquæ fortis, vehementiſſimo igne calcinato, & ſufficienti quantitate aquæ ſoluto. Si affuſione portione quadam liquoris nitri fixi reſiduæ forſan metallicæ Vitrioli particulæ penitus fuerint præcipitatæ, filtratione & cryſtalliſatione æque ſecurum, idque minori conſtans pretio, præbet Arcanum duplicatum, ac ſuperior præſcriptio.

## ARCANUM TARTARI, ſive TERRA FOLIATA TARTARI.

*REC.* Salis Tartari albiſſimi uncias quatuor,
Aceti vini deſtillati libras ſex,

Com-

Commiſceantur, & evaporetur acetum in vaſe ſigulino probe vitreato, ad ſiccitatem, in fine leniſſimum ignis gradum adhibendo. Si non ſatis forſan alcali ab aceto ſaturatum fuerit, quod guſtu deprehendetur, denuo acetum vini deſtillatum affundatur, usque dum nulla amplius efferveſcentia oriatur, atque eodem modo tractetur. Remanentia ſalina aqua fontana frigida ſolvitur, atque ſolutio per chartam bibulam filtrata, rurſus, uti antea dictum, evaporatur, & ſiccata, in vitro probe clauſo, loco calido, ne liqueſcat, ſervatur.

*Eſt Medicamentum blandum, ſaponaceum, incidit, reſolvit, abſtergit, urinam & alvum movet.*

*A ſcrupulo uno, ad drachmam unam, in vehiculo aquoſo, exhiberi poteſt.*

Solvitur penitus a ſpiritu vini, & tincturam eximiam præbet ſpleneticam, antihypochondriacam, arthriticam, nephriticam, & quintæ eſſentiæ vini nomen meretur, quæ a guttis XL. ad LX. commendari ſolet. Videatur LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI.

## AURUM FULMINANS.

*REC.* Auri puriſſimi drachmas duas,
Solvantur in
Aquæ Regis unciis duabus,

Solutioni inſtilletur ſpiritus ſalis armoniaci volatilis aquoſi, quantum ſatis, ad plenariam auri præcipitationem; præcipitatum, repetita affuſione & ablutione aquæ fontanæ, edulcora, & pulverem luteo-fuſci coloris, charta bibula exceptum, & leniſſimo calore exſiccatum, in vitro ad uſum ſerva.

Aſſumtum Auri pondus una tertia parte ſolet ſuperare, ob ſalia Auro præcipitato arcte adhærentia.

*Nota.* Aurum fulminans, ſi non ex puro Auro, ut vulgo fieri ſolet, præparatum fuerit, tormina vehementia excitat. Neque vero nummi, quos *Ducatos* vocant, ex puriſſimo Auro cuſi ſunt, ſed ſemper aliquid & circiter vigeſima quarta pars cupri vel argenti additur, quod monetarii *legare* dicunt; Cuprum vero ab aqua regis etiam ſolvitur, & cum auro præcipitatur. Opus igitur eſt, ut depuretur antea, quod optime per encheireſin illam, quam in arte ſeparatoria periti *quartam* vocant, fit: Auri nimirum pars una, cum tribus argenti, funditur, poſtea in aqua forti ſolvitur; ita aurum in fundo remanet. Ut autem conſtet, omne argentum auro extractum & ab aqua forti ſolutum eſſe, ſuperaffundatur alia, repetatur tertio, & leni calore ebulliat; denique effundatur aqua fortis, & regia ejus loco affundatur, qua ſolvetur aurum, purum jam & aptum, ex quo fulminans paretur.

*Refertur aurum fulminans ad purgantia; ſolet vero, ſi multos in primis viis humores acidos inveniat, ſatis vehementer atque copioſe evacuare, ſin minus, mitius eſt. Sunt, qui teneris infantibus præſcribunt, magnas autem nonnunquam anxietates illis excitaſſe compertum eſt, ut caute hoc medicamento ſuſpecto, præſertim in delicatulis, utendum præcipiamus. Excrementa colore nigro, ſicut martialia ſolent, tingit; aliquando, loco purgationis per alvum, valida ſatis diaphoreſis evenit.*

*Doſis granum unum ad quinque.*

## BACILLI AD FORNACEM.

Videatur MASSA AD FORNACEM.

## BACILLI DE LIQUIRITIA ALBI.

*REC.* Gummi Arabici,

Specierum diaireos ſimplicium,
diatragacanthæ ana
unciam ſemis,
Radicis Liquiritiæ,
Amyli ana unciam unam.

Terantur omnia in pollinem ſubtiliſſimum, cui addantur
Sacchari albi pulveriſati libræ duæ,
Mucilaginis Tragacanthæ quantum ſatis;

Pinſantur in mortario, fiat maſſa, ex qua formentur, pro lubitu, bacilli, qui ſub nomine LIQUIRITIÆ ALBÆ COCTÆ reponantur.

## BACILLI DE LIQUIRITIA CITRINI.

*REC.* Liquiritiæ pulveriſatæ unciam unam,
Iridis florentinæ,
Amyli albi ana unciam ſemis,
Croci ſubtiliſſime triti ſcrupulum unum,
Sacchari albi libram unam.

Fiat, ſufficiente quantitate mucilaginis Tragacanthæ, maſſa, ex qua formentur bacilli.

*In catarrhis & defluxionibus acribus ad fauces, indeque orta tuſſi ſicca, & raucedine proſunt.*

## BALSAMUM APOPLECTICUM.

*REC.* Olei Nuciſtæ expreſſi uncias tres ſemis,
Jasmini,
Cinnamomi,
Ligni rhodii ana drachmam unam ſemis,
Lavendulæ,
Majoranæ,
Caryophyllorum ana drachmam unam,
Rutæ,
Succini ana ſcrupulum unum,
Moſchi,
Ambræ ana grana ſedecim,
Zibethi ſcrupulum ſemis,
Balſami Peruviani ſcrupulos duos,
Spodii nigri præparati quantum ſatis pro colore.

Oleo nuciſtæ lento igne liquato, inſtillentur olea deſtillata, Moſchus & Ambra cum ſpiritu roſato trita, Zibethum & balſamum Peruvianum in fine addantur.

Parari etiam absque Moſcho, Ambra & Zibetho debet, pro illis, qui horum odorem perferre nequeunt.

*Apoplecticorum naribus, vertici, temporibusque illitum, potiſſimum vero, ob odoris commendationem, expeti ſolet.*

## BALSAMUM ARCÆI.

*REC.* Terebinthinæ Venetæ,
Gummi, vel potius reſinæ Elemi,
Sevi cervini ana uncias duas,
Olei Hyperici unciam unam,
Sandali rubri drachmam unam.

Gummi Elemi in Terebinthina leniſſimo igne ſolvitur, quibus ſucceſſive adduntur ſevum & oleum Hyperici, in alio vaſe liquata.

*Præſtans vulnerarium & digeſtivum eſt, quod in vulneribus feliciter adhibetur.*

## BALSAMUM CARYOPHYLLORUM.

*REC.* Olei deſtillati Caryophyllorum drachmam unam,
Nuciſtæ expreſſi drachmas duas ſemis,

Mixtis colorem concilia pulvere tenuiſſimo caryophyllorum, vel Boleti cervini.

*Balſama ſimplicia ex olei virtute, e quo parata ſunt, æſtimantur.*

## BALSAMUM CEPHALICUM SAXONICUM.

*REC.* Olei deſtillati Lavendulæ,
Succini albi ana ſcrupulum unum,
Pule-

Olei deſtillati Pulegii,
Majoranæ,
Salviæ,
Anthos,
Saturejæ ana grana quindecim,
Macis,
Rutæ ana ſcrupulum ſemis,
Menthæ,
Origani ana grana duodecim,
Nucis moſchatæ expreſſi unciam unam.

Miſceantur & fiat Balſamum.

*Cephalicum eſt, nervinum, ſtomachicum, roborans, &c.*

## BALSAMUM CINNAMOMI.

*REC.* Olei deſtillati Cinnamomi drachmam unam,
Nuciſtæ expreſſi, ope ſpiritus Vini, odore ſuo privati, drachmas duas ſemis,

Fiat Balſamum, Bolo Armena tingendum.

*Præſtantiſſimum eſt in omnibus affectibus, in quibus balſamo opus eſt, & propter ſuaviſſimum odorem, quem nemo facile faſtidit, omnibus commendari poteſt.*

## BALSAMUM COMMENDATORIS DE PERNE.

*REC.* Balſami Indici ſicci unciam unam,
Styracis in granis uncias duas,
Benzoës electæ uncias tres,
Olibani electi unciam ſemis.

Trita ſolvantur in
Spiritus Vini rectificatiſſimi unciis quindecim.

Solutio per chartam filtrata ſervetur.

Seorſim infundantur, in
Spiritus Vini rectificatiſſimi unciis decem,
Radicis Angelicæ,
Herbæ Millefolii,
Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ ana uncia dimidia.

Digeſta & ſufficienter extracta exprimantur; Eſſentia, pariter per chartam filtrata, ſuperiori ſolutioni addatur, & optime per digeſtionem mixta ſerventur.

*Multis laudibus evehitur hoc balſamum a Pometo, qui nobis deſcriptionem ſuppeditavit, & tam internus ejus uſus, quam externus, magnopere in variis morbis, & omnis generis vulneribus & ulceribus commendatur; nec etiam laud. ſua Eſſentiam hanc balſamicam privandam eſſe cenſemus. Monemus tamen, interne illud cum circumſpectione, & in parva doſi, ne ſanguinem exæſtuet, præſcribere; ſufficiunt guttæ decem, vel quindecim, vitello ovi vel ſaccbari pulvere, mixtæ, cum vehiculo aquoſo exhibere.*

## BALSAMUM EMBRYONUM.

Videatur AQUA EMBRYONUM.

## BALSAMUM LAVENDULÆ.

*REC.* Olei deſtillati Lavendulæ drachmam unam,
Nuciſtæ expreſſi, odore & colore ope ſpiritus vini viduati, drachmas duas ſemis.

Mixta tingantur cœruleo montano.

## BALSAMUM LOCATELLI.

*REC.* Olei Olivarum uncias ſex,
Ceræ citrinæ uncias quatuor,
Vini Canarienſis uncias quinque.

Leni igne, ad conſumtionem vini coctis, adde
Terebinthinæ Venetæ claræ uncias ſex,
Balſami Peruviani drachmas duas,
Sandali rubri unciam ſemis.

*Ad vulnera, contuſiones, variasque læ-*

*ſiones internas pariter, ac externas, commendatur;*

*Interne propinatur a drachmis duabus, ad unciam ſemis in juſculo.*

## BALSAMUM MAGICUM PFORTZHEIMENSE.

*REC.* Radicum Succiſæ,
Valerianæ,
Filicis,
Hirundinariæ,
Leviſtici ana unciam ſemis,
Herbæ Antirrhini,
Sideritidis,
Adianti aurei,
nigri,
albi,
Salviæ ſilveſtris,
Rutæ, cum ſummitatibus,
Menthæ criſpæ ana unciam ſemis,
Florum Hyperici uncias quatuor,
Viſci corylini,
querni ana unciam unam,
Fructus Momordicæ uncias duas.

Radices, herbæ, flores recentes & reliqua incidantur & contundantur, atque in
Olei Olivarum puriſſimi, & vini boni ana libris duabus ſemis
macerentur, poſtquam per viginti quatuor horas ſteterint, ad humiditatis conſumtionem, leni igne coquantur, & expreſſis addatur
Olei Scorpionum compoſiti,
Terebinthinæ Venetæ,
Axungiæ hominis ana uncia una ſemis,
Ceræ citrinæ libra ſemis.

His refrigeratis porro admiſceatur
Pulveris Mumiæ,
Maſtichis,
Olibani,
Myrrhæ ana uncia una,
Aſæ fœtidæ uncia ſemis.

Probe ſubacta ſerventur in vitro.

*Vires hujus balſami prædicantur antimagicæ, contra maleficia & incantationes. Externe adhibitum, nervoſum genus roborat, interne calculum & vermes expellit, ulceraque ſanat.*

*Doſis interne a drachmis tribus ad ſex.*

## BALSAMUM MAJORANÆ.

*REC.* Olei Majoranæ deſtillati drachmam unam,
Nucis moſchatæ expreſſi drachmas duas ſemis.

Miſceantur.

*Vires ſunt cephalicæ, nervinæ & errhinæ.*

## BALSAMUM NUCISTÆ.

*REC.* Olei Nuciſtæ expreſſi drachmas duas,
deſtillati ſcrupulos duos,

Miſceantur.

*Vires habet ſtomachicas, cephalicas, nervinas, atque bono cum effectu in diarrhœa infantum adhibetur.*

## BALSAMUM ODONTALGICUM.

*REC.* Olei ligni ſancti drachmas duas,
Caryophyllorum drachmam unam,
Opii,
Camphoræ ana ſcrupulos duos,
Olei Nuciſtæ expreſſi drachmas ſex,

Opium & Camphora ſpiritus vini pauxillo ſoluta, miſceantur cum reliquis.

*Vires in ſiſtendis graviſſimis dentium doloribus compertæ ſunt, ſi vel ſolum, vel goſſypio exceptum, cavitatibus dentium applicetur.*

## BALSAMUM RUTÆ.

Fit eodem modo, quo Balſamum Lavendulæ, loco Olei Lavendulæ, Oleum Rutæ ſumendo, atque pauxillo florum viridis æris tingendo.

*Commen-*

*Commendatur hyſtericis atque epilepticis.*

## BALSAMUM SOMNIFERUM.

*REC.* Unguenti Populei,
Olei Nuciſtæ expreſſi ana unciam unam,
Opii, in ſpiritu vini diſſoluti drachmam unam,
Olei ligni Rhodii guttas ſedecim.
Miſce, fiat balſamum.

*Naribus, temporibus, & pulſibus illitum, in capitis dolore ſopiendo, & impediendis nimiis vigiliis, prodeſt.*

## BALSAMUM STOMACHICUM.

*REC.* Olei Abſinthii deſtillati,
Corticum Aurantiorum,
Caryophyllorum,
Macis,
Menthæ ana drachmam ſemis,
Balſami de Peru drachmam unam,
Olei Nuciſtæ expreſſi unciam unam.
Miſce, fiat balſamum.

*Ventriculum confortat, vomitus & ſingultum ſiſtit, flatus & ructus pellit ac diſcutit, epigaſtricæ regioni illitum.*

## BALSAMUM SUCCINI.

*REC.* Olei Nucis Moſchatæ expreſſi drachmas duas ſemis,
Olei deſtillati Succini drachmam unam.
Miſce, fiat balſamum.

*In affectibus hyſtericis, cephalalgia mulierum, & ſpaſmis infantum externe adhiberi ſolet.*

## BALSAMUM SULPHURIS AMYGDALATUM.

*REC.* Florum Sulphuris unciam unam,
Olei Amygdalarum dulcium recens expreſſi uncias ſex.
Digerantur in arena calore convenienti per dies aliquot, donec oleum colore ſit tinctum rubro. Refrigerato vaſe Balſamum ſeparetur a ſulphure non ſoluto.

*Convenit ad ulcera tam interna, quam externa, & ſecure dari poteſt a guttis quindecim ad triginta, in ſubjectis phlegmaticis.*

## BALSAMUM SULPHURIS ANISATUM.

Eodem paratur modo, quo præcedens, ſubſtituto Oleo Aniſi deſtillato, loco Olei Amygdalarum; quod & de ſubſequis, ſuccinato & terebinthinato, eſt capiendum.

*Prodeſt in colica flatulenta, & affectibus catarrhalibus, pectus infeſtantibus.*
*Doſis guttæ quinque, ad duodecim.*

## BALSAMUM SULPHURIS RULANDI.

*REC.* Sulphuris citrini uncias duas,
Olei Terebinthinæ uncias tres,
Lini libras duas.
Sulphuri liquato adde oleum lini, & coque lentiſſimo igne, donec acquiſiverit colorem fuſcum; his aliquantum refrigeratis infunde oleum terebinthinæ, digere leniſſimo calore, & ſerva uſui.

*Uſus eſt externus, reſolvens, diſcutiens, vulnerarius; præcipue vero ad Emplaſtrum ſulphuris Rulandi adhibetur.*

## BALSAMUM SULPHURIS SUCCINATUM.

Eodem modo, quo Balſamum ſulphuris aniſatum, parari debet.

*Sanguinem excalefacit, emmenagogum eſt, diureticum & carminativum; caute vero & minuta doſi commendari debet, guttis ſcilicet quatuor ad ſcrupulum dimidium.*

## BALSAMUM SULPHURIS TEREBINTHINATUM.

Modus parandi idem eſt, qui præcedentis.

*Diureticum eſt, & in gonorrhœa felici effectu commendatur; externe ad ulcera & vulnera partium tendinoſarum, una nimirum aut altera gutta inſtillata, ſi valde doleant & madeant, adhibetur. Præſtat autem, hoc balſamum ſpiritus vini rectificati triplo diluere, & tum ad vulnera adhibere.*

## BALSAMUM VITÆ AD MODUM HOFFMANNI.

*REC.* Olei deſtillati Lavendulæ,
Majoranæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Cinnamomi, ana ſcrupulum unum,
Rutæ,
Succini albi ana ſcrupulum ſemis,
Citri, e corticibus recens expreſſi, ſcrupulum unum,
Ambræ griſeæ ſcrupulum ſemis.

Olea cum Ambra & Balſami Peruviani ſcrupulo uno miſceantur, atque in ſpiritus vini rectificatiſſimi tartariſati unciis decem ſolvantur.

*Balſamum vitæ non ſolum externe ad odorandum, & partes debilitatas confortandas, ad ventriculi affectus, nauſeam, ructus, colicam & diarrhœam adhibetur, ſed & interno uſui ad eosdem morbos, tanquam nervinum, cephalicum, ſtomachicum, præcipue ſenibus ac ſeroſis, a guttis decem ad viginti feliciter commendatur.*

## BALSAMUM VULNERARIUM.

*REC.* Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias ſex,
Terebinthinæ Venetæ unciam unam ſemis.

Mixta ſolvantur in liquorem aurei coloris.

*Ad vulnera recentia, præcipue nervoſarum partium, punctim inflicta, non ſine inſigni fructu adhibetur.*

## BALSAMUM VULNERARIUM DIPPELII.

Videatur LIQUOR.

## BALSAMUM VULNERARIUM MINDERERI.

*REC.* Terebinthinæ claræ Venetæ unciam unam ſemis,
Gummi Elemi pulveriſati unciam ſemis.

Solvatur leniſſimo igne, poſtea addantur
Olei Hyperici, ex floribus per infuſionem parati, uncia una ſemis,
Ceræ deſtillati ſcrupuli duo.

Miſce, fiat balſamum.

*In vulneribus noviter inflictis, linteis applicatum, laudatur.*

## BALSAMUM VULNERARIUM STAHLII.

*REC.* Eſſentiæ Succini ordinariæ uncias duas.
Myrrhæ, unciam unam,
Olei Therebinthinæ unciam ſemis.

Miſce, digere loco calido.

*Conducit ad vulnera, & ulcera partium exſanguium, etiam carioſa. In partibus ſanguineis proportio Eſſentiæ Myrrhæ augetur. Ita vices ſupplere poteſt pretioſioris Balſami Commendatoris.*

## BEZOARDICUM ANIMALE.

Eſt pulvis Viperarum Italicarum.

*Vim habet alexipharmacam, ſudoriferam, in morbis malignis, & a morſibus venenatorum animalium ortis, nec non in lepra, morbo venereo & Arthritide commendatur.*

*Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam dimidiam.*

BEZOAR-

## BEZOARDICUM JOVIALE.

*REC.* Reguli Antimonii ſimplicis uncias quatuor,
Stanni Anglici uncias duas.

Fundantur ſimul in crucibulo, effuſa atque refrigerata pulveriſentur, poſtea additis

Mercurii ſublimati unciis octo, atque optime in mortario vitreo mixtis, ad intimiorem ſolutionem, reponantur per aliquot dies noctesque in cellam, tum retortæ immiſſa deſtillentur, butyri Antimonii inſtar; liquor, qui prodit, affuſa magna aquæ fontanæ quantitate diluatur, & præcipitabitur pulvis albus, qui, repetita aquæ tepidæ affuſione, edulcoratus & ſiccatus, cum triplo Nitri detonetur. Poſtea, affuſa multa aqua, omni ſalſedine privatus ſervetur.

*Commendatur ad hyſtericos affectus, & ei magnæ attribuuntur vires diaphoreticæ & anodynæ.*

*Doſis a granis decem, ad ſcrupulum unum.*

## BEZOARDICUM MARTIALE.

Eadem methodo, qua præcedens Bezoardicum joviale paratur, loco reguli jovialis, regulum martialem ſumendo.

*Parum de Marte participat, & viribus a diaphoretico Martiali ſuperatur; hinc, cum multo pretioſior etiam ejus præparatio ſit, merito a Diſpenſatorii Brandenburgici editoribus Diaphoreticum martiale Ludovici ſubſtituitur, quibus & nos ſubſcribimus. Viennenſes ſpecificum ſtomachale Poterii ejus loco commendant.*

*Adſcribuntur vires roborantes, acidum abſorbentes, & tranſpirationem promoventes.*

*Doſis grana XV. ad grana viginti quinque.*

## BEZOARDICUM MINERALE.

*REC.* Mercurii vitæ uncias duas,
Nitri cryſtalliſati exſiccati uncias ſex.

Miſceantur, & in crucibulo, per vices ingerendo, leniſſime detonentur. Maſſa alba ſalina aqua fontana ſolvitur atque edulcoratur. Pulvis ſubſidens leni calore exſiccatur.

*Earundem cum Antimonio diaphoretico ſimplici virium eſt, & eadem Doſi propinari poteſt.*

## BOLI ARMENÆ PRÆPARATIO.

Bolus Armena pulveriſata, aqua fontana diluitur, aqua turbida, tenuiſſimis Boli particulis mixta, leni inclinatione ſeparatur a ſpiſſo, novaque aquæ quantitas toties affunditur, & effunditur leniter, donec, præter arenulas & craſſiores partes nihil remaneat. Bolus, quæ paulatim in aqua decantata ſubſedit, effuſa illa, ſervatur exſiccata.

*Tribuuntur Bolo vires alexipharmacæ & acidum abſorbentes; merito vero inter adſtringentia refertur.*

*Doſis a ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.*

## BUTYRUM ANTIMONII.

Vide ANTIMONII BUTYRUM.

## BUTYRUM CACAO.

Vide OLEA EXPRESSA.

## BUTYRUM MAJORANÆ. RUBRUM. VIRIDE.

Vide UNGUENTA.

## CANDELÆ FUMALES.

*REC.* Styracis calamitæ unciam unam ſemis,
Benzoës,
Maſtiches,

Caryophyllorum aromaticorum,
Sacchari albi ana drachmas ſex,
Carbonum Tiliæ, vel ex alio ligno levi optime exuſtorum uncias quindecim.

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui mucilaginis Tragacanthæ ſufficiente quantitate, in juſtam conſiſtentiam, ſive maſſam, redigendus eſt, ex qua, pro lubitu, candelæ formari poterunt.

Si maſſæ modo præſcriptæ
Balſami Peruviani uncia ſemis,
Olei deſtillati Caryophyllorum,
Ligni Rhodii,
Lavendulæ ana ſcrupulus unus,
addantur, candelæ fragrantiores, & ſic dictæ COMPLETÆ formari poſſunt.

## CASSIA EXTRACTA.

Vide PULPA CASSIÆ.

## CAUTERIUM POTENTIALE.

Fit ex Lixivio ſaponariorum acerrimo, cum calce viva parato, in ſartagine ferrea tam diu coquendo, donec omnis fere humiditas ablata ſit, atque reſiduum ſalinum ſiccescere & concreſcere incipiat. Tunc ab igne removetur, & maſſa jam ſolideſcens ſpatula ferrea eximitur, inque vaſe vitreo ſicco, accurate clauſo, prope fornacem calidam aſſervatur.

*Inſervit ad excitandos fonticulos, vel auferendas excreſcentias præternaturales.*

## CERA ARBOREA.

*REC.* Ceræ citrinæ,
Reſinæ Pini,
Colophoniæ ana libram ſemis,
Terebinthinæ vulgaris,
Adipis ſuillæ ana uncias duas.

Liqueſcant & colentur.

*Utuntur ea hortulani ad inſitionem & læſiones arborum.*

## CERA SIGILLARIS RUBRA.

*REC.* Ceræ citrinæ uncias ſedecim,
Reſinæ Pini uncias ſex,
Terebinthinæ Venetæ uncias tres,
Cinnabaris factitiæ præparatæ, uncias tres.

Liquetur cera & reſina, atque mixturæ colatæ addatur cinnabaris modico olei lini trita, & effundatur in formas conſuetas.

## CERA SIGILLARIS VIRIDIS.

Eodem modo paratur, loco Cinnabaris, addendo æruginis, ſive Viridis Æris probe triti, & in olei lini drachmis duabus ſoluti, unciam unam.

*Ceræ rubræ in Medicina nullus uſus eſt, viridi ad clavos & verrucas nonnunquam utuntur Chirurgi.*

## CERATA.

Ab emplaſtris parum differunt, niſi, quod ſint molliora ac tractabiliora, hanc ob cauſam omnia in claſſem Emplaſtrorum retulimus, præter unicum

## CERATUM SATURNINUM GOULARDI.

*REC.* Lithargyrii uncias quatuor,
Aceti vini uncias ſedecim,
coque invicem, per integram horam, ſub perpetua agitatione cum ſpatula lignea,

Solutionem decanta & filtra, quæ ab Autore vocatur *Extractum Saturni.*

Hujus extracti ſi drachmæ duæ miſcentur cum aquæ communis libris duabus, Autori vocatur *Aqua Saturnina*, vel aqua *vegeto mineralis.*

Jam recipe
Olei olivarum uncias quatuor,
Ceræ unciam unam,
mixta liquentur leni igne, huic Maſſæ refrigeratæ ſucceſſive adde Aquam Saturninam, ex unciis viginti quatuor

quatuor aquæ & uncia una extracti ſaturni paratæ, ea adhibita encheireſi, ut in patina ampla, in loco frigido, per vices exiguæ ſaltem doſes aquæ forti agitatione & concuſſione ope ſpatulæ ligneæ commiſceantur, donec tandem aquæ quantitas omnis, vel quantum fieri poteſt, ſubacta cum oleo & cera formam cerati albi, in magnam molem excreſcentis, induerit. Labor hic commixtionis tribus quatuorve horis abſolvi poteſt.

*Vires extracti, aquæ & cerati ex ſaturno magnis laudibus in peculiari libello extolluntur a Goulardo, contra inflammationes externas, contuſiones, ambuſta, ulcera, fiſtulas, cancros, ſerpigines, ſcabiem, imo etiam, ope admixti ſaponis, contra anebyloſes. Notiſſimis aceti lithargyrii & ſacchari ſaturni viribus prudens Chirurgus laudatorum præparatorum uſum facile metiri poteſt.*

## CHALYBIS PRÆPARATIO.

Limatura Martis vel ferri puriſſimi aqua fontana ſæpius abluatur, & a ſordibus mundetur; poſtea exſiccata in mortario ferreo in ſubtiliſſimum pollinem teratur, & in Porphyrite lævigata ſervetur. Si diu aſſervatæ pars in rubiginem eſſet mutata, vel ſi particulæ heterogeneæ, e. gr. ex aurichalco, limaturæ eſſent admixtæ, hæ ope Magnetis ab illis poſſunt ſeligi.

*Adſtringit, & ad tonum viſcerum roborandum facit. Datur ad ventriculi imbecillitatem, cachexiam & menſium vitia, non tamen ſine circumſpectione præſcribenda eſt; præſtat parvas doſes, a granis quinque vel ſex, præcipue ſi continuandus eſt uſus, exhibere, quam largiores præbere. Signum felicis ſucceſſus habetur, ſi feces alvi nigræ ſecedant.*



## CHALYBS SULPHURE PRÆPARATUS.

*REC.* Limaturæ Martis uncias quatuor,
Sulphuris citrini uncias duodecim.

Optime miſceantur, atque in patina terrea, ſub perpetua agitatione, leni igne calcinentur, usque dum chalybs, per deflagrationem Sulphuris, in pulverem ferrugineum calcinatus fuerit.

Alii fruſtum Martis candefaciunt, atque illud ſulphuris magdaleoni admovent, ſic Mars cum ſulphure funditur, & in vas ſuppoſitum, aqua frigida repletum, deſtillat, qui colligitur, in pulverem teritur, atque leni igne calcinatur.

*Vires Martis ſeu Chalybis ſunt adſtringentes; adſtrictione vero vaſa & partes ſolidas roborat, ſicque ſecretiones & excretiones adjuvat; acidum ventriculi abſorbet, atque cachecticis prodeſt.*

*Doſis grana quinque ad duodecim.*

## CHOCOLATA.

*REC.* Fructuum Cacao, parum toſtorum, & a corticibus mundatorum, libram unam.

Pinſantur diu & diligenter in mortario calido, ut abeant in maſſam pultiformem tenuiſſimam, addatur ſucceſſive
Sacchari albi, ſubtiliſſime triti, libra una,
& in fine
Vanigliarum, optime tritarum, N^ro^ quatuor.

Miſceantur, atque pro lubitu, tabulæ vel cylindri formentur.

Nonnulli etiam
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum aromaticorum ana drachmas duas, & guttas aliquot Balſami Peruviani nigri
addere ſolent.

*Vires ſunt nutrientes, corroborantes &*

*demulcentes; ſine aromatibus parata hecticis & tabe conſumtis prodeſt, atque ſenibus convenit.*

## CINNABARIS ANTIMONII.

Videatur ANTIMONII CINNABARIS.

## CINNABARIS FACTITIA.

*REC.* Florum Sulphuris uncias quatuor,
Mercurii vivi puriſſimi uncias duodecim.

Fluat Sulphur in vaſe figulino ſatis capaci, cui per vices Mercurius, in tigillo calefactus, addatur; miſceantur fiſtula, qua fumum Tabaci haurimus, exacte; ſolet tum fieri ſubito magnus ſibilus, & exoriri fumus denſus atque cum ſonitu inflammari materies; operculo igitur vas tegendum. Refrigerata poſtea maſſa nigra, in pulverem trita, immittatur cucurbitæ vitreæ, vel vaſi ſublimatorio, cui imponatur alembicus; lutetur luto ex argilla & calce facto, ponatur in furnum ſic, ut vas ſublimatorium fere fundum capellæ attingat, obruatur arena paulo altius, quam materies; adhibeatur ignis per gradus, ad ſummum usque. Aſcendit primo parum phlegmatis, deinde flores ſubalbidi, poſtea nigri, & tandem cinnabaris. Ubi ignis ſummus per tres horas applicatus eſt, frigeſcant ſponte, & cinnabaris ab adhærente nigredine ſeparata ſervetur.

Nigredo oritur a ſulphure abundante, pulcherrima enim Cinnabaris non niſi unam partem Sulphuris, cum ſeptem partibus Mercurii unitam, continet.

*Cinnabaris talis factitia, minori conſtans pretio, ac colore exaltatior, rite præparata, non minores habet virtutes, ac cinnabaris nativa.*

*Datur ſecure in eadem doſi, atque pulveribus addi poteſt, ubi alias cinnabaris nativa adhiberi ſolet. Cinnabaris tenerrime pulveriſata venalis ſi minio adulterata eſſet, detegi poteſt fraus, vel inſtituta ſublimatione, ut appareat an ſine reſiduo elevetur, vel affuſo aceto, quod ex minio dulce redditur.*

## CINNABARIS NATIVÆ RECTIFICATIO.

Cinnabaris nativa cruda, in pulverem trita, immittitur vitro ſublimatorio, atque igne arenæ per tres horas adhibito fortiſſimo, ſublimatur, quæ, poſtea ſuper marmore lævigata & aqua pura lota, vocatur

## CINNABARIS NATIVA PRÆPARATA.

*Cinnabaris raro vel nunquam ſola præſcribitur, ſed plerumque antiſpaſmodicis, diapnoicis, nitro & ſalibus neutris jungitur, atque raro ultra grana tria vel quatuor pro doſi porrigitur.*

*In Cephalæa tamen & rebellibus affectibus ſpaſmodicis largior etiam doſis, ad grana duodecim vel quindecim, conceditur, qualis, ſi frequenter repetatur, & ipſum inducere ſolet ſubinde Ptyaliſmum.*

## CLARETUM E SEX SEMINIBUS.

Vid. AQUA CARMINAT. PER INFUS.

## COLCOTHAR.

Eſt Vitriolum viride ad rubedinem calcinatum.

*Uſus eſt in emplaſtris ſiccantibus.*

## CONCHÆ CITRATÆ.

*REC.* Concharum a mucore mundatarum & ſubtiliſſime pulveriſatarum, libram unam,
affundatur
Succi Citri libra ſemis,
& leni calore, in patina vitrea, exſiccatæ ſerventur ad uſum.

Loco Succi Citri, etiam aceto deſtillato ſaturari poſſunt.

*Vires cum ſuccedentium præparatarum conveniunt, magis tamen diureticæ deprehenduntur.*

*Doſis*

*Dosis a scrupulo dimidio ad drachmam dimidiam.*

## CONCHARUM PRÆPARATIO.

Affundatur testis concharum oblongarum, acetum forte, macerentur, ut sordes atque mucor abradi queant. Mundatæ exsiccentur, pulverisentur subtilissime & super marmore lævigentur.

*Absorbentes sunt, febrifugæ, & sudorem ac urinam cient.*

*Dosis eadem quæ citratarum.*

## CONDITA.

Corticibus AURANTIORUM & CITRI recentibus superfundatur lixivium e cineribus clarum, sic, post unam vel alteram ebullitionem in vase figulino, molleścent. Quo facto abluantur aqua fontana calida, &, mundati ab albedine, cribro inverso imponantur, ut superfluo humore orbentur. Postea in vase vitreo repositis affundatur Saccharum clarificatum, & fere ad consistentiam tabulati coctum, ad supereminentiam unius digiti, serventur.

FRUCTUS CYDONIORUM,
RADICES CALAMI,
CICHOREI,
ENULÆ,
SATYRII,
ERYNGII,
SCORZONERÆ,
& CÆTERÆ

in aqua fontana coquuntur, usque dum molleścant, & a superflua humiditate exsiccatis, saccharum superfunditur, ad consistentiam tabulati coctum, quantum sufficit.

FRUCTUS vero BERBERUM,
CERASORUM,
RIBIUM, &
RUBI IDÆI,

sine prævia coctione, saccharo, ad consistentiam tabulati cocto immerguntur.

NUCES JUGLANDES immaturæ festuca perforantur, atque per sex vel octo dies in aqua frigida macerantur, quotidie aquam recentem superaffundendo. Postea ad mollitiem coquuntur, & saccharo clarificato, ad consistentiam tabulati cocto, immerguntur.

CARYOPHYLLI,
NUCES INDICÆ, &
ZINGIBER

ex Indiis condita advehuntur.

## CONFECTIO ALKERMES INCOMPLETA, sive SINE MOSCHO & AMBRA.

*REC.* Succi pomorum Borsdorffiensium uncias decem,
Granorum Kermes,
Monspelio allati,
Sacchari albi ana uncias sedecim.

Mixta solvantur unica ebullitione, lento igne; colatis per linteum addantur

Ligni Aloës.
Cinnamomi acutissimi, subtilissime triti, ana drachmæ sex,
Lapidis Lazuli præparati,
Margaritarum Orientalium præparatarum ana drachma una semis,

quibus splendoris gratia addi possunt

Foliorum Auri purissimi numero triginta,

& coloris ergo

Coccinellæ, cum aliquot guttulis Olei Tartari per deliquium tritæ, drachma semis.

Probe mixta asserventur.

## CONFECTIO ALKERMES COMPLETA.

*REC.* Confectionis Alkermes incompletæ, modo præscriptæ, libram unam,

adde

Ambræ grysææ optimæ, cum

drachmis duabus Sacchari albi tritæ, ſcrupulum unum,
Moſchi, in aqua roſata ſoluti, ſcrupulum ſemis.

Miſce.

*Vim habet ſubadſtringentem, ori & ventriculo haud ingratam; & cum Coccinella & grana Kermes, ex quibus ſuccus paratur, qui baſis eſt hujus confectionis, animalis proſapiæ ſint, & ſal blande ſtimulans, ad vires millepedum accedens, poſſideant, facile quilibet deprehendet, unde vis laudata analeptica & aphrodiſiaca derivanda ſit; opinioni potius vulgi, quam indicationi Medici rationalis, ſatis faciens.*

*Completa a drachma ſemis ad integram, incompleta ad drachmas duas adminiſtrari ſolet.*

## CONFECTIO ANISI LAXATIVA.

*REC.* Seminis Aniſi electi unciam unam ſemis,
Sacchari albi libram unam,
Diacrydii ſulphurati drachmam unam,
Mechoacannæ albæ,
Jalappæ reſinoſæ ana unciam ſemis,
Cinnamomi acuti drachmam unam.

Immittitur Semen Aniſi integrum aheno confectorio, ſuper ignem collocato, atque affunduntur aliquot cochlearia Sacchari clarificati, moxque inſpergitur de purgantium pulvere ſubtiliſſimo non nihil, exſiccato leni calore Aniſo, denuo affunditur Saccharum & inſpergitur pulveris portio, atque labor, Saccharum affundendo, pulverem inſpergendo & Aniſum rurſus exſiccando, continuatur, usque dum omnis pulvis inſperſus, & Aniſum ſaccharo probe incruſtatum fuerit.

*Inſervit pueris, atque illis, qui alia medicamenta laxantia reformidant.*

*Datur a drachma ad unciam dimidiam & ultra.*

## CONFECTIO CINNAMOMI REGIA.

*REC.* Succoladæ Indicæ uncias quatuor,
Nucum Moſchatarum, in India conditarum, majorum, numero tres,
Syrupi Cinnamomi libram dimidiam,
Confectionis Alkermes incompletæ unciam unam,
Olei Cinnamomi drachmam ſemis.

Miſce, fiat confectio liquida.

*Analepticum gratiſſimum, & ſtomachicum egregium præbet hæc confectio. Datur etiam parturientibus, ad fœtum pellendum, & vires reſtaurandas.*

*Doſis eſt drachma una ad duas.*

Viliori hæc conſtat pretio, illa, quæ a Minſichto traditur, & ipſis hyſtericis fœminis, quia Moſcho & Ambra caret, exhiberi poteſt.

## CONFECTIO DE HYACINTHO.

*REC.* Specierum de Hyacintho unciam unam,
Syrupi acetoſitatis Citri uncias tres.

Mixta reponantur in vaſe porcellano ſatis magno, ne ob efferveſcentiam vas rumpatur.

*Attribuuntur vires cardiacæ & ſtomachicæ, atque in nimiis hæmorrhagiis, aliisque fluxionibus moderandis, ad drachmam integram, cum fructu, adhibetur.*

## CONFECTIONES SICCÆ,
ANISI,
CORIANDRI,
CUBEBARUM,
FOENICULI,
SINAPIS,

&

& reliqua non tam a Pharmacopœis, quam ſic dictis Conditoribus parantur, atque pro tragea groſſa expetuntur.

## SEMEN CYNÆ

vero, Saccharo incruſtatum, pro pueris, qui reliqua anthelmintica nauſeant, in uſum vocatur.

## CONSERVA MILLEPEDUM.

*REC.* Millepedum vivorum libram unam,
Sacchari albiſſimi libras duas ſemis.

Contundantur in mortario marmoreo, & in vaſe vitreo vel porcellano ſerventur.

*In ictero, tuſſi ferina, aſthmate, febre quartana & nephritide, optimo cum effectu, adhibetur.*

*Doſis drachma una ad duas.*

## CONSERVÆ SIMPLICES

parantur

E floribus & herbis recentibus minutiſſime inciſis. Singulis libris adduntur libræ duæ Sacchari albi, in pulverem triti, deinde in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, probe contunduntur. Siccioribus herbis & floribus modicum aquæ additur, & omnes in vaſis porcellanis vel vitreis ſervantur. Uſitatiores

Conſervæ, quæ ex herbis ſive foliis parantur, ſunt

ABSINTHII,
ACETOSÆ,
ACETOSELLÆ.
BECCABUNGÆ,
COCHLEARIÆ,
EUPHRASIÆ,
FUMARIÆ,
HEDERÆ TERRESTRIS,
MAJORANÆ,
MENTHÆ,
SCABIOSÆ,



VERONICÆ,

Ex floribus

ANTHOS,
BELLIDIS,
BETONICÆ,
BORRAGINIS,
BUGLOSSI,
CICHOREI,
FARFARÆ,
PAPAVERIS ERRATICI,
PÆONIÆ,
PRIMULÆ VERIS,
ROSARUM RUBRARUM,
PALLIDARUM,
VITRIOLATA,

additis Spiritus Vitrioli drachmis duabus, ad libram Conſervæ Roſarum rubrarum.

SALVIÆ,
TUNICÆ,
VIOLARUM.

CITRI ex PULPA, abjectis ſeminibus, corticoſa albedine, & tunicis, quæ cellulas conſtituunt, parari ſolent.

Calices nonnullorum florum, e. g. Borraginis, Bugloſſi, Primulæ veris, Violarum, demuntur.

*Conſervæ vires vegetabilium, ex quibus parantur, retinent, & pro baſi electuariorum inſerviunt.*

## CONSERVA SPAGYRICA.

*REC.* Salis Abſinthii uncias duas,
Meliſſæ,
Urticæ ana unciam unam,
Tartari vitriolati unciam ſemis,
Arcani duplicati uncias duas.

Miſceantur, & fiat pulvis, cui affundantur

Spiritus Sulphuris per campanam, drachmæ duæ.

Poſtquam deferbuerint, addantur

Conſervæ Florum Roſarum rubrarum,
Tunicæ ana libra una,

Olei Cinnamomi,
Corticum citri,
Aniſi ana drachma una,
Fœniculi,
Menthæ ana drachma ſemis,

Miſceantur, &, ſi completa hæc conſerva deſideretur, addantur
Ambræ griſeæ grana quindecim, in ſpiritu Roſarum ſolutæ.

Per incompletam intelligunt nonnulli, quæ non Ambra modo, ſed & oleis deſtillatis caret.

*Laudatur ad obſtructiones viſcerum reſerandas, in ictero, febribus quartanis chronicis, & menſium obſtructione.*

*Vires hujus conſervæ aperientes ſalibus mediis potiſſimum ſunt tribuendæ; & quia olea deſtillata, in vaſis non bene munitis ſervata, multum virtutis perdere poſſunt, ideo non conſultum eſt, illam diu aſſervare.* *Loco* Salis Abſinthii, Meliſſæ, Urticæ *præſcribatur* Sal herbarum.

*A drachma una ad unciam ſemis dari poteſt.*

## CORALLIORUM ALBORUM ET RUBRORUM PRÆPARATIO.

Probe trita cum aqua, ſuper Porphyrite, ſubtiliſſime, usque dum nullum ſtridorem inter dentes edant, lævigentur, & rurſus exſiccata, atque in pulverem redacta, ſerventur ad uſum.

*Abſorbent, leniter adſtringunt, & antepileptica vulgo cenſentur.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## CORNU ALCIS PRÆPARATUM.

Lima in ſcobem redigitur, deinde in pollinem ſubtilem teritur, & ſervatur.

*Vires antepilepticas adſcribunt.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*



## CORNU CERVI AURATUM.

*REC.* Cornu Cervi uſti præparati unciam unam,
Foliorum Auri puriſſimi libellos octo.

Miſceantur & terantur in mortario marmoreo, donec Aurum diſpareat; poſtea calcinentur in crucibulo probe tecto, per tres horas, & pulvis purpurei coloris ſervetur.

*Adſcribuntur vires cordiales & alexiteriæ, atque in febribus malignis, variolis & morbillis nonnunquam in uſum vocatur.*

*Doſis ſcrupulus dimidius ad integrum.*

## CORNU CERVI PHILOSOPHICE, ſive SINE IGNE, PRÆPARATUM.

*REC.* Cornu Cervi, in majora fruſta ſecti, quantum placet.

Coquantur in ſufficienti quantitate aquæ fontanæ, donec molleſcant; poſtea medulla & cortex exterior nigricans cultro ſeparetur, & cornu albicans exſiccatum in pollinem ſubtiliſſimum teratur.

*Vires habet adſtringentes, abſorbentes, diaphoreticas. Laudatur in variolis, morbillis, & aliis febribus malignis.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad ſcrupulos duos.*

## CORNU CERVI USTUM.

Calcinatur C. C. in fruſta diſſectum, aperto igne, ad albedinem.

*Majorem poſſidet vim adſtrictivam, quam philoſophice præparatum; vires etiam anthelminticæ illi tribuuntur.*

## CORNU RHINOCEROTIS PRÆPARATUM.

Lima in ſcobem redactum, in ſubtiliſſimum

liſſimum pulverem, qui per linteum tenue trajiciendus, teritur, atque ſervatur.

*Venenis reſiſtere, ſudorem movere, & epilepticis prodeſſe creditur.*

*Doſis grana quindecim ad drachmam dimidiam.*

## CRANIUM HUMANUM PRÆPARATUM.

*REC.* Cranii hominis, violenta morte perempti, ab integumentis & omni immunditie liberati, quantum volueris; contunde, atque in tenuiſſimum pollinem redige.

*Tribuuntur illi vires ſpecifice antepilepticæ, & hinc pulveribus epilepticis additur.*

*Datur infanti tenello a granis tribus ad quinque; adultiori ad ſcrupulum dimidium, & adultis a ſcrupulo integro ad drachmam dimidiam.*

## CREMOR vel CRYSTALLI TARTARI.

*REC.* Tartari albi, aqua calida aliquoties a ſordibus externis abluti & in pulverem contuſi, libras duas.

Coquendo in libris viginti quatuor aquæ fontanæ, in vaſe ſigulino, diſſolvantur, & fervens adhuc decoctum trajiciatur per manicam Hippocratis, in aliud vas terreum; ubi refrixerit, cryſtallos exhibet, in ſuperficie autem liquoris cruſtam, *cremoris* nomine notam, qui, cum cryſtallis, frigida fontana aqua abluatur, & exſiccatus, ſuper Porphyrite, in pulverem albiſſimum conteratur.

*Cryſtalli Tartari ſal ſunt eſſentiale Vini. Craſſos & viſcidos humores incidunt, alvum blande ſtimulant, appetitum excitant, hypochondriacis, biliosis, febricitantibus & cachecticis proſunt. Purgantibus additi vires eorum augent.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmas duas, imo ad unciam dimidiam. Difficulter, & non, niſi in liquore calido, ſolvi poſſunt.*

## CROCUS MARTIS ADSTRINGENS.

*REC.* Limaturæ ferri uncias quatuor.

Diſſolve in ſpiritus Vitrioli & aquæ fontanæ ana unciis octo, ſolutionem ad ſiccitatem in vaſe ferreo evapora, & forti igne in pulverem rubicundum calcina.

*Vires ex nomine patent; verum ad internum uſum vix commendatur, ſed emplaſtris exſiccantibus & adſtringentibus addi ſolet.*

## CROCUS MARTIS APERITIVUS ANTIMONIATUS STAHLII.

*REC.* Clavorum ferreorum libram unam,
Antimonii libras duas.

Fluant optime in crucibulo, quibus adde
Cinerum clavellatorum uncias quinque.

Cum omnia colliquata fluxerint, effunde in conum fuſorium, & regulum a ſcoriis ſeparatum ſerva.

Scoriæ, fuſci coloris, fruſtillatim contuſæ, ſive aëri umbroſo, humida tempeſtate, vel cellæ expoſitæ, dilabuntur in pulverem ſubnigrum. Hunc pulverem, aqua tepida multa dilutum & probe agitatum, ita ſepara, ut quicquid ejus, poſt craſſiorum particularum ſubſidentiam, ac aliquam moram, aquæ turbidum adhuc internatat tenuiſſimum, cum hac effundas; craſſiore parte, ſedimenti inſtar, in fundo remanente. Exit vero tenerioris hujus ſubſtantiæ oppido parum, quæ ſeorſim aſſervanda eſt, & cum triplo Nitri puriſſimi, in crucibulo leviſſime candeſcente, detonanda; Maſſa inde nata rubicunda, edulcoretur, atque pulvis dilute rubens,

ſub titulo: *Croci Martis aperitivi tenuioris*, ſervetur. Subſidens vero illa altera portio ſimiliter tractanda, edulcoranda, ſiccanda, & cum triplo Nitri detonanda, quæ rurſus edulcorata & ſiccata, dat *Crocum Martis aperitivum*, obſcurioris coloris, quam præcedens tenuior.

*In hæmorrhagiis uteri, hæmorrhoidum nimio fluxu, diarrhœis, febribus intermittentibus, laudabilem & ſæpe præſentaneam operam navat. Dandus tamen vix tenuior ille ultra quatuor vel ſex grana, cum effectu ſatis luculento; quemadmodum in lochialibus puerperarum turbis, non tam hæmorrhagicis, quam ſpaſticis flatulentis, perfrequenter Cl. Auctor eo uſus eſt, & non minus, atque in atrophicis affectibus puerorum, quibus tincturam ſuam commendat Ludovici, cum Arcano duplicato exhibitum, expectationi ſatisfeciſſe teſtatur.*

## CROCUS MARTIS APERITIVUS VULGARIS.

*REC.* Vitrioli Martis uncias quatuor, ſolvantur in aquæ fontanæ calidæ libra una. Solutioni inſtilletur ſalis alcali vel cinerum clavellatorum lixivii aqua fontana calida facti, & per chartam emporeticam filtrati, quantum ad ſaturationem acidi vitriolici, & præcipitationem Martis, ſatis. Pulvis præcipitatus aqua fontana calida edulcoretur, & leniter ad rubedinem calcinetur. Liquor ſalinus evaporari ad cuticulam poteſt, qui ad cryſtalliſationem repoſitus, largitur Tartarum vitriolatum.

*A præcedenti non differt, niſi quod magis adſtringere deprehendatur.*

*Doſis grana tria ad quatuor.*



## CROCUS METALLORUM.

*REC.* Antimonii crudi in pulverem triti,
Nitri puriſſimi & ſicciſſimi ana libras duas.

Probe mixta detonentur in mortario, & cum refrixerit maſſa, ob colorem ad illum hepatis accedentem vocatur *Hepar antimonii.* Quod pulveriſatum & edulcoratum, donec calx fuſco-fulva maneat inſipida, *Croci metallorum* nomine venit, cujus color, prout ad edulcorationem aqua vel fervida vel frigida fuerit recepta, ſive magis eſt exaltatus ſive minus.

*Vehemens eſt emeticum, & nunquam in ſubſtantia præberi debet. Grana tria vel quatuor per noctem in vini unciis duabus infuſa, virtute emetica vinum imbuunt. Veterinarii ad equos purgandos, pro una doſi, ad unciam ſemis, imo ad drachmas ſex, devorandum præbent. Paratur etiam ex hoc Croco metallorum*, Tartarus emeticus.

## CROCUS SOLIS.

*REC.* Auri, per Antimonium depurati, partem unam,
Mercurii, a Cinnabari revivificati, partes ſex.

Fiat amalgama, cui probe commiſceatur duplum Sulphuris triti, & ſub tegula fulminatoria rudicula ferrea continue movendo, donec omne Sulphur & Mercurius avolarit, igne ſufficienti calcinetur, ſic Aurum in pulverem abibit rufum, ſubtiliſſime ſuper marmore terendum.

*Bezoardicas & cordiales vires ailli tribuere vulgo ſolent.*

*Doſis granum unum ad duo.*

## CROCUS VENERIS.

Ex vitriolo vel cryſtallis Veneris, per calcina-

calcinationem, paratur, & affusa aqua calida edulcoratur.

*Internus nullus, externe in unguentis & emplastris exsiccantibus ejus est usus.*

## CRYSTALLUS MONTANA PRÆPARATA.

Sicut de Coralliis supra dictum est, paratur.

*Usus ejus in Diarrhœa biliosa commendatur, & ad lac augendum adhiberi solet. Contra vertiginem & Arsenicum assumtum vulgo etiam, sed frustra laudant.*

*Dosis a scrupulo uno ad drachmam semis.*

## DENTES APRI.

In pollinem subtilissimum terantur & serventur.

*Specifice in pleuritide commendantur, & in nimis hæmorrhagiis frequenter adhibentur.*

*Dosis a scrupulo uno ad drachmam semis.*

## DENS HIPPOPOTAMI PRÆPARATUS.

Eadem ratione præparatur, *easdem habet vires*, eademque *exhibetur Dosi.*

## DIACRYDIUM LIQUIRITIA EDULCORATUM.

Solvitur libra dimidia Scammonei Aleppensis in mortario, sub perpetua agitatione, decocto Liquiritiæ fervente; solutio lactea a fecibus nigricantibus, per inclinationem mortarii, separatur, atque leniſſimo igne, vel in Balneo, ad extracti consistentiam, evaporatur, residuum, leni calore exsiccatum, in pulverem teritur.

Decoctum ex unciis duabus Liquiritiæ, in aquæ fontanæ libris tribus, ad consumtionem libræ dimidiæ coctis, paratur.



*Multum, per hanc præparationem, de suo nauseoso odore & sapore perdit, nec tamen sua efficacia purgandi privatur Scammoneum. Facile solvitur a ventriculi humoribus, & sine torminibus ferum & viscidos humores educit. Hydropicis omnibusque, quibus purgatione opus est, convenit. Datur, uti Diacrydium sulphuratum, verum in aliquantum majori dosi.*

## DIACRYDIUM ROSATUM.

*REC.* Scammonei triti uncias quatuor.

Tractetur eodem modo, quo de Diacrydio Glycyrrhiza edulcorato dictum est, decocti loco, infusionem Rosarum sumendo.

*Mitius & gratius est, quam sulphuratum.*

*Dosis grana decem ad quindecim.*

## DIACRYDIUM SULPHURATUM.

*REC.* Scammonei electi uncias tres. In pulverem teratur, & supra chartam albam, acu perforatam, tenuiter ac æqualiter expandatur, atque supra cratem, cui carbo vivus sit subditus, in quem Sulphuris uncia successive injiciatur, suffumigetur, & ne liquefiat vel chartæ adhæreat, neque comburatur, spatula ferrea diligenter moveatur.

*Est ingrediens & basis pulveris Cornachini. Purgat satis valide, & vel pilulis additur, vel sale quodam neutro miscetur.*

*Dosis a granis quatuor ad grana duodecim, raro ultra grana quindecim ascendendo.*

## DIAPHORETICUM JOVIALE est ANTIHECTICUM POTERII.

## DIAPHORETICUM MARTIALE est ANTIMONIUM DIAPHORETICUM MARTIALE.

## EBUR PHILOSOPHICE CALCINATUM.

Eadem methodo, qua cornu Cervi philoſophice paratum eſt, & hoc medicamentum conficitur.

*Cum quo viribus & doſi convenit.*

## EBUR USTUM ALBUM ſeu SPODIUM.

*REC.* Eboris, in tenues lamellas ſeu fruſtula diſſecti, libram unam,

Igne aperto ad albedinem calcinetur, tandem cum aqua, ſuper marmore, lævigetur, & exſiccetur.

*Vires, & doſis, quæ Cornu Cervi uſti.*

## ELATERIUM.

*REC.* Cucumerum agreſtium ſive aſininorum, intra octiduum collectorum, quantum volueris.

Scindantur caute apice cultelli, circa petioli inſertionem, ut matura ſemina e fructibus proſiliant, ſemen reliquum & mucago ſuper cribrum proliciantur, quæ poſtea in mortario, piſtillo ligneo, affuſo ſenſim liquoris tenuis, e fructibus conciſis exſtillantis, & aquæ pluviæ tantillo, contundantur, dum liquor pinguis & oleoſus, e medulla ſeminis in pulpam contritus, per cribrum ſetaceum tenuiſſimum & novum, transmitti poſſit; qui leniſſimo calore evaporatus, redigatur in conſiſtentiam maſſæ pilularis.

*Violenter, præſertim humores ſeroſos, per alvum educit.*

*In hydrope aliis purgantibus, ad grana tria vel quatuor, addi ſolet.*

## ELÆOSACCHARA, ANISI, CINNAMOMI, MACIS, SUCCINI.

Fiunt, oleorum eorundem deſtillatorum guttas ſedecim, cum uncia una Sacchari albiſſimi, terendo.



## AURANTIORUM, CITRI.

Saccharum Canarienſe pomis Aurantiis vel Citreis recentibus affricatur, donec ſapore & odore bene imbutum ſit.

Præſtat vero illa, dum expoſcuntur, demum parare.

*Vires ex oleis deſtillatis, unde parata ſunt, dijudicantur.*

*Adduntur pulveribus & trageis, doſi ea, quam commodam duxerit medicus.*

## ELÆOSACCHARUM ERRHINUM.

Videatur PULVIS STERNUTATORIUS ALBUS.

## ELECTUARIUM DE ACORO.

*REC.* Radicum Pſeudoacori recentium, mediante inſtrumento culinari, quod ſcabinam (Reibeiſen) vocant, in raſuram redactarum, uncias ſex.

Coque in vaſe figulino, addita
Vini rubri libra una,
ad remanentiam unciarum decem; adde
Sacchari albi uncias triginta,
Radicum Calami aromatici, conditarum & minutim inciſarum,
Zinziberis, in India conditi, minutim inciſi, ana uncias quatuor,
Corticum Aurantiorum conditorum,
Citri conditorum ana unciam unam ſemis,
Cardamomi minoris,
Nucis Moſchatæ,
Piperis longi ana drachmas tres,
Caryophyllorum aromaticorum drachmas quinque,
Cinnamomi acuti unciam unam,
Conſervæ Roſarum libram unam.

Miſce, fiat electuarium.

*Electuarium*

*Electuarium hoc non ſolum ſe commendat gratiſſimo ſapore, ſed & virtute ſua, ventriculum roborandi; digeſtionem juvat, in ſenibus, frigidis, & phlegmaticis, quibus etiam præcipue dicatum eſt.*

*Dari poteſt ab uncia dimidia ad integram.*

## ELECTUARIUM BACCARUM LAURI.

*REC.* Baccarum Lauri unciam unam ſemis,
Foliorum Rutæ,
Menthaſtri,
Origani,
Seminum Ammeos,
Cumini,
Nigellæ,
Liguſtici,
Carvi,
Dauci,
Calami aromatici,
Piperis nigri,
longi,
Caſtorei ana drachmas duas,
Sagapeni unciam ſemis,
Opopanacis drachmas tres,
Omnia trita excipiantur
Mellis deſpumati unciis quatuordecim.

Miſceantur.

*Uſus rarus internus eſt, & non, niſi in clyſmatibus, decocto carminativo mixtum, adhibetur.*

## ELECTUARIUM CATHOLICUM.

*REC.* Polypodii querni libram ſemis, decoquatur in
Aquæ communis libris quatuor, ad conſumtionem quartæ circiter partis. In decocto colato diſſolvantur
Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum ana unciæ quatuor,
Sacchari albi libræ quatuor, quibus, leni igne, ad mellis conſiſtentiam redactis, pulveres ſubtiliſſime tritos cribratosque
Radicum Polypodii,
Rhabarbari veri ana uncias duas,
Liquiritiæ drachmas duas,
Foliorum Sennæ orientalium uncias quatuor,
Florum Violarum,
Seminis Aniſi ana uncias duas, paulatim inſperge, & miſce pro electuario.

*A majoribus noſtris valde æſtimatum fuit, & pro purgante univerſali habitum; blande laxat alvum, ab uncia dimidia ad integram exhibitum.*

*Admiſcetur etiam clyſmatibus in eadem doſi.*

## ELECTUARIUM CHALYBEATUM.

*REC.* Limaturæ Chalybis, in alcohol redactæ, uncias ſeptem,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ ana drachmas ſex,
Rhabarbari electi drachmas quatuor,
Specierum aromaticarum roſatarum drachmas ſex,
Sacchari albi, in ſucci Cydoniorum unciis ſex ſoluti & rurſus ad tabulati conſiſtentiam cocti,
Mellis deſpumati ana libram unam.

Fiat miſcendo electuarium.

*Laudatur ad virginum morbos, retentionem menſium, cachexiam; & ad drachmam unam, quæ Martis grana duodecim continet, præſcribi ſolet.*

## ELECTUARIUM DIASATYRIUM.

*REC.* Radicum Satyrii recentium, ſucculentarum, uncias quatuor.

Minutim inciſis & contuſis in mortario lapideo adde
Sacchari albi, ad conſiſtentiam tabulati cocti, uncias duodecim,
Nucis Indicæ conditæ,
Zinziberis conditi,
Pinearum recentium,
Piſtaciarum non rancidarum, omnium minutim inciſorum, ana unciam unam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi acuti,
Stincorum marinorum ana unciam ſemis,
Brodii Zinziberis conditi, quantum ſatis ad conſiſtentiam electuarii.

*Analepticum, venerem languidam excitans, ſemenque augens venditatur.*
*Doſis uncia dimidia ad drachmas ſex.*

## ELECTUARIUM DIASCORDII FRACASTORII.

*REC.* Radicum Biſtortæ,
Tormentillæ,
Gentianæ,
Herbarum Dictamni Cretici ana unciam ſemis,
Scordii noſtri unciam unam,
Seminis Acetoſæ drachmam unam ſemis,
Cinnamomi acuti,
Caſſiæ ligneæ ana unciam ſemis,
Piperis longi,
Zinziberis ana drachmas duas,
Opii Thebaici drachmam unam ſemis,
Gummi Arabici,
Galbani,
Styracis ana unciam ſemis,
Boli Armenæ unciam unam ſemis,
Terræ Lemniæ unciam ſemis,
Conſervæ Roſarum rubrarum libram unam,
Mellis deſpumati uncias triginta.

Opium, Gummi Arabicum & Galbanum in unciis tribus vini albi ſolvantur, & optime cum melle miſceantur, poſtea reliqua, in pollinem ſubtilem trita, adjiciantur, tandem conſerva Roſarum addatur, atque omnia, probe agitando, in electuarium redigantur.

*Egregium eſt pharmacum, & ſudorifera, ac inprimis alexipharmaca, anodyna & ſtyptica virtute commendabile; hinc ad Diarrhœam quoque ſiſtendam laudatur. Quælibet uncia hujus electuarii circiter grana duo habet Opii.*
*Doſis drachmæ duæ vel tres.*

## ELECTUARIUM GINGIVALE.

*REC.* Laccæ pictoriæ in globulis uncias duas,
Terræ Japonicæ,
Maſtichis,
Myrrhæ electæ,
Caryophyllorum aromaticorum,
Aluminis uſti,
Tabaci Hiſpanici,
Seminis Cochleariæ ana drachmas duas,
Salis armoniaci drachmam unam,
Balſami Peruviani ſcrupulos duos.

Optime in pulverem tritis & Balſamo Peruviano irroratis, adde
Mellis roſati uncias octo.
Fiat electuarium.

*Dentes firmat, mundat, & a carie præſervat, gingivarum laxitati & ſcorbuto oris medetur.*
*Gingivæ & dentes mane & ante ſomnum hoc electuario fricandi, & os Aqua Salviæ vel fontana eluendum.*

## ELECTUARIUM HIERÆ PICRÆ SIMPLEX.

*REC.* Aloës Succotrinæ uncias duodecim,

Aſari,

Asari,
Cinnamomi,
Croci,
Mastichis,
Spicæ Indicæ,
Xylobalsami, aut ejus loco Ligni Aloës ana drachmas sex,
Mellis libras quatuor cum semisse.

Misce pulveres melli fere refrigerato pro electuario.

*Nullus ejus hodie fere usus est, præterquam in clysteribus.*

*Dosis uncia semis ad drachmas sex.*

## ELECTUARIUM LENITIVUM FLORENZOLÆ.

*REC.* Polypodii querni uncias duas,
Glycyrrhizæ unciam semis,
Herbæ Adianthi nigri,
Mercurialis ana unciam unam,
Florum Violarum unciam semis,
Hordei decorticati,
Passularum minorum ana uncias duas,
Jujubarum,
Sebesten ana unciam unam,
Incisa coquantur in
Aquæ fontanæ libris duabus semis,
ut remaneat libra una, in qua colata dissolvantur,
Pulpæ Cassiæ,
Prunorum,
Tamarindorum,
Sacchari albi ana unciæ sex.
Coquantur ad justam electuarii consistentiam, addantur
Conservæ Violarum unciæ sex,
Foliorum Sennæ electorum, subtilissime pulverisatorum, unciæ tres semis.
Exacte misceantur.

*Hodie quidem rarus hujus electuarii est usus, nisi in enematibus; blande tamen alvum laxat, bilem educit, & in renum affectibus dari potest.*

*Dosis uncia dimidia ad integram. Drachmæ decem hujus electuarii drachmam unam foliorum Sennæ continent.*

## ELECTUARIUM DE MANNA.

*REC.* Mannæ electæ,
Sacchari albi ana uncias duas,
solvantur in
Aquæ florum Acaciæ unciis duabus,
per linteum colatis addatur
Radicis Iridis Florentinæ, in tenerrimum pulverem tritæ, drachma una,
Olei Amygdalarum dulcium uncia una.
Misceantur, fiat Electuarium.

*Alvum leniter laxat. Tenellis, & præsertim recens natis, ad educendos humores vitiosos & meconium datur.*

*Dosis drachma una ad quatuor.*

## ELECTUARIUM MITHRIDATIUM DAMOCRATIS.

*REC.* Radicum Aristolochiæ rotundæ veræ,
Phu pontici ana uncias quatuor semis,
Calami aromatici uncias quinque drachmas tres,
Gentianæ uncias septem semis,
Mei athamantici uncias tres, & drachmas sex,
Zingiberis albi uncias quindecim,
Herbarum Dictamni Cretici uncias septem semis,
Polii montani,
Scordii Cretici ana uncias decem semis,
Foliorum Indorum uncias duodecim,

Florum Hyperici uncias tres ſemis,
Stœchadis Arabicæ uncias duodecim,
Roſarum rubrarum,
Spicæ Celticæ ana uncias ſeptem ſemis,
Nardi Indicæ uncias quindecim,
Schœnanthi uncias tredecim,
Seminum Thlaſpios uncias quindecim,
Seſeleos uncias duodecim,
Dauci Cretici uncias decem ſemis,
Petroſelini Macedonici,
Fœniculi ana uncias ſeptem ſemis,
Aniſi uncias quatuor ſemis,
Baccarum Juniperi unciam unam,
Piperis longi uncias duodecim,
albi,
Carpobalſami ana uncias decem ſemis,
Cardamomi minoris uncias ſeptem ſemis,
Croci optimi uncias quindecim,
Cinnamomi uncias quindecim ſemis,
Coſti veri uncias duodecim,
Caſſiæ ligneæ uncias decem ſemis,
Agarici trochiſcati uncias quindecim,
Caſtorei uncias duodecim,
Stincorum marinorum uncias tres ſemis,
Myrrhæ electæ uncias ſedecim,
Olibani uncias quindecim,
Bdellii uncias decem ſemis,
Gummi Arabici uncias ſeptem ſemis.

Radices, herbæ & ſemina, leni calore ſiccata, cum aromatibus & reliquis mixta, in ſubtiliſſimum pulverem rediguntur; & per cribrum trajecta, ſeorſim ſervantur; his peractis

*REC.* Gummi Galbani,
Opopanacis ana uncias duodecim,
Sagapeni uncias quatuor ſemis,
Succi Hypociſtidis uncias duodecim,
Acaciæ uncias quatuor,
Opii electi uncias ſeptem ſemis.

Solvantur in
Vini generoſi libris octo,
ſoluta commiſceantur cum
Mellis deſpumati libris centum & ſedecim,
& ſucceſſive, inter perpetuam agitationem, pulvis reliquorum inſpergatur, tandem
Styracis in granis unciæ duodecim, in
Terebinthinæ claræ unciis quatuordecim,
liquatis, &
Opobalſami unciæ duodecim addantur,
atque agitatio, ad perfectam ingredientium mixtionem, per aliquot horas continuetur. Denique in vaſe ſatis magno, ut fermentare & commode ſingulis octiduis, ſpatula magna lignea, agitari ac commoveri queant, reponantur.

*Pro alexipharmaco inſigni, & fere univerſali medicina habetur. Stomachicum, confortans & anodynum haud contemnendum præbet. Quælibet uncia grana habet duo Opii, & grana quatuor Croci.*

*Doſis a drachma una ad drachmas quatuor.*

## ELECTUARIUM ſive PHILONIUM ROMANUM.

*REC.* Piperis albi,
Seminum Hyoſcyami ana drachmas decem,
Semi-

Seminum Apii drachmas duas,
Petroſelini Macedonici,
Fœniculi,
Dauci Cretici ana ſcrupulos quatuor,
Caſſiæ ligneæ,
Cinnamomi ana drachmas tres,
Caſtorei,
Myrrhæ ana drachmas duas,
Croci orientalis,
Spicæ Indicæ,
Zedoariæ,
Pyrethri ana ſcrupulos duos,
Opii drachmas quinque,
Mellis deſpumati uncias octodecim,
Opium, in
Vini albi uncia una ſemis
ſolutum, cum reliquis, optime tritis, melli admiſcetur, & ſic probe mixta ſervantur.

*Quælibet drachma hujus electuarii ultra granum unum & ſemis Opii continet, ex hoc & reliquorum pondere facile doſis conſtitui poteſt, adulto ſcilicet nunquam ultra drachmas duas in ſummo.*

*Somniferum eſt, & dolores ſedat; hinc in colica flatulenta a nonnullis adhiberi ſolet. Veteres etiam tuſſi vehementi, & imminenti hinc vaſorum pulmonis crepaturæ deſtinabant.*

## ELECTUARIUM ſive REQUIES NICOLAI.

*REC.* Florum Roſarum rubrarum,
Violarum ana drachmas ſex,
Seminis Hyoſcyami albi,
Papaveris albi,
Lactucæ,
Pſyllii ana unciam dimidiam,
Corticum radicum Mandragoræ,
Nucum Moſchatarum,
Cinnamomi,
Zingiberis albi,
Opii depurati ana drachmas tres,
Sandali albi,
rubri,
Tragacanthæ,
Spodii ex Ebore ana drachmas duas,
Sacchari albi uncias viginti,
Opium
Vini albi unciis tribus diluatur,
reliqua in pulverem terantur, & Saccharum in
Aquæ florum Roſarum unciis decem ſolvatur,
atque omnia optime permiſceantur.

*A longo tempore in noſtris officinis in uſu eſt hoc electuarium, atque infantibus, ad conciliandum ſomnum, dari ſolet; hanc ob cauſam haud quicquam in ejus compoſitione immutare, multo minus plane proſcribere voluimus.*

*Uncia una habet Opii grana quinque.*

*Infanti tenero non ultra grana duo, vel tria, facile adhibentur.*

## ELECTUARIUM RESUMPTIVUM.

*REC.* Radicum Liquiritiæ,
Herbæ Hederæ terreſtris,
Veronicæ ana unciam ſemis.
Infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis libris quinque,
macerentur per noctem, mane colentur, in colatura coquantur
Radicum Farfaræ recentium, minutim inciſarum,
Paſſularum minorum ana unciæ ſedecim,
usque quo molleſcant; contundantur in mortario marmoreo, atque per cribrum trajiciantur.
Magmati vel pulpæ addantur
Sacchari albi unciæ triginta duæ,
coquantur leni igne ad juſtam conſiſtentiam; refrigeratis admiſceantur

Amygdalarum dulcium, minutim inciſarum, unciæ ſeptem,
Flavedo citri a tribus pomis recentibus deraſa,
Cinnamomi acuti uncia ſemis,
Caryophyllorum aromaticorum drachmæ tres.

Fiat Electuarium.

*Hecticis, tabidis, nec non tuſſi acri ſicca laborantibus convenit.*

*Doſis uncia ſemis ad integram, bis vel ter per diem ſumenda.*

## ELECTUARIUM SANANS FULLERI.

*REC.* Spermatis ceti recentis drachmam unam,
Ceræ citrinæ odoratæ drachmas tres,
Olei Amygdalarum dulcium unciam unam,
Liquentur leni igne, atque ab igne remotis & probe, usque refrixerint, agitatis, addantur
Conſervæ Roſarum rubrarum unciæ duæ,
Mellis deſpumati uncia una.

*Commendabile eſt ad primarum viarum eroſiones, tuſſim acrem, nec non in dyſenteria.*

*Doſis drachmæ duæ vel tres.*

*NB. Quia facile rancorem contrahit hoc electuarium, non, niſi dum expetitur, parandum.*

## ELECTUARIUM TAMARINDORUM.

*REC.* Pulpæ Tamarindorum uncias quatuor,
Paſſularum minorum,
Prunorum ana unciam unam ſemis.

Miſceantur; poſtea adde
Foliorum Sennæ electæ pulveriſatorum, unciam unam ſemis,
Cremoris Tartari drachmas ſex,



Cinnamomi acuti,
Seminis Fœniculi ana drachmas duas,
Olei Nuciſtæ deſtillati guttas decem.

Miſce, fiat, addita ſufficienti quantitate ſyrupi roſati ſolutivi, electuarium.

*Bilioſos humores blande educit.*

*Doſis ab uncia dimidia ad integram.*

## ELECTUARIUM THERIACÆ ANDROMACHI.

*REC.* Radicum Dictamni albi, ſive Fraxinellæ,
Scillæ præparatæ ana libras duas,
Iridis Florentinæ libram unam,
Pentaphylli uncias ſex,
Calami aromatici,
Phu pontici ana uncias quinque,
Rhabarbari veri,
Zingiberis albi ana uncias ſex,
Angelicæ,
Gentianæ ana uncias quatuor,
Ariſtolochiæ longæ veræ uncias duas,
Aſari drachmas quinque, ſcrupulum unum,
Herbarum Scordii Cretici libram unam,
Dictamni Cretici uncias ſex,
Chamædryos uncias quatuor,
Marrubii albi,
Calaminthæ montanæ ana uncias ſex,
Polii Cretici,
Chamæpityos ana uncias quatuor,
Centaurii minoris uncias duas,

Herba-

Herbarum Majoranæ,
Mari veri ana unciam ſemis, ſcrupulos quatuor,
Foliorum Indorum uncias quinque,
Florum Roſarum rubrarum libram unam,
Stœchadis Arabicæ uncias ſex,
Hyperici uncias quatuor,
Seminum Napi libram unam,
Amomi racemoſi uncias octo,
Petroſelini Macedonici uncias ſex,
Aniſi,
Fœniculi Cretici,
Ammios,
Seſeleos,
Thlaſpios ana uncias quatuor,
Dauci Cretici uncias duas,
Schœnanthi uncias ſeptem,
Spicæ vel Nardi Indicæ uncias octo,
Celticæ uncias quatuor,
Piperis longi libras duas,
albi,
nigri ana uncias ſex,
Cardamomi minoris,
Carpobalſami vel Cubebarum ana uncias quatuor,
Cinnamomi acuti uncias octo,
Coſti aromatici uncias ſeptem,
Ligni Aloës ſive Xylobalſami unciam unam,
Aſphalati drachmas quinque, ſcrupulum unum,
Agarici trochiſcati libram unam,
Myrrhæ electæ uncias octo,
Olibani electi uncias ſex,
Maſtiches ſcrupulos octo,
Gummi Arabici uncias quatuor,
Bituminis judaici, vel Aſphalti uncias duas,
Terræ Lemniæ uncias quatuor,
Caſtorei uncias duas,
Viperarum Italicarum libras duas.

Eligantur ſimplicia præſcripta optimæ notæ, quæ herbis, floribus, radicibus, & aliis ſiccationis indigis, leni calore ſiccatis, admiſceantur, & ſimul in pulverem ſubtiliſſimum redacta, ſeorſim ſerventur.

Squinanthum & Spica Indica, minutim inciſa, cum Gummi Arabico, in aqua ſoluto, probe pinſantur, & leni calore rurſus exſiccata, in pulverem redacta, reliquis addantur.

Flores Roſarum ſeorſim terantur, & cum
Chalcitidis, vel Vitrioli Martis, ad albedinem calcinati, unciis quatuor,
Croci Auſtriaci, optime triti, unciis octo,

Vino diluantur; ſequentia vero in Vini Malvatici ſufficiente quantitate ſolvantur:

Opii Thebaici libræ duæ,
Succi Liquiritiæ libra una,
Hypociſtidis,
Acaciæ,
Sagapeni ana unciæ quatuor,
Galbani unciæ duæ.

Soluta & colata commiſceantur cum
Mellis optime deſpumati triplo, vel libris centum & ſedecim;

addantur Crocus, Chalcitis, & flores Roſarum vino diluta, agitentur diligenter, ſemper de pulvere priori inſpergendo per cribrum. Tandem
Styracis in granis unciæ quatuor, in
Terebinthinæ claræ unciis ſex ſolutæ, &

Opobalſami veri, vel in ejus defectu Olei Nuciſtæ expreſſi unciæ tredecim

adjiciantur, & per horæ unius ſpatium, ut exactiſſime miſceantur, agitentur, atque in vaſe capaciori, ut fermentare, & aliquoties per menſem moveri queant, reponantur.

*Virtutes hujus electuarii etiam plebi ſunt notiſſimæ; olim pro panacea habebatur, & hodie etiam vulgus multa ac crebriori experientia edoctus, bono cum effectu, eo in plurimis morbis utitur. Nec etiam revera laude ſua privandam eſſe hanc confectionem cenſemus, etiamſi nonnulli hujus ſeculi doctiſſimi Medici, tanquam ex nimis calidis & ſanguinem incendentibus ingredientibus compoſitam, raro, caute & circumſpecte in uſum vocare jubeant. Nobis eſt alexipharmacum, adſtringens, balſamicum, ſtomachicum & anodynum.*

*Quælibet uncia continet Opii grana ſex, & Croci grana duo. Datur vel per ſe, vel cum commodo quodam vehiculo.*

*Doſis eſt a drachmis duabus ad tres.*

## ELIXIR ACIDUM DIPPELII.

*REC.* Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias ſex,
Olei Vitrioli, ſucceſſive inſtillandi, unciam unam,
Granorum Kermes,
Croci ana drachmas duas.

Mixta digerantur leni calore, vitro bene clauſo, per aliquot dies, tandem clarum decantetur & ſervetur.

*Commendatur ab Auctore in febribus putridis, ardentibus, morbis arthriticis, calculoſis, obſtructionibus menſium.*

*Doſis guttæ quindecim ad viginti ex multa aqua.*



## ELIXIR ANTICOLICUM CROCATUM.

Videatur ELIXIR CORDIALE & STOMACHICUM, vulgo GARRUS. *Pharmacop. Pariſiens.*

## ELIXIR ANTIFEBRILE.

*REC.* Radicum Gentianæ rubræ unciam unam,
Serpentariæ Virginianæ,
Herbarum Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Trifolii fibrini,
Abſinthii Pontici ana drachmas tres,
Corticis Peruviani unciam unam ſemis,
Chacarillæ,
Winterani ana unciam ſemis,
Florum ſalis armoniaci martialium drachmas ſex.

Inciſa infunde in
Spiritus Vini rectificati libris duabus,
poſt digeſtionem per quatuor dies, exprimantur, & Elixir per chartam filtratum uſui ſervetur.

*In declinatione febrium intermittentium, ad tonum reſtaurandum, & appetitum excitandum, inſervit.*

*Doſis a drachma ſemis ad ſcrupulos duos.*

## ELIXIR APERITIVUM CLAUDERI.

*REC.* Salis Tartari, vel cinerum clavellatorum depuratorum, unciam unam,
Solvantur in
Aquæ florum Sambuci,
Cochleariæ,
Naſturtii ana unciis quinque;
ſolutio filtretur, & affundatur
Aloës,
Myrrhæ ana unciæ uni,
Croci unciæ ſemis.

Per

Per triduum digerantur, filtretur & ad uſum ſervetur Elixir.

*Ad obſtructiones viſcerum reſerandas, & menſes pellendos inſervit. Hypochondriacis, ſcorbuticis, atque obſtructione alvi laborantibus convenit.*

*Doſis drachma dimidia ad integram.*

## ELIXIR BALSAMICUM PECTORALE EDINBURGENSE.

*REC.* Balſami Tolutani,
Benzoës electæ,
Styracis calamit.
Myrrhæ electæ ana drachmas tres,
Croci optimi drachmas duas,
Spiritus Vini rectificati uncias viginti.

Digerantur, atque poſt ſufficientem extractionem filtrentur.

*Vere balſamicum eſt hoc Elixir, & tam ad internos, quam externos uſus commendabile.*

*Doſis guttæ triginta ad quadraginta usque.*

## ELIXIR BALSAMICUM SPIRITUOSUM HOFFMANNI.

*REC.* Herbæ Scordii unciam unam,
Centaurii minoris,
Flavedinis corticum Aurantiorum,
Myrrhæ electæ ana unciam ſemis,
Zedoariæ,
Nuciſtæ ana drachmas tres,
Ligni Aloës drachmam unam ſemis,
Croci Auſtriaci drachmam unam,
Succini drachmas tres.

Inciſis & contuſis ſuperfundatur
Spiritus Vini rectificati libra una ſemis,

digerantur, poſt ſufficientem digeſtionem exprimantur, & liquori per filtrum trajecto addantur
Olei Cardamomi,
Caryophyllorum ana guttæ decem, in ſpiritus ſalis armoniaci vinoſi uncia una ſolutæ.

*Alexipharmacum & anticatarrhale eſt, ventriculum roborat, chylificationem promovet, & ab Illuſtri Auctore, præſertim ad diarrhœas chronicas, ex inteſtinorum lævitate, commendatur.*

*Doſis guttæ 60. bis in die.*

## ELIXIR BALSAMICUM STOMACHICUM TEMPERATUM HOFFMANNI.

*REC.* Extracti Abſinthii,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Gentianæ ana unciam unam,
Flavedinis corticum aurantiorum amarorum, ab omni albedine mundatorum, uncias quatuor.

Affunde
Vini Hungarici optimi libras duas,
Spiritus corticum aurantiorum rectificati uncias duas.

Stent per triduum infuſa in digeſtione, poſtea filtrata reponantur.

Viennenſes extractis adhuc addunt:
Salis Tartari unciam unam.

*Tonum ventriculi roborat, appetitum & concoctionem auget, atque imprimis iis, qui ſpirituoſa non ferunt, inſervit.*

*Doſis drachma una ad duas.*

## ELIXIR CORDIALE & STOMACHICUM, vulgo GARRUS.
*Pharmacop. Pariſiens.*

*REC.* Aloës Succotrinæ uncias duas ſemis,
Myrrhæ unciam ſemis,
Croci Orientalis drachmas duas,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,

Nucis Moſchatæ ana ſcrupulum unum.

Pulveriſatis affunde:

Spiritus Vini rectificati libras duas,

Aquæ fontanæ uncias duas.

Digerantur per viginti quatuor horas, poſtea ex M. B. ad ſiccitatem deſtillentur.

*REC.* Spiritus hujus prolecti,

Syrupi capillorum Veneris ana libram unam,

Aquæ Naphæ unciam unam.

Miſceantur.

*Vires ſunt anodynæ, ſtomachicæ & carminativæ, præſertim vero in colica, a menſtruo fluxu mulierum non rite ſuccedente orta, commendari poteſt.*

*Doſis cochlear unum, vel duo.*

## ELIXIR MYRRHÆ LONDINENSE.

*REC.* Extracti Sabinæ unciam unam, diſſolvatur in

Eſſentiæ Myrrhæ unciis octo,

Caſtorei unciis ſedecim,

poſt ſufficientem digeſtionem Elixir filtretur.

*Multum cum Elixir uterino Crollii convenit, atque ad menſium & uteri vitia commendatur.*

*Doſis guttæ quadraginta ad quinquaginta usque.*

## ELIXIR PECTORALE REG. DAN.

*REC.* Radicis Angelicæ uncias tres,

Leviſtici, unciam ſemis,

Florum Chamomillæ Romanæ unciam unam ſemis,

Seminis Aniſi uncias octo,

Fœniculi uncias quinque,

Macis drachmas tres,

Nucum Moſchatarum,

Myrrhæ electæ ana unciam unam,

Cinerum clavellatorum uncias octodecim.

Inciſis & contuſis affundantur, in cucurbita vitrea,

Spiritus Vini rectificati libræ quatuor,

Aquæ fontanæ libræ duæ;

Stent in digeſtione per triduum.

Tunc adde:

Salis armoniaci pulveriſati libram unam,

deſtillentur, juncturis vitri probe clauſis, lento igne, ad reſiduum libræ unius, liquor prolectus volatilis ſuperfundatur

Succi Liquiritiæ Hiſpanicæ unciis quinque,

in

Aquæ Fœniculi libra una

ſoluti;

Croci Orientalis drachmis duabus.

Digerantur per aliquot dies, poſtea Elixir, per chartam filtratum, ſervetur.

*Eſt ſpiritus vini ſale volatili & oleis vegetabilium impræguatus, ſucco liquiritiæ edulcoratus, & multum convenit cum ſpiritu ſalis armoniaci aniſato, & liquore oleoſo Sylvii, tonum pulmonum roborando, & decubitum humorum tenacium diſſipando. Excellens etiam eſt remedium carminativum, atque ad colicos dolores mitigandos, ventriculum roborandum, & urinam pellendam, commendabile.*

*Doſis guttæ triginta ſex ad quinquaginta.*

## ELIXIR PECTORALE WEDELII.

*REC.* Radicum Helenii,

Iridis Florentinæ,

Scillæ præparatæ ana unciam unam,

Liquiritiæ unciam ſemis,

Ligni Sandali rubri unciam unam,

Herbæ

Herbæ Rorellæ unciam unam
semis,
Seminis Anisi unciam semis,
Benzoës drachmas sex,
Myrrhæ unciam semis,
Gummi Ammoniaci drachmas
duas,
Croci drachmas tres.

Extrahantur
Spiritus Vini rectificati libris
duabus;

Exprimantur & filtrentur.

*Commendatur ab Autore ad asthma, catarrhos, tussim & raucedinem. Resolvit, & in hujus generis morbis non sine fructu adhibetur.*

*Dosis guttæ quadraginta ad sexaginta.*

Nota. Gummi Ammoniacum, Myrrha & Benzoë seorsum infundi, atque post sufficientem digestionem & expressionem, ambæ extractiones commisceri debent.

## ELIXIR POLYCHRESTUM.

*REC.* Extracti Panchymagogi unciam
unam,
Spiritus Vini rectificati uncias
sex,
Vitrioli drachmas tres,

Misceantur, digerantur & serventur.

## ELIXIR POLYCHRESTUM HALENSE.

Constat ex
Extracti panchymagogi uncia
una, &
Mixturæ simplicis unciis sex.

*Vim habet catharticam, atque tam ad alvum stimulandam, in minori dosi ad guttas triginta vel quadraginta, quam in majori, ad alvum ducendam, a guttis sexaginta, usque centum datur.*

## ELIXIR PROPRIETATIS ALBUM HELMONTII.

*REC.* Aloës Succotrinæ lucidæ,
Myrrhæ electæ,
Croci optimi ana unciam unam,

In pulverem trita indantur cucurbitæ vitreæ, quæ alembico cæco munita, ad digestionem in Mariæ Balneum reponatur; augeatur ignis per gradus, ut aqua ebulliat, & materia in massam coalescat, atque guttulæ flavæ ad latera cucurbitæ in conspectum veniant. Frigescant & massæ affundatur
Aquæ Cinnamomi spirituosæ libra una,

post digestionem, e Balneo destillentur, & liquor prodiens, sub nomine Elixirii albi, servetur.

*Vires sunt balsamicæ, stomachicæ & carminativæ.*

*Dosis drachma una, vel duæ.*

## ELIXIR PROPRIETATIS HELVETII.

*REC.* Myrrhæ electæ,
Aloës Succotrinæ ana unciam
unam,

pulverisatis superfundantur
Tincturæ Tartari unciæ octo.

Post solutionem & sufficientem digestionem clarum a spisso separetur, atque cum tinctura ex uncia una croci Orientalis & tinctura tartari, unciis quatuor, parata permisceantur.

Addantur
Olei Cinnamomi scrupuli duo

serventur.

*Vires cum* ELIXIRIO PROPRIETATIS DULCI *conveniunt; gratius tamen est propter Oleum cinnamomi, & penetrantius propter Tincturam Tartari.*

*Dosis guttæ triginta ad quadraginta cum vino vel vehiculo aquoso exhibendæ.*

## ELIXIR PROPRIETATIS CUM ACIDO BOERHAAVE.

*REC.* Myrrhæ,

Aloës,
Croci Auſtriaci ana unciam unam.
Tritis affunde
Aceti vini albi libras quatuor;

Immittantur cucurbitæ vitreæ, ebulliant leniſſimo igne, per aliquot horas. Frigefacta requieſcant, ut fæces ſubſideant; liquorem clarum per inclinationem a fæcibus effunde, reſiduo adde
Novi aceti libras duas,

Ebulliant iterum, ut prius; frigeſcant, atque, ut ſpiſſum a claro ſeparetur, quieſcant, effundatur clarum, & cum priori extractione per telam raram coletur.

Tincturas miſtas leni igne, ex cucurbita vitrea, deſtilla, ut unciæ decem reſtent, quibus adde
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias decem.

Digerantur, filtrentur & ſerventur.

*Egregium celeberrimo Autori eſt remedium, acidum, aromaticum, in praxi medica infiniti uſus. In febre intermittente, ſcorbuto, hypochondriaco malo, ictero, cachexia, anguinem ſua balſamica virtute imbuit, putredini reſiſtit, vermes necat. Externe ulcera putrida, ſanioſa, fœtida, fiſtuloſa emendat, depurat, labiorum, gingivarum, linguæ & faucium ulcera ſanat.*

*Dari poteſt juxta Auctorem a drachma dimidia, ad drachmas duas, ex vino, vel alio vehiculo; qui & vel mane vacuo ventriculo, vel ad minimum, duodecim horis a paſtu, ſumere jubet.*

## ELIXIR PROPRIETATIS SINE ACIDO BOERHAAVE.

*REC.* Aloës optimæ,
Croci,
Myrrhæ ana unciam unam.

Trita immittantur cucurbitæ vitreæ, affundatur liquor ex



Tartari tartariſati unciis tribus, in
Aquæ fontanæ unciis ſex ſolutis, paratus.

Digerantur per triduum in Balneo, & ſpeciebus integre ſolutis ſuperfundantur
Spiritus vini rectificatiſſimi libræ duæ,

Denuo digerantur, eo calore, ut ad finem ebulliant. Frigeſcant, & poſtquam per quietem ſpiſſum ſubſederit, clarum effundatur, novaque
Spiritus vini libra una ſuperfuſa

Digeſtio continuetur; ſeparetur dehinc clarum, & repetatur, donec omnia fere ſoluta ſint, omnes liquores filtrentur per chartam bibulam, & ſpiritus ſuperflui eo usque, per deſtillationem evocentur, donec unciæ viginti reſtent, quæ ſerventur pro Elixirio.

*Elixir hoc ſale medio paratum prodeſt in obſtructionibus chronicis & inveteratis morbis; potenter reſolvit, nec acido, nec alcalino ſuo principio, noxium eſt.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam.*

## ELIXIR PROPRIETATIS CUM ACIDO PARACELSI.

*REC.* Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ ana uncias duas,
Croci optimi unciam unam,
In pulverem tritis affunde
Spiritus Vini rectificati, per octiduum cum Spiritus Sulphuris unciis tribus digeſti, libram unam ſemis.
Stent in digeſtione per aliquot dies; liquorem tinctum effunde, atque ſpeciebus denuo
Spiritus ejusmodi libram dimidiam ſuperfunde.

Poſt digeſtionem extractiones conjunge,

ge, atque per chartam bibulam filtratas ſerva.

*Multum de hoc Elixirio autor Paracelſus, pro more ſuo, promittit, ad vitam ſanam & longam, ad plerosque morbos, etiam peſtem, vincendos. Ventriculum roborat, digeſtionem adjuvat, vermes necat, menſes & hæmorrhoides movet. Caute igitur hoc, & aliis medicamentis aloëticis uti debent hypochondriaci, bilioſi, hæmorrhoidarii, & ad hæmorrhagias diſpoſiti.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## ELIXIR PROPRIETATIS SINE ACIDO, ſive DULCE.

*REC.* Myrrhæ electæ,
Aloës Succotrinæ,
Croci optimi, ana unciam unam ſemis,
In pulverem redactis addantur
Olei Tartari, per deliquium parati, unciæ duæ, miſceantur, ut pultis conſiſtentiam induant, & digeſtis in vitro commodo, probe obturato, per viginti quatuor horas, affunde
Spiritus Vini rectificati libras duas;
Stent in digeſtione balnei quatuor dies, vaſe exactiſſime clauſo, agitando aliquoties de die vas, donec ſaturate rubens extractum ſit Elixir.

*Satis efficax remedium eſt ad morbos ventriculi, a cauſa frigida ortos, alvum ſimul ſtimulat, digeſtionem promovet; ſanguinem autem exagitat, uti reliqua aloëtica.*

*Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.*

## ELIXIR PROPRIETATIS CUM RHABARBARO.

*REC.* Aloës Succotrinæ drachmas ſex,
Myrrhæ electæ drachmas duas,
Croci Orientalis drachmam unam ſemis,
Rhabarbari optimi unciam ſemis.
Conciſis & contuſis, in phiala capaci affunde
Vini Malvatici generoſi uncias octo,
Spiritus Salis rectificati unciam unam;
Stent, vaſe optime obturato, in loco tepido, per octiduum, tum filtrentur & ſerventur.

*Ad ventriculum & inteſtina expurganda & roboranda, hepatis & hypochondriorum obſtructiones expediendas, appetitum excitandum, mulierum menſtruas purgationes in ordinem redigendas, & vermes necandos atque expellendos commendatur.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad octoginta.*

## ELIXIR SALUTIS.

*REC.* Radicum Enulæ,
Liquiritiæ,
Rhabarbari veri ana unciam unam,
Foliorum Sennæ Orientalium uncias duas,
Seminis Aniſi,
Carvi,
Coriandri ana unciam unam,
Uvarum paſſarum, absque acinis, uncias quatuor,
Salis Tartari drachmas duas.
Inciſis & contuſis affunde
Aquæ fontanæ ferventis libram unam, refrigeratis adde
Spiritus Vini rectificati libras duas,
Digerantur, & poſt ſufficientem extractionem exprimantur & filtrentur.

*Commendatur illis, qui a tarditate alvi & flatibus vexantur.*

*Doſis drachmæ duæ ad unciam ſemis.*

## ELIXIR VITÆ MATTHIOLI; JUXTA DISPENSAT. VIENNENS.

*REC.* Radicum Galangæ minoris,

Radicum Zinziberis,
Zedoariæ ana unciam unam,
Calami aromatici,
Foliorum Majoranæ,
Menthæ,
Thymi,
Serpilli,
Florum Rosarum,
Salviæ,
Rorismarini ana unciam semis,
Seminis Anisi,
Fœniculi ana drachmas duas,
Cinnamomi acuti uncias tres,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ,
Macis ana unciam unam,
Cubebarum,
Ligni Aloës,
Sandali citrini,
Cardamomi minoris ana unciam semis,
Corticum Citri recentium uncias tres,
Incisa & contusa macerentur in
Spiritus vini rectificati libris duodecim per triduum, postea addantur
Aquæ fontanæ libræ quatuor,
& lento igne ex Balneo destillentur circiter libræ tredecim.
Si completum desideretur Elixir,
Ambræ grisææ &
Moschi ana scrupuli duo,
addantur, atque, pro lubitu,
Croco tingatur.

*Singularis efficaciæ prædicatur hæc aqua spirituosa, Elixir Vitæ dicta, tam interne, quam externe adhibita. Epilepticis, animo deficientibus, præcipue autem in morbis a causa frigida ortis, commendatur. Flatus discutit, ventriculum roborat.*

*Dosis a drachma una ad unciam semis.*

## ELIXIR VITÆ MULIERUM.

Videatur AQUA EMBRYONUM correctior.

## ELIXIR VITRIOLI MYNSICHTI.

*REC.* Calami aromatici unciam unam,
Galangæ minoris unciam unam semis,
Zinziberis albi drachmas tres,
Menthæ crispæ,
Salviæ acutæ ana unciam semis,
Caryophyllorum,
Cinnamomi electi ana drachmas tres,
Cubebarum,
Nucis Moschatæ ana drachmas duas,
Ligni Aloës ponderosi,
Corticum Citri ana drachmam unam.
Incisis & contusis superfunde
Spiritus Vini rectificati libram unam semis,
Macerentur per quatuordecim dies, deinde addantur
Spiritus Vitrioli unciæ duæ,
Digerantur per sex dies, tum expressa per emporeticam colentur.
Residuo
Spiritus Vini uncias quinque vel sex affunde,
Digere, & essentiam reliquam extrahe, quam cum priori conjunge, &
Sacchari albi, parum tosti, unciis quatuor superfunde,
atque post digestionem, a fecibus in quiete subsidentibus separatam, serva.

*Stomachicum est egregium, præsertim biliosis convenit, & appetitum excitat.*

*Dosis guttæ quinquaginta ad sexaginta quinque.*

## ELIXIR UTERINUM.

*REC.* Herbæ Artemisiæ uncias tres,
Incisis affunde
Spiritus Vini rectificati uncias quindecim,
Extracta per digestionem, exprime, & colatam hanc essentiam affunde
Castorei Orientalis unciæ uni semis,

Croci

Croci pulverisati unciæ semis.
Digerantur leni calore, exprimantur, & per chartam bibulam filtratis adde

Olei destillati Anisi,
Angelicæ,
Succini ana guttas quadraginta.

Serventur.
Perspicit B. L. præcipua Elixiris Crolliani ingredientia heic servari, reliqua, ex justis rationibus, partim omitti, partim ipsum præparationis modum mutari.
*Commendatur ad uteri morbos, mensium retentionem, fluorem album, &c.*
*Dosis guttæ quadraginta ad sexaginta.*

## EMPLASTRUM ADHÆSIVUM EDINBURGENSIUM.

*REC.* Emplastri diachylon simplicis libram semis.
Picis Burgundicæ uncias tres.
Misce, liquescant, ut fiat Emplastrum.
*Est pro untendis vulnerum labiis, absque sutura.*
*Vices insuper supplet* Emplastri ad hernias.

## EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

*REC.* Olei olivarum libras duas,
Cerussæ libram unam semis,
Ceræ albæ uncias quatuor,
Cerussam cum oleo, leni igne, ad debitam consistentiam coquendo, sub coctione modicum aquæ fontanæ continuo instillando, & tandem ceram in eo liquefaciendo, fiat emplastrum.
*Leves cutis exulcerationes, intertrigines sanat; siccat, refrigerat, & vulneribus ac ulceribus cicatricem inducit.*

## EMPLASTRUM DE AMMONIACO.

*REC.* Unguenti Dialtheæ unciam unam semis,



Ceræ citrinæ uncias quatuor,
Resinæ Pini unciam unam.
Super ignem colliquatis & colatis adde

Pulveris radicis Bryoniæ,
Iridis Florentinæ,
seminis Fœni græci ana drachmas sex.

Misceantur, & in fine addantur,
Gummi Ammoniaci, in aceto soluti, unciæ duæ,
Emplastri de Meliloto uncia una.
Fiat emplastrum.
*Emollit & discutit, maturat & dolores mitigat.*

## EMPLASTRUM ANTIPODAGRICUM.

*REC.* Olei seminis Hyoscyami,
Papaveris,
Lini ana uncias quatuor,
Minii rubri libram unam,
Aquæ Sambuci libram semis.
Coque lento igne, ad solutionem Minii; adde
Saponis Veneti uncias tres;
Hoc soluto adjiciantur,
Ceræ citrinæ unciæ duæ.
Fiat lege artis emplastrum.
*Viribus paregoricis hoc præfertur emplastro saponato Barbette, tenuiter super lintea extensum, partibusque dolentibus & spasmo affectis superpositum, dolores mitigat.*
*Nobis tamen, uti tantum non omnia, maxime vero repellentia, emplastica, contra dolores podagricos minus tutum videtur.*

## EMPLASTRUM PRO APOPLECTICIS.

*REC.* Gummi Galbani,
Opopanacis ana drachmas duas,
Radicum Pyrethri,

Piperis longi,
Caſtorei ana drachmam unam,
Terebinthinæ Venetæ drachmas tres,
Olei deſtillati Succini ſcrupulum unum.

Fiat emplaſtrum.

*In morbis ſoporoſis, apoplexia & paralyſi, capiti raſo applicari poteſt.*

## EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI.

*REC.* Baccarum Lauri uncias quatuor,
Cyperi rotundi,
Coſti amari, vel corticis Winterani,
Thuris,
Maſtiches,
Myrrhæ ana unciam unam.

Fiat omnium pulvis; poſtea

*REC.* Ceræ citrinæ uncias octo,
Reſinæ uncias duas,

Super ignem liquatis adde
Olei laurini,
Terebinthinæ ana uncias duas.

Quibus pulverem reliquorum immiſce, ut fiat emplaſtrum.

*Diſcutit & reſolvit; hinc in tympanitide, hydrope, & affectibus a flatibus ortis, abdomini ſuperimponitur.*

## EMPLASTRUM, ſive CERATUM DE BETONICA.

*REC.* Ceræ flavæ,
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ ana uncias duas.

Liquefactis reſina & cera, colatisque, ac aliquantum refrigeratis Terebinthinam adde, hisque unitis pulveres ſubtiliſſimos
Betonicæ unciam unam,
Maſtiches,
Mumiæ,
Thuris ana drachmas duas.

M. Fiat emplaſtrum.

*Chirurgi hoc emplaſtro utuntur in contuſionibus & vulneribus capitis; eſt etiam ad cephalalgiam, catarrhos & alios capitis morbos utile; capillis prius deraſis vertici imponitur, & temporibus applicatur.*

## EMPLASTRUM CAPUCINORUM.

*REC.* Gummi Ammoniaci,
Olibani,
Maſtichis,
Tutiæ præparatæ ana unciam unam,
Euphorbii,
Pyrethri,
Salis communis ana uncias duas,
Picis navalis uncias tres,
Terebinthinæ unciam unam,
Ceræ flavæ uncias tres.

Pix, terebinthina & cera leni igne fundantur, quibus colatis reliqua in pulverem trita immiſceantur.

*Rev. Patres Capucini, qui preces per multas horas, genibus flexis exſequuntur, hoc emplaſtro uti ſolent, ad nodos duros reſolvendos; unde nomen.*

*Potenter reſolvit & diſcutit. Propter Euphorbium etiam rubefaciens eſt, hinc cum circumſpectione & caute applicandum.*

## EMPLASTRUM DE CERUSSA.

Videatur EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

## EMPLASTRUM DE CICUTA, CUM AMMONIACO.

*REC.* Succi Herbæ Cicutæ uncias ſedecim,
Aceti ſcillitici,
Gummi Ammoniaci ana uncias octo.

Diſſolvatur Gummi ammoniacum in Aceto ſcillitico, coletur, & addito Succo cicutæ, rurſus inſpiſſetur ad pultis conſiſtentiam, addantur,
Pulveris Cicutæ unciæ octo,
Ceræ liquatæ libra una,

Olei

Olei Capparum unciæ quatuor.

Miſceantur leni calore, ut fiat emplaſtrum.

*Potentiſſimum eſt reſolvens & emolliens, hinc in ſcirrhis & tumoribus, præcipue lienis, adhibetur.*

## EMPLASTRUM, ſive CERATUM CITRINUM.

*REC.* Reſinæ libram unam,
Ceræ citrinæ uncias octo,
Sevi cervini uncias quatuor,
Terebinthinæ uncias duas.

Fiat emplaſtrum, omnia liquando & colando, atque pro colore pulveris Curcumæ unciam ſemis addendo.

*Ad ulcera & vulnera maturanda valet.*

## EMPLASTRUM AD CLAVOS ET VERRUCAS PEDUM.

*REC.* Galbani unciam unam,
Picis navalis unciam ſemis,
Diachyli ſimplicis drachmas duas,
Viridis æris,
Salis armoniaci ana ſcrupulum unum.

Galbano in aceto diſſoluto, & ad ſpiſſitudinem evaporato, addatur pix & emplaſtrum diachylon, in fine ſal armoniacum & viride æris pulveriſata. Fiat emplaſtrum.

*Super verrucas & clavos in pedibus, dolorem & impedimentum inceſſui adferentes, poſitum, tertio aut quarto die juviſſe, deprehenſum eſt.*

## EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS.

*REC.* Cruſtæ panis, abunde fermentati, mediocriter toſtæ, in pulverem tritæ, & aceto forti maceratæ, uncias duas,
Tacamahacæ unciam unam,
Maſtiches electæ,
Caryophyllorum aromaticorum,
Nucis Moſchatæ,
Menthæ ana unciam ſemis,
Ceræ citrinæ uncias ſex,
Terebinthinæ,
Olei Maſtiches,
Cydoniorum ana unciam unam.

Ceræ, cum terebinthina colliquatæ, olea & reliqua commiſcendo, fiat emplaſtrum.

*Stomachale eſt, inque vomitionibus puerorum, & ubi concoctio non recte ſuccedit, ventriculi regioni applicatur.*

## EMPLASTRUM DE CUMINO.

*REC.* Ceræ citrinæ,
Emplaſtri Diapalmæ,
Olei Olivarum,
Seminis Cumini ana uncias ſex,
Baccarum Lauri uncias duas,
Olei deſtillati Cymini drachmam unam.

Cera, oleum & emplaſtrum leni igne liquentur, quibus pulvis ex cumino & lauri baccis optime immiſceatur; tandem Oleum deſtillatum Cymini addatur & emplaſtrum, veſicæ bubulæ involutum, reponatur.

*Reſolvit, flatus diſcutit, roborat, tympaniticis & hyſtericis prodeſt.*

## EMPLASTRUM DEFENSIVUM FELICIS WURZII.

*REC.* Ceræ citrinæ libram unam,
Reſinæ uncias duas,
Sevi hircini uncias ſex,
Terebinthinæ unciam unam,
Pulveris herbæ Alchimillæ uncias ſex.

Miſce, fiat emplaſtrum.

NB. Si viridius deſideretur, ſingulis libris emplaſtri hujus adjicito Indici coloris cærulei, optime triti, ſcrupulum unum, vel drachmam dimidiam.

*Leniter adſtringit, refrigerat, & nimium affluxum humorum a partibus affectis arcet.*

## EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM.

*REC.* Ceræ flavæ libras duas,
Reſinæ unciam unam,
Olei Roſarum uncias quatuor,
Calcis vivæ, in aqua roſarum lotæ, & iterum exſiccatæ
Laterum, vel tegularum,
Boli Armenæ ana drachmas decem,
Minii ſubtiliſſimi unciam ſemis,
Camphoræ, in oleo ſolutæ, drachmas duas.

Calx, tegulæ & bolus in pollinem ſubtiliſſimum redacta, immiſceantur ceræ & reſinæ cum oleo liquefactis, quibus ſemi refrigeratis camphora additur, & fiat emplaſtrum.

*Imponitur ad inflammationes arcendas, præcipue in vulneribus & ulceribus, ad præcavenda ſymptomata, & partes roborandas.*

## EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM WEPFERI.

*REC.* Butyri recentis,
Olei Lini ana uncias ſex,
Corticum viridium Sambuci recentium uncias quatuor.

Coquantur leni igne, ad humiditatis conſumtionem; exprimantur. Expreſſo addantur
Ceræ flavæ,
Minii rubri ana unciæ ſex.

Miſceantur, fiat emplaſtrum.

*Uſus eſt in ulceribus antiquis, & per veſicatoria excitatis, ubi inflammationis metus eſt; in cancro ipſo exulcerato palliative confert, & dolores mitigat.*

## EMPLASTRUM DIABOTANUM BLONDELLI.

*REC.* Herbarum recentium, cum radicibus, Bardanæ,
Petaſitidis,
Calendulæ,
Cicutæ,
Chamæpytheos,
Leviſtici,
Valerianæ majoris,
Angelicæ hortenſis,
Enulæ campanæ,
Raphani ruſticani,
Cucumeris ſilveſtris,
Scrophulariæ,
Illecebræ ſive Sedi teretifolii,
Chelidonii majoris,
Chelidonii minoris,
Gratiolæ ana uncias tres.

Coque in aquæ fontanæ libris viginti, ad dimidias, cola, & expreſſis adde
Succorum Cicutæ,
Chelidonii majoris,
Hormini ana libras duas,
Illecebræ libram ſemis,

Evapora ad extracti mollioris conſiſtentiam; hujus extracti

Recipe libram ſemis, admiſce
Gummi Galbani,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Sagapeni, omnium in aceti ſcillitici ſufficienti quantitate ſolutorum, & iterum inſpiſſatorum, uncias duas, repone. Dehinc

*REC.* Lithargyrii pulveriſati libram unam,
Olei Lumbricorum,
de Catellis,
Meliloto,
Mucilaginibus ana uncias quatuor.

Aquæ fontanæ uncias decem. Coque una ad emplaſtri conſiſtentiam, cui ſucceſſive admiſce extractum, cum gummis permixtum, & Sul-

Sulphuris vivi, tenuiſſime triti, uncias ſeptem ſemis,
Radicum Iridis Florentinæ,
Cyclaminis,
Ranunculi tuberoſi,
Coronæ imperialis,
Serpentariæ,
Ellebori albi ana drachmas tres,
Sigilli Salomonis,
Ari ana unciam ſemis,
trium Ariſtolochiarum ana drachmam unam,
Baccarum Lauri drachmas duas,
Seminum Angelicæ,
Naſturtii ana drachmas tres,
Cumini unciam unam ſemis,
Fimi columbini unciam ſemis,
Pulveris Bituminis judaici,
Olibani,
Maſtiches ana uncias quatuor,
Tacamahacæ uncias ſex,
Bdellii,
Myrrhæ ana unciam unam ſemis.

His permiſcendo adde ſucceſſive
Ceræ citrinæ &
Picis liquatæ ana libram ſemis; tandem admiſce
Styracis liquidæ repurgatæ uncias ſex,
Camphoræ drachmas ſex, in
Olei Caryophyllorum uncia ſemis ſolutæ,
Olei de Lateribus drachmas decem.

Fiat emplaſtrum.

Nota. Oleum de Mucilaginibus parari poteſt ex Mucilaginibus, emplaſtrum diachylon ſimplex ingredientibus, cum olei olivarum anatica portione, ad humiditatis conſumtionem coctis.

*Nomen habet ab inſigni vegetabilium quantitate, ex quibus componitur.*

*Reſolvit tumores pituitoſos & ſcirrhoſos, & præfertur a nonnullis* Emplaſtro de ranis. *Libenter vero caremus Emplaſtro tantæ farraginis.*

## EMPLASTRUM DIACHALCITEOS.

Vide EMPLASTRUM DIAPALMÆ.

## EMPLASTRUM DIACHYLON COMPOSITUM, ſive CUM GUMMI.

*REC.* Emplaſtri Diachyli ſimplicis libram unam, adde
Gummi Ammoniaci,
Galbani, in aceto ſolutorum, ana unciam unam,
Croci pulveriſati drachmam unam ſemis.

Miſceantur.

*Emollit, maturat, & digerit abſceſſum fientem, jam vero facti atque rupti reliquam duritiem reſolvit, ac emollit egregie.*

## EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX.

*REC.* Mucilaginum Fœni græci,
Lini,
Radicum Altheæ ana libram unam,
Olei clari Olivarum libras tres,
Lithargyrii, in ſubtiliſſimum pulverem triti, libras duas,

Coque Oleum & Lithargyrium leni igne, perpetua agitatione, ſemper unciam unam aut alteram aquæ fontanæ inſtillando, ad ſolutionem Lithargyrii, & emplaſtri albi, ſubgriſei conſiſtentiam.

Poſtea addantur mucilagines, & continuata lenta coctione, ad juſtam emplaſtri conſiſtentiam redigantur.

*Juvat maturationem tumorum durorum, ad ſuppurationem tendentium*

## EMPLASTRUM DIAPALMÆ, ſive DIACHALCITEOS.

*REC.* Axungiæ porcinæ,
Olei Olivarum,
Foliorum Quercus teneriorum ana libras duas,

quæ conſcindantur & impaſtentur cum axungia & oleo; poſtea coquantur ad humiditatis conſumtionem, colentur & exprimantur. Colaturæ adde
Lithargyrii, in ſubtiliſſimum pollinem triti, libras duas.

Lentiſſimo igne, ſub perpetua agitatione, una coquantur, ſemper de ſolutione
Vitrioli unciarum trium, in
Aquæ fontanæ libris duabus

facta, parum inſtillando, donec conſiſtentiam emplaſtri acquiſiverint, coloris albi ſubcinerei.

*Deſiccat; hinc ad ulcera ſordida, ædemata & contuſiones, abs chirurgis adhibetur.*

## EMPLASTRUM DIAPHORETICUM MYNSICHTI.

*REC.* Ceræ flavæ uncias undecim,
Colophoniæ,
Bdellii ana uncias quatuor,
Succini citrini uncias tres,
Gummi Ammoniaci,
Terebinthinæ puræ ana uncias duas,
Galbani,
Sandarachæ ana unciam unam,
Maſtiches,
Thuris electi ana unciam ſemis.

Cera cum Colophonia liquetur & coletur; quibus, ab igne ſepoſitis & ſemifrigeratis, Terebinthina & reliqua in pulverem contrita immiſcendo, fiat ſecundum artem emplaſtrum.

*Potenter diſcutit ac humores extrahit, tonum confortat, in iſchiatico malo, parotidibus, tumoribus ædematoſis pedum, & luxationibus applicari ſolet.*

## EMPLASTRUM DIAPOMPHOLYGOS.

*REC.* Olei Solani libras duas ſemis,
Ceræ albæ uncias triginta,
Ceruſſæ,
Plumbi uſti ana libram ſemis,
Pompholygos,
Olibani ana uncias quatuor,

Ceruſſa & oleum leniſſimo igne, una cum
Aquæ Solani libra una
coquantur, ad unguenti ſpiſſioris conſiſtentiam; quibus addatur Cera alba, &, cum ſub perpetua agitatione fere refrixerint, reliqua ſubtiliſſime trita, admiſceantur.

*Refrigerat, exſiccat & dolores lenit.*

## EMPLASTRUM DIASULPHURIS RULANDI.

*REC.* Balſami Sulphuris Rulandi,
Ceræ citrinæ,
Colophoniæ ana uncias ſex,
Pulveris Myrrhæ uncias octodecim.

Miſce, fiat emplaſtrum.

*Reſolvit, mundat, exſiccat, & conſolidat; atque inprimis ad reſolvendas ſtrumas laudatur.*

## EMPLASTRUM DIVINUM.

*REC.* Lithargyrii optime triti libram unam ſemis,
Olei Olivarum libras tres.
Coquantur lento igne, ſub perpetua agitatione, ad emplaſtri conſiſtentiam, adde
Ceræ flavæ uncias octo,
Lapidis Magnetis præparati libram dimidiam,
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,

Bdellii

Bdellii ana uncias tres,
Myrrhæ,
Olibani,
Maſtiches,
Æruginis,
Ariſtolochiæ rotundæ, omnium ſubtiliſſime tritorum, ana unciam unam ſemis,
Terebinthinæ uncias quatuor.

Probe mixta ſerventur.

*Cum emplaſtro Opodeldoch convenit, & nomen videtur ſortitum eſſe ob egregias vires reſolventes, detergentes & confortantes.*

## EMPLASTRUM FILII ZACHARIÆ.

*REC.* Ceræ albæ,
Sevi cervini ana libram unam,
Axungiæ Anſeris,
Gallinæ ana libram ſemis.

Fundantur lento igne, fiat emplaſtrum.

*Anodynum eſt, reſolvit, ad pleuriticos & ſpaſticos dolores, pectori applicitum, commendatur.*

## EMPLASTRUM AD FRACTURAS ET LUXATIONES.

*REC.* Ceræ libram ſemis,
Picis libram unam,
Terebinthinæ uncias duas.

Super ignem liquatis inſpergantur
Pulverum radicis Conſolidæ majoris,
Barbæ caprinæ,
Boli Armenæ ana unciæ duæ.

Probe mixta ſerventur.

*Luxationibus ac fracturis oſſium a Chirurgis imponitur.*

## EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM MYNSICHTI.

*REC.* Gummi Galbani in aceto ſoluti,





Emplaſtri de Melilŏto,
Diachyli ſimplicis ana uncias tres,
Ceræ,
Terebinthinæ ana unciam unam,
Croci Orientalis pulveriſati drachmas ſex.

Miſce, fiat emplaſtrum.

*Tumores duros emollit, reſolvit, dolores mitigat.*

## EMPLASTRUM GRISEUM ſive DE LAPIDE CALAMINARI.

*REC.* Lapidis calaminaris præparati unciam unam,
Lithargyrii uncias duas,
Thuris electi,
Maſtiches ana unciam ſemis,
Myrrhæ drachmas duas,
Tutiæ præparatæ unciam ſemis,
Ceræ uncias tres,
Sevi cervini uncias quatuor,
Terebinthinæ unciam unam ſemis,
Camphoræ drachmam unam ſemis,

Cera & ſevo liquatis, Terebinthina addatur, quibus ſemi-refrigeratis pulveres, ſub perpetua agitatione piſtillo ligneo, admiſceantur, tandem Camphora, cum pauxillo Spiritus vini trita, adjiciatur. Fiat emplaſtrum.

*Siccat ulcera, & cicatricem accelerat.*

## EMPLASTRUM PRO HERNIOSIS.

*REC.* Terebinthinæ Venetæ uncias quatuor,
Maſtiches electæ unciam unam ſemis.

Liquefiant invicem, quibus adde
Ceræ flavæ uncias ſex,
Pulveris Myrrhæ,
Olibani,
Sanguinis Draconis ana drachmas ſex,

Radicis Symphyti majoris,
Seminis Perfoliatæ ana unciam unam,
Lapidis Hæmatitæ præparati,
Vitrioli ad flavedinem calcinati ana unciam femis,

Fiat emplaſtrum.

*Plus emolumenti infantibus, quam adultis, ab ejusmodi emplaſtris expectare licet, & adultioribus, niſi bracherio commodo muniti ſint, vix quidquam proderit.*

## EMPLASTRUM DE HYOSCYAMO.

*REC.* Olei e ſeminibus Hyoſcyami expreſſi,
Succi Hyoſcyami ex herba ana libram unam.
Coquantur ad humiditatis conſumtionem; colaturæ adde
Ceræ citrinæ uncias quindecim,
Terebinthinæ unciam unam ſemis,
Pulveris herbæ Hyoſcyami uncias duas.

Miſceantur, fiat emplaſtrum.

*Ad rheumaticos dolores, tumores partium glanduloſarum, earum inflammationes, atque ſplenis affectus laudatur.*

## EMPLASTRUM INCOGNITUM.

Videatur EMPLASTRUM SANTALINUM.

## EMPLASTRUM ISCHIATICUM.

*REC.* Picis navalis uncias duas.
Gummi Galbani unciam unam,
Sulphuris vivi,
Succini citrini ana drachmas duas,
Seminis Cymini,
Florum Chamomillæ ana drachmam unam ſemis,
Olei petræ rubri unciam dimidiam.

Galbanum in aceto ſolvatur, atque cum pice optime permiſceatur, quibus addantur reliqua in pulverem trita, & denique oleum petræ inſtilletur; præſtat tamen emplaſtrum tempore uſus demum Petroleo malaxare.

*Diſcutit, reſolvit & roborat, atque egregie in doloribus iſchiaticis, aliisve rheumaticis conducit.*

## EMPLASTRUM DE LAURI BACCIS.

Videatur EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI.

## EMPLASTRUM MAGNETICUM.

*REC.* Gummi Sagapeni,
Ammoniaci,
Galbani ana uncias tres,
in aceto diſſolutis adde
Ceræ flavæ,
Terebinthinæ ana uncias quinque,
Magnetis arſenicalis ſubtiliſſime triti uncias tres,
Terræ Vitrioli dulcis,
Olei Succini rubri ana unciam unam.

Miſceantur exacte & ſerventur.

*Maturat & attrahit. Uſus præcipuus eſt in carbunculis peſtilentialibus.*

## EMPLASTRUM MALACTICUM CUM GUMMI.

*REC.* Ceræ citrinæ uncias tres,
Terebinthinæ drachmas decem,
Sevi cervini,
Reſinæ ana unciam unam,
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Pulveris Curcumæ,
Fœni græci,
Lini ana unciam ſemis,
Altheæ drachmas duas,
Farinæ Fabarum,
Tritici ana drachmas tres.

Ceræ,

Ceræ, ſevo & reſinæ liquefactis, colatis, poſtea ab igne ſepoſitis & ſemi refrigeratis, pulveres ac terebinthinam immiſcendo, fiat emplaſtrum.

*Emollit, reſolvit & maturat.*

## EMPLASTRUM MALACTICUM SINE GUMMI.

*REC.* Ceræ citrinæ uncias octo,
Terebinthinæ,
Colophoniæ ana uncias tres,
Olibani uncias duas,
Tartari albi drachmas duas,
Myrrhæ,
Seminis Fœni græci,
Lini ana unciam unam,
Radicum Altheæ,
Curcumæ,
Farinæ Fabarum ana uncias duas,
Olei Lini unciam unam ſemis.

Miſceantur, fiat emplaſtrum.

*Viribus cum antecedente convenit.*

## EMPLASTRUM MAMMILLARE.

*REC.* Spermatis ceti uncias duas,
Emplaſtri de Spermate ranarum, unciam unam ſemis,
Olei Chamomillæ cocti, drachmas ſex.

Fundantur leni igne; addantur
Pulveris ſeminis carvi uncia,
Olei deſtillati carvi drachmæ duæ,
Camphoræ drachma una.

Miſceantur, fiat Emplaſtrum.

*Tenſiones doloroſas mammarum, a lactis abundantia, mitigat, coagulationem lactis impedit, & coagulatum reſolvit.*

## EMPLASTRUM MATRICALE.

*REC.* Gummi Galbani,
Sagapeni,
Aſæ fœtidæ ana unciam unam ſemis.



Solvantur in aceti Rutæ ſufficienti quantitate, atque ad ſpiſſitudinem pultis redigantur; adde
Terebinthinæ Venetæ unciam unam ſemis,
Ceræ citrinæ, ſeorſim liquatæ & aliqualiter refrigeratæ, uncias quatuor,
Myrrhæ unciam unam,
Caſtorei drachmam unam,
Olei deſtillati Angelicæ,
Succini ana ſcrupulum unum.

Miſce.

*In uteri affectibus prodeſt; calefacit, flatus diſcutit, & dolores ſedat, abdomini impoſitum.*

## EMPLASTRUM DE MELILOTO.

*REC.* Herbæ & florum Meliloti uncias quatuor,
Florum Abſinthii,
Chamomillæ,
Baccarum Lauri,
Seminis Apii ana drachmas ſex,
Styracis unciam ſemis,
Gummi Ammoniaci unciam unam.

Optime in pulverem trita excipiantur
Ceræ citrinæ unciis octo,
Sevi hircini unciis quatuor,
Terebinthinæ,
Reſinæ ana uncia una ſemis,
Olei Chamomillæ unciis duabus.

Fiat emplaſtrum.

*Ad inflammationem & tumores glandularum maxillarium, & parotidum reſolvendos adhibetur.*

## EMPLASTRUM MERCURIALE.

*REC.* Emplaſtri diachyli ſimplicis libram unam,
Gummi ammoniaci libram ſemis,
Mercurii vivi uncias octo,
Terebinthinæ unciam unam,
Styracis liquidæ unciam ſemis.

Miſce ſecundum artem.

*Cum Emplaſtro de vanis cum mercurio, convenit, & breviori mana paratur.*

## EMPLASTRUM ſive CERATUM DE MINIO RUBRUM.

*REC.* Ceræ citrinæ,
Sevi cervini,
Olei Roſarum ana libram ſemis,
Cera & Sevo liquatis atque fere refrigeratis, adde
Minii rubrii, cum Oleo roſato optime triti, uncias ſex,
Camphoræ drachmam unam ſemis.
Fiat emplaſtrum molle.

*Ad partes inflammatas, ambuſtas, & e veſicatorio applicito ſuppurantes & dolentes, demulcendas, leniendas atque conſolidandas inſervit.*

## EMPLASTRUM MIRACULOSUM.

*REC.* Ceruſſæ libras duas,
Lithargyrii,
Minii ana libram ſemis,
ſubtiliſſime tritis adde
Olei Olivarum libras tres.
Coquantur leniſſimo igne, addantur
Saponis Veneti raſi unciæ quatuor,
ſolutis, & ad emplaſtri paulo durioris conſiſtentiam coctis, admiſceantur
Camphoræ uncia una,
Baccarum Lauri, ſubtiliſſime tritarum, uncia ſemis.

*Polychreſtum & miraculoſum quaſi habetur ad ulcera antiqua & vulnera etiam noviter inflicta.*

## EMPLASTRUM NERVINVM HOFFMANNI.

*REC.* Gummi Ammoniaci,
Elemi ana unciam ſemis,
Tacamahacæ,
Maſtiches,
Olibani ana drachmas tres,
Carannæ drachmas ſex,
Succini citrini drachmas duas.
Omnia pulveriſata excipiantur
Terebinthinæ Venetæ unciis duabus,
Ceræ flavæ libra ſemis.
Fiat emplaſtrum.

*Ad nervorum, artuum & iſchiaticos dolores utile eſt, roborat & attrahit; hinc etiam ad luxationes adhiberi poteſt.*

## EMPLASTRUM DE NICOTIANA *LE MORT.*

*REC.* Nicotianæ uncias quatuor,
Olei olivarum libram unam,
Vini rubri uncias quinque.
Coquantur leni igne ad conſumtionem humiditatis, exprimantur, & expreſſo addantur
Ceræ citrinæ,
Colophonii ana libra una.
Admiſceatur
Tacamahacæ,
Elemi,
Myrrhæ,
Aloës ana uncia una,
Olei Tabaci per deſcenſum deſtillati unciæ duæ.

Fiat emplaſtrum.

*Commendatur ab Auctore ſpleneticis. Abdomini impoſitum, alvum obſtructam reſerare expertum eſt.*

## EMPLASTRUM NORICUM.

*REC.* Olei roſati libram unam,
Minii rubri uncias octo,
Aceti Vini uncias quatuor.
Coque ad emplaſtri, brunei coloris & mollioris conſiſtentiam; adde
Ceræ citrinæ unciam unam ſemis,
Camphoræ drachmas duas.
Miſce, effunde in ſcatulas.

*Ulcera exſiccat, & nervoſas partes roborat.*

EM-

## EMPLASTRUM ODONTALGICUM.

*REC.* Gummi Tacamahacæ,
Elemi,
Maſtiches electæ ana unciam unam,
Opii drachmas duas;
Omnia probe trita excipiantur
Terebinthinæ claræ Venetæ drachmis duabus.
Miſce, fiat emplaſtrum.

*Non ſolum ad dolores dentium, ſed & cephalalgiam & defluxiones catarrhales inſervit. Spatula calefacta ſuper ſericum extenditur, atque temporibus applicatur.*

## EMPLASTRUM OPODELDOCH.

*REC.* Lithargyrii triti libram unam ſemis,
Olei Olivarum libras duas.
Coque lento igne, additis
Aceti Vini, &
Aquæ fontanæ ana unciis quatuor,
ad colorem dilute fuſcum.
His adde
Ceræ flavæ libram ſemis,
Terebinthinæ uncias quatuor,
agitentur piſtillo ligneo, ut citius refrigeſcant & ſpiſſeſcant, addantur
Gummi Ammoniaci,
Bdellii ana unciæ duæ,
Galbani,
Opopanacis ana uncia una,
in Aceto ſolutis, & in mellis conſiſtentiam redactis
Pulveris Ariſtolochiæ rotundæ veræ,
Ariſtolochiæ longæ veræ,
Lapidis calaminaris præparati,
Thuris,
Myrrhæ,
Maſtiches ana uncia una,
Olei Laurini uncia una ſemis.





Commiſceantur, ſemper agitando, usque dum refrigeſcant.

*Vulnera ſanare, ſpicula, tela, aut vulneribus illapſa extrahere, affluxus humorum arcere, & ſymptomata periculoſa præcavere credunt.*

## EMPLASTRUM OXYCROCEUM.

*REC.* Ceræ,
Picis,
Colophoniæ ana libram unam,
Croci,
Terebinthinæ,
Gummi Galbani,
Ammoniaci,
Myrrhæ,
Olibani,
Maſtiches ana uncias quatuor,

Cera, pix & colophonia invicem liquentur & colentur, quibus dein, ab igne ſepoſitis & ſemirefrigeratis, terebinthina addatur, poſtea reliqua, in pulverem ſubtiliſſimum redacta, ammoniacum, galbanum & crocus, aceto ſoluta, jungantur, fiatque emplaſtrum.

*In luxationibus, & doloribus inde ortis, reſolvendo & vi paregorica efficax deprehenditur; propter calorem vero, quem conciliat, ab uſu diuturno abſtinendum eſſe, nonnulli monent.*

## EMPLASTRUM DE PANIS CRUSTA.

Videatur EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS.

## EMPLASTRUM DE RANIS, SINE MERCURIO.

*REC.* Ranarum viventium decem,
Lumbricorum terreſtrium viventium uncias quatuor,
Schœnanthi,
Stœchadis Arabicæ,
Matricariæ,
Croci orientalis ana unciam ſemis,

Radicum Enulæ,
Ebuli ana uncias tres;
Vini albi libras duas,
Aceti Vini optimi libram unam ſemis.

Incidantur incidenda, & lento igne ad dimidias coquantur & colentur; colaturam ſerva. Poſtea recipe
Olei Olivarum uncias duodecim,
Lithargyrii optime triti totidem.

Coquantur leniſſimo igne, ſpatula ſemper agitando, & decocti ſuperioris ſubinde addendo, ad conſiſtentiam emplaſtri durioris. Ab igne remotis adde
Olei Laurini expreſſi,
Terebinthinæ claræ,
Ceræ flavæ ana uncias duas,

his liquatis
Pulveris Olibani drachmas ſex,
Euphorbii drachmas quinque,
Styracis liquidæ unciam ſemis,

probe piſtillo ligneo commiſcendo, fiat emplaſtrum.

*Commendabile eſt ad ſolvendos & emolliendos tumores frigidos, & ad dolores a cauſa frigida ortos mitigandos.*

## EMPLASTRUM DE RANIS; CUM MERCURIO SIMPLO.

Fit, ſi
Emplaſtri modo præſcripti libræ uni
additur
Mercurii vivi, in Terebinthina extincti, uncia una ſemis.

*Ad tumores & dolores glandularum, præſertim ex inquinamento venereo ortos, adhibetur.*

## EMPLASTRUM REGIUM BURRHI.

*REC.* Ceræ citrinæ libram unam ſemis,
Reſinæ Pini libram ſemis,
Terebinthinæ Venetæ libram unam,
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Bdellii,
Aſæ fœtidæ,
Hederæ,
Tacamahacæ,
Elemi,
Olibani,
Sanguinis Draconis ana unciam unam,
Tragacanthæ uncias decem,
Caſtorei unciam ſemis,
Extracti Opii,
Croci ana drachmas duas,
Salis volatilis Ammoniaci,
Cornu Cervi ana drachmas ſex.

Cera & reſina lento igne liquentur & colentur, quibus, ex parte refrigeratis, admiſceantur Tacamahaca, Elemi, Olibanum, Sanguis Draconis, omnia in ſubtiliſſimum pollinem trita; poſtea Gummi Ammoniacum, Galbanum, Opopanax, Bdellium, Aſa fœtida, Hederæ, cum extractis, in aceto ſoluta, & expreſſione per linteum colata, atque leni igne in mellis conſiſtentiam redacta, addantur. Tandem Terebinthina Veneta, Tragacantha, Caſtoreum & Salia volatilia adjungantur, & perpetua ac diligenti mixtione fiat emplaſtrum, quod in cylindros craſſiores formatum, veſicæ bubulæ involvatur & ſervetur.

*Nervinum eſt, reſolvit, dolores ſopit; in tumoribus, inprimis ædematoſis commendatur.*

## EMPLASTRUM, ſive CERATUM SANDALINUM, alias INCOGNITUM.

*REC.* Ceræ novæ,
Reſinæ ana uncias quatuor,
San-

Sandali rubri unciam unam ſemis,
Croci drachmas duas,
Olibani,
Maſtiches,
Myrrhæ,
Aluminis ana drachmam unam ſemis.

Cera cum reſina liquefacta & colata, iterumque ſemi-refrigerata, Sandalum & Crocus, trita, atque Vini ſpiritu diluta, cum reliquis in pulverem redactis, miſceantur, fiatque emplaſtrum.

*Hepatis indurationi & obſtructioni dicatum olim fuit. Prodeſt etiam ad iſchiaticos dolores.*

## EMPLASTRUM SAPONATUM BARBETTE.

*REC.* Olei roſati libram unam,
Ceruſſæ,
Minii rubri ana uncias quatuor.

Coquantur, ſub perpetua agitatione & additione aliquot unciarum aquæ fontanæ, ad ſolutionem Ceruſſæ & Minii promovendam, atque aduſtionem emplaſtri præcavendam, in emplaſtri mollioris conſiſtentiam; addantur

Saponis Veneti raſi unciæ quatuor;

quibus ſolutis, ab igne removeantur, &

Camphoræ in ſpiritu Vini ſolutæ uncia ſemis

admiſceatur:

*Ad dolores arthriticos & ſpaſticos lenien-dos communiter laudatur; alvum quoque infantibus, abdomini impoſitum, reſeraſſe obſervatum eſt. Reſolvit tumores frigidos, & ictericis, ubi duri-ties ſub hypochondriis ſentitur, commendari ſolet.*

## EMPLASTRUM SATURNINUM MYNSICHTI.

*REC.* Sevi hircini,
Ceræ citrinæ ana uncias quinque,
Terebinthinæ claræ,
Plumbi uſti, optime loti & ſubtiliſſime triti, ana uncias duas,
Lapidis Calaminaris præparati,
Ceruſſæ albæ ana unciam ſemis,
Nihili albi,
Tutiæ præparatæ ana drachmas duas,
Myrrhæ,
Maſtiches,
Olibani,
Aloës,
Nitri ana drachmam unam,
Camphoræ drachmam ſemis.

Omnia in ſubtilem pulverem redacta, Ceræ, Sevo & Terebinthinæ liquatis, & ab igne remotis, admiſceantur. Fiat emplaſtrum.

*Ab auctore Mynſichto ad ulcera fœtida exeſa, inflammationes & ambuſta commendatur.*

## EMPLASTRUM DE SCROPHULARIA.

*REC.* Foliorum Scrophulariæ,
Digitalis purpureæ recentium ana uncias octo.
Axungiæ ſuillæ libram unam.

Coque ad humiditatis conſumtionem, expreſſo adde

Ceræ citrinæ,
Reſinæ Pini ana uncias ſex,
Terebinthinæ Venetæ,
Æruginis ana unciam,

Miſceantur, fiat emplaſtrum.

*Laudatur ad ulcera antiqua & ſcrophulas etiam exulceratas.*

## EMPLASTRUM DE SPERMATE CETI.

*REC.* Ceræ albæ uncias quatuor,
Spermatis Ceti uncias duas,
Olei Amygdalarum dulcium,
Gummi Galbani ana unciam ſemis,

Terebinthinæ claræ unciam dimidiam.

Cum cera liquata commiſceantur, oleum, terebinthina, ſperma ceti, & tandem gummi galbanum tritum. Fiat emplaſtrum.

*Dicitur etiam mammillare, quia mammis puerperarum & lactantium imponi ſolet. Lac coagulatum reſolvere, & tumores glandularum duros emollire creditur.*

## EMPLASTRUM DE SPERMATE RANARUM.

*REC.* Olei ſpermatis ranarum,
Ceruſſæ tritæ ana libras quinque.

Coquantur perpetua agitatione, leniſſimo igne, ſemper aliquid aquæ fontanæ & aceti deſtillati addendo, tam ob aduſtionem præcavendam, quam ſolutionem ceruſſæ promovendam, ad emplaſtri albi conſiſtentiam; cui, ab igne remoto & piſtillo ligneo probe agitato, adde

Aluminis crudi uncias quinque,
Camphoræ unciam unam in Spiritu Vini ſolutæ.

NB. Præſtat Alumen in aquæ fontanæ libra una ſemis vel duabus diſſolvere, & inter coquendum ſemper parum hujus ſolutionis addere; ita perfectius uniuntur, & citius ceruſſa ſolvitur.

*Ad ulcera ſordida antiqua mundificanda & curanda, inflammationes & dolores arcendos laudatur; refrigerat, adſtringit, & exſiccat.*

## EMPLASTRUM SPLENETICUM.

*REC.* Cicutæ,
Foliorum Ebuli ana uncias duas,
Nicotianæ,
Florum Geniſtæ ana unciam unam,
Aceti Vini libram unam.

Macerentur per biduum, ebulliant, & exprimantur. In colatura diſſolve

Gummi Ammoniaci libram unam;

Solutioni per pannum colatæ, & ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatæ, adde

Ceræ citrinæ libram ſemis,
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ,
Olei Capparum ana uncias duas;

Quæ, ſeorſum in ſartagine liquata, & ſemirefrigerata, miſceantur exactiſſime.

*Uſus ex nomine cognoſcitur. Reſolvit, diſcutit, & cum emplaſtro de Cicuta convenit.*

## EMPLASTRUM STICTICUM, ſive STIPTICUM.

*REC.* Lithargyrii,
Lapidis Calaminaris,
Minii ana libram ſemis,
Olei Lini,
Olivarum ana libram unam,
Vitrioli albi unciam unam,

Oleum Lini & Olivarum, cum Lithargyrio, Minio, & Lapide calaminari tritis, leniſſimo igne, perpetua agitatione coquuntur; quibus Vitriolum, in libra una aquæ fontanæ ſolutum, ſucceſſive additur, donec juſtam acquiſiverint conſiſtentiam; adjiciantur

Colophoniæ,
Ceræ citrinæ ana libra una,
Terebinthinæ claræ,
Olei Laurini expreſſi ana libra ſemis.

Mixtis addatur

Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Bdellii,
Myrrhæ,
Aloës hepaticæ,
Mumiæ,

Ariſto-

Ariſtolochiæ longæ veræ,
Sanguinis Draconis,
Lapidis Hæmatitæ præparati ana uncia una.

Probe miſceantur, & fiat emplaſtrum, coloris ſpadicei.

*Non ſolum ad recentia vulnera, ſed etiam ad antiqua ulcera, egregium eſt remedium. Exſiccat, mundificat, ac in rhevmaticis doloribus bono effectu non deſtituitur.*

## EMPLASTRUM STOMACHICUM DE TACAMAHACA.

*REC.* Ceræ citrinæ uncias octo,
Tacamahacæ uncias quatuor,
Terebinthinæ unciam unam,
Balſami Peruviani,
Olei deſtillati Menthæ ana drachmas duas,
Caryophyllorum drachmam unam.

Ceræ cum Terebinthina liquefactæ & ſemirefrigeratæ admiſceatur Tacamahaca trita, ac tandem Balſamum cum oleis.

*In vomitu, diarrhœa, & aliis ventriculi morbis, ex imbecillitate ortis, ad ventriculum roborandum convenit, flatus etiam diſſipat.*

## EMPLASTRUM TRIAPHARMACUM.

*REC.* Minii optime triti,
Aceti Vini albi ana libram unam,
Olei Roſarum libras duas.

Coquantur, leni igne, ad emplaſtri conſiſtentiam, coloris fuſcoſpadicei, cui nonnihil refrigerato adde
Camphoræ, cum ſpiritu Vini tritæ, unciam unam ſemis.

Miſceantur, & emplaſtrum in ſcatulas effundatur.

*Cum emplaſtro Norico convenit, ſiccat, & ad ulcera antiqua commendari meretur.*





## EMPLASTRUM CONTRA VERMES.

*REC.* Pulveris Aloës hepaticæ,
Trochiſcorum Alhandal,
Radicis Aſari,
Herbarum Tanaceti,
Sabinæ,
Abſinthii,
Myrrhæ ana drachmas tres,
Fellis Tauri recentis uncias tres.

Miſce, ut fiant pultis inſtar, cui ſucceſſive, una liquata, ſub perpetua agitatione, addantur
Ceræ citrinæ unciæ tres,
Olei Abſinthii cocti,
Terebinthinæ Venetæ ana drachmæ ſex.

Tandem adjiciatur
Olei deſtillati Sabinæ,
Petræ albi ana drachma una.

Fiat emplaſtrum.

*Pueris alia medicamenta reformidantibus præſcribitur. Abdomini nimirum impoſitum vermes necat, atque alvum movet.*

## EMPLASTRUM VESICATORIUM.

*REC.* Cantharidum in pulverem tritarum uncias quatuor,
Ceræ flavæ uncias decem,
Terebinthinæ Venetæ,
Olei Roſarum ana uncias duas ſemis,
Camphoræ drachmas tres.

Miſce, fiat emplaſtrum.

*Ad veſicas excitandas, ſupra corium extenſum, imponitur; globuli exinde formati, atque fonticulis impoſiti, fluorem promovent.*

## EMULSIO EXTERNA E NUCLEIS.

*REC.* Nucleorum Perſicorum unciam unam,

Seminis Cannabis,
Papaveris ana unciam dimidiam,
Aquæ Meliloti,
Nymphææ ana uncias quatuor.

Fiat Emulsio. Adde
Spiritus Vini camphorati unciam semis.

*Usus est externus. Linteis quadruplicatis fronti & temporibus imposita, in dolore capitis ex febri & catarrho, bonam præstat opem.*

## EMULSIO VIOLATA MYNSICHTI.

*REC.* Amygdalarum dulcium unciam unam semis,
Seminum Violarum drachmas tres,
Papaveris albi drachmam unam semis.

Contundantur cum
Aquæ Nymphææ,
Lactucæ ana unciis sex,
Violarum libra una.

Expressæ Emulsioni addantur
Julepi violati drachmæ duodecim.

*Refrigerat & humectat, dolores mitigat, somnum conciliat, & in febribus malignis, ad æstum temperandum, nec non in Nephritide feliciter adhibetur.*

*Dosis unciæ quatuor ad sex.*

## ESSENTIA ABSINTHII COMPOSITA.

*REC.* Comarum Absinthii vulgaris unciam unam,
Radicum Zedoariæ unciam semis,
Caryophyllatæ drachmas duas,
Foliorum Cardui benedicti,
Florum Centaurii minoris ana unciam semis,
Corticum Aurantiorum,



Citri ana drachmas duas,
Caryophyllorum aromaticorum drachmam unam.
Incisis & contusis affunde
Spiritus Vini rectificati libram unam,
Stent in digestione per dies quatuor, in vase optime clauso; postea prelo exprimantur, expressum per chartam bibulam filtretur & servetur.

*Stomachica & carminativa est.*

*Datur a drachma dimidia ad integram.*

## ESSENTIA ABSINTHII SIMPLEX.

*REC.* Summitatum Absinthii floridarum, & ad maturitatem proxime accedentium, cum foliis minoribus, in umbra siccatarum, uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati libras duas,
Post digestionem exprimantur, expressum aliis superaffundatur
Absinthii unciis duabus,
atque, post sufficientem digestionem, exprimantur & filtrentur.

*Vires Absinthii habet, stomachicas, carminativas, anthelminticas.*

*Dosis drachma una ex vino.*

## ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Imperatoriæ,
Helenii ana unciam unam,
Radicum Carlinæ,
Hirundinariæ,
Pimpinellæ ana unciam unam semis,
Herbæ Scordii uncias tres,
Spiritus Vini rectificati libras duas semis.

Post sufficientem extractionem exprimantur

mantur, & per filtrum trajecta Essentia servetur.

*Medicamentum est vere polychrestum. Ventriculum roborat, flatus dissipat, urinam & transpirationem promovet; hinc in omnibus fere morbis, febribus etiam malignis, catarrhalibus & intermittentibus, lymphæ & sanguinis vitiis prodest.*

*Commendatur a guttis quadraginta ad quinquaginta.*

## ESSENTIA ALEXIPHARMACA TEMPERATA STAHLII.

*REC.* Radicum Pimpinellæ albæ,
Hirundinariæ ana uncias tres,
Herbæ Scordii uncias duas.
Incisa infundantur & extrahantur
Spiritus Vini rectificati libris tribus.

Exprimantur & filtrentur, atque tertia pars Spiritus per destillationem ex Mariæ Balneo evocetur, residuum servetur.

*Temperatior & mitior est ordinaria, ideoque secure, etiam ad exæstuationem sanguinis pronis, dari potest.*

*Dosis guttæ quadraginta ad sexaginta.*

## ESSENTIA AMARA.

*REC.* Herbarum Tanaceti unciam unam,
Scolopendrii,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Radicis Gentianæ,
Lapathi acuti ana drachmas tres,
Corticum Aurantiorum recentium viridium unciam semis.
Incisa macerentur in
Spiritus Vini tartarisati unciis duodecim,
Post sufficientem extractionem exprimantur, & expressum per chartam filtretur.

*Digestionem promovet, ventriculum roborat, flatus dissipat, vermes necat.*

*Dari potest a guttis quinquaginta ad septuaginta, ex vino.*

## ESSENTIA AMBRÆ BALSAMICA DIPPELII.

*REC.* Ambræ grisææ,
Balsami Peruviani ana drachmas duas,
Salis Tartari drachmas sex.

Terantur & exacte misceantur in mortario marmoreo, addantur
Spiritus Vini rectificatissimi unciæ novem,
Digerantur, in fine augeatur calor, ut mixtura ebulliat, refrigescant, & liquor tinctus, a fæcibus separatus, filtretur.

*Vires sunt analepticæ, stomachicæ & balsamicæ. Præscribitur cum aliis essentiis tonicis & stomachicis.*

*Dosis guttæ quindecim ad triginta.*

## ESSENTIA AMBRÆ LIQUIDA.

*REC.* Ambræ veræ grisææ scrupulum unum;
Immittatur phialæ, & leniissimo igne carbonum liquetur, affundantur postea
Liquoris anodyni pariter calefacti unciæ duæ,
addantur
Moschi Orientalis grana quatuor.
Servetur usui.

*Analepticum, cordiale & cephalicum est medicamentum. Commendabile in apoplexia, vertigine, memoria confortanda; additur etiam aphrodisiacis.*

*Dosis guttæ viginti ad quadraginta.*

## ESSENTIA AMBRÆ SICCA.

*REC.* Ambræ grisææ drachmam unam,
Moschi in spiritu Rosarum soluti scrupulum semis,
Olei Cinnamomi destillati guttas quinque,

Sacchari albiſſimi uncias duas,
Miſce & aſſerva in vaſe vitreo, bene clauſo.

*Analepticum eſt, & cum pulvere cordiali, ſive Elæoſaccharo Cinnamomi cinnabarino, mixta, in apoplexia ſeroſa, & aliis capitis morbis, illis, qui Ambram & Moſchum perferre queunt, dari poteſt. Trageis etiam additur.*

*Doſis a granis decem ad ſcrupulum unum.*

## ESSENTIA ANGELICÆ.

*REC.* Radicum Angelicæ uncias tres,
in
Spiritus Vini optime rectificati unciis quindecim
macerentur per aliquot dies, ut extrahatur eſſentia, filtranda & ſervanda.

*Vires habet Angelicæ radicis alexipharmacas, ſtomachicas, diureticas, carminativas.*

*Doſis a drachma ſemis ad ſcrupulos duos.*

## ESSENTIA ANODYNA OFFICINALIS.

*REC.* Extracti Opii, aqua fontana parati, unciam unam,
Aquæ Cinnamomi ſpirituoſæ uncias novem,
Poſt ſufficientem digeſtionem filtrentur.

*Dolores ſedat, ſomnum conciliat, & easdem, quas Laudanum opiatum, virtutes poſſidet.*

*In ſcrupulo uno duo ſunt grana opii.*

*Doſis guttæ quinque, decem, quindecim, ad viginti.*

## ESSENTIA ANODYNA LUDOVICI.

*REC.* Extracti Opii, aqua fontana parati, unciam unam,
Aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ,
Spiritus Vitrioli roridi, cum ſpiritu volatili mixti, ana uncias quatuor.
Extrahe, ut artis eſt, eſſentiam, filtra & ſerva.

*Vires ex nomine patent, anodynæ ſcilicet, dolores mitigantes & ſomnum conciliantes.*

*Doſis guttæ ſeptem, duodecim, ad quindecim. Drachma una hujus Eſſentiæ grana ſex & dimidium habet opii.*

## ESSENTIA ANTARTHRITICA, J. M. HOFFMANNI SINE OPIO.

*REC.* Lumbricorum terreſtrium præparatorum uncias tres,
His affunde
Olei, ſive liquoris Salis Tartari per deliquium, uncias duas;
ſtent in vitro bene clauſo per viginti quatuor horas, poſtea affundantur
Spiritus Vini rectificati unciæ duodecim,
addantur
Caſtorei drachmæ duæ,
Croci drachma una;
Stent denuo per triduum in digeſtione. Liquor tinctus, per chartam emporeticam filtratus, ſervetur.

## ESSENTIA ANTARTHRITICA CUM OPIO, EJUSDEM.

*REC.* Lumbricorum terreſtrium præparatorum uncias duas,
Radicis Cynogloſſæ unciam unam,
Caſtorei drachmas duas,
Croci auſtriaci drachmam ſemis,
Opii drachmam unam.
Affunde tritis
Spiritus Vini rectificati libram unam,
Poſt ſufficientem extractionem & filtrationem adde
Spiritus Cochleariæ unciam unam.

*Ambæ commendantur a clariſſimo autore in doloribus arthriticis, aliisque ſcorbuticis & ſpaſmodicis mitigandis;*

ad

*ad icterum, aſthma convulſivum, retentionem urinæ.*

*Doſis prioris, ſine opio, guttæ quinquaginta ad ſeptuaginta: poſterioris, cum opio, guttæ quindecim ad triginta.*

*Uncia una habet opii circiter grana quinque.*

## ESSENTIA ANTHYDROPICA HOFFMANNI.

*REC.* Radicum Hirundinariæ,
Bryoniæ ana drachmas ſex,
Herbæ Abſinthii,
Florum Sambuci ana unciam ſemis,
Aloës Succotrinæ drachmas ſex,
Myrrhæ drachmam unam,
Gummi Ammoniaci drachmas tres,
Macis,
Caryophyllorum aromaticorum ana drachmas duas,
Millepedum,
Lumbricorum terreſtrium ana drachmam unam ſemis,
Croci drachmam unam,
Salis armoniaci,
Salis Tartari ana drachmas duas.

Inciſis & contuſis ſuperfundantur
Aquæ florum Sambuci unciæ quatuor,

Digerantur per aliquot horas, poſtea addatur
Spiritus Vini optime dephlegmati libra una ſemis,

Fiat, lento calore digerendo, Eſſentia.

*Celeberrimus auctor hanc eſſentiam in cachexia, levcophlegmatia & hydrope commendat.*

*Doſis ſunt ſcrupuli duo, mane ſumendi.*

## ESSENTIA ANTISCORBUTICA.

*REC.* Radicum Ari,
Lapathi acuti ana unciam unam,
Herbæ Trifolii fibrini unciam unam,
Sedi vermicularis,
Centaurii minoris,
Seminis Lapathi acuti ana drachmas ſex,
Corticum Winterani uncias duas,
Fraxini,
Saſſafras ana unciam unam,
Myrrhæ electæ unciam unam,
Salis Tartari unciam unam ſemis.

Inciſa & contuſa infundantur in
Spiritus Cochleariæ libris tribus;

Digerantur per aliquot dies, poſtea exprimantur, expreſſo addantur
Eſſentiæ Succini unciæ tres,
Spiritus Vitrioli dulcis uncia una ſemis.

Digerantur & filtrentur.

*Vires ſunt antiſcorbuticæ, incidentes, attenuantes, reſolventes, diureticæ, ſtomachicæ.*

*Doſis guttæ triginta ad quinquaginta.*

## ESSENTIA BALSAMICA FRID. HOFFMANNI.

Videatur ELIXIR.

## ESSENTIA BALSAMICA GMELINI.

*REC.* Corticum Aurantiorum,
Citri ana uncias duas,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ ana drachmas quinque,
Caryophyllorum aromaticorum drachmas duas,
Salis Ammoniaci uncias quindecim,
Cinerum clavellatorum tantundem,
Spiritus Vini non dephlegmati libras quatuor.

Deſtillentur ex cucurbita, & ſpiritus volatilis libræ duæ cum dimidia proliciantur, in quibus infundantur

Corticum Aurantiorum,
Citri ana unciæ tres.

Digerantur poſt octiduum, poſtea clarum a ſpiſſo, per inclinationem vaſis ſeparetur. Reſiduum exprimatur, & poſt filtrationem, claro admiſceatur.

*Stomachica & carminativa eſt.*

*Doſis guttæ triginta, quinquaginta.*

## ESSENTIA BALSAMI PERUVIANI.

*REC.* Balſami Peruviani optimi unciam ſemis, cum
Spiritus Vini optime dephlegmati unciis tribus,
per dies aliquot, loco tepido digere, eſſentiam extractam per bibulam cola ac ſerva.

*Revera balſamicum eſt, calidum tamen medicamentum, quod cum circumſpectione offerri debet; Ventriculum roborat, & vitia lymphæ corrigit.*

*Externus uſus eſt ad ulcera, abſceſſus & vulnera etiam partium tendinoſarum.*

*Interne doſis guttæ triginta, ad quinquaginta.*

## ESSENTIA BENZOES COMPOSITA.

*REC.* Benzoës electæ pulveriſatæ unciam unam,
Styracis calamitæ unciam ſemis,
Balſami Peruviani drachmam.
Affunde
Spiritus Vini rectificati uncias octo,
digerantur, & poſt ſufficientem ſolutionem filtrentur.

Nota. Balſamum Peruvianum cum pulvere Benzoës commiſceri debet.

*Uſus externus eſt coſmeticus innocens, nimirum aquæ calidæ inſtillata reddit eam lacteam, quæ nitorem gratum cuti conciliat, & eam mollem ſervat. Interne pectorale præbet medicamentum non contemnendum.*



## ESSENTIA BENZOES SIMPLEX.

*REC.* Florum Benzoës drachmas tres,
Spiritus Aniſi uncias tres.

Digere leniſſimo calore, atque ſolutio ſive eſſentia flavi coloris ſervetur.

*Pectoralis, ſtomachica, carminativa & alexiterica eſt.*

*Doſis guttæ octo ad viginti.*

## ESSENTIA CARDAMOMI.

*REC.* Cardamomi minoris in pulverem triti uncias tres,
affunde
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias ſedecim.

Digerantur, exprimatur & filtretur eſſentia.

*Flatus potenter diſcutit, ventriculum & cerebrum confortat, urinam movet.*

*Doſis drachma ſemis, ad drachmam unam, cum vehiculo idoneo.*

## ESSENTIA CARDUI BENEDICTI.

Paratur ad normam Eſſentiæ Abſinthii ſimplicis, ſuperius deſcriptæ; cum qua etiam viribus convenit, & in eadem doſi exhiberi poteſt.

## ESSENTIA CARMINATIVA WEDELII.

*REC.* Radicum Zedoariæ uncias quatuor,
Carlinæ,
Calami,
Galangæ ana uncias duas,
Florum Chamæmeli Romani,
Seminum Aniſi,
Carvi ana unciam unam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Baccarum Lauri ana drachmas ſex,
Macis unciam ſemis,
Corticum Aurantiorum unciam unam.

Con-

Conciſa & contuſa groſſo modo macerentur, in
Spiritus corticum Citri libris quatuor ſemis,
Spiritus Nitri dulcis unciis duabus ſemis, per ſex dies.
Expreſſa & filtrata eſſentia uſui ſervetur.

*Vires ſunt ſtomachicæ, carminativæ, & diureticæ.*
*Doſis drachma dimidia ad ſcrupulos duos.*

## ESSENTIA CASTOREI.

*REC.* Caſtorei Orientalis veri, minutim inciſi, uncias tres,
Spiritus Vini rectificati uncias quindecim.
Per octiduum macerentur, exprimantur, & poſtea filtretur eſſentia.

*Commendatur interne ad affectus ſpaſticos, hyſtericos & colicos, etiam ad odoratum præbetur mulieribus, atque Clyſteribus in Colica hyſterica, ad drachmam integram, addi poteſt.*
*Interne exhibetur a guttis triginta ad quinquaginta.*

## ESSENTIA CATECHU.

Videatur ESS. TERRÆ CATECHU.

## ESSENTIA CENTAURII MINORIS.

Uti Eſſentia Abſinthii ſimplex, ſpiritu Vini optime rectificato, parari ſolet.

*Doſis eadem.*
*Stomachica eſt & anthelmintica, atque in febribus intermittentibus conducit.*
*Ad drachmas duas exhibita alvum movere compertum eſt.*

## ESSENTIA CEPHALICA.

*REC.* Radicis Calami aromatici drachmas tres,
Herbarum Betonicæ,
Mari veri,
Salviæ,
Florum Lavendulæ ana drachmas duas,
Ligni Aloës ponderoſi,
Sandali citrini odoratiſſimi,
Corticum Culilawan ana drachmas tres,
Cinnamomi acuti,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum ana drachmas duas.
Inciſis & contuſis ſuperaffundantur
Aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ,
Elixirii vitæ Matthioli incompl. ana unciæ octo.
Digerantur, & ſufficienter extracta, exprimantur atque filtrentur.

*Senibus & phlegmaticis conducit, quibus cerebrum & ventriculum confortat; ad colicam flatulentam, eructationes & cardialgiam valet, atque eſſentiis vel elixiriis ſtomachicis admiſceri poteſt.*
*Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.*

## ESSENTIA CHINÆ CHINÆ SIMPLEX.

*REC.* Corticum Chinæ Chinæ pulveriſatorum uncias tres,
Spiritus Vini rectificati uncias duodecim.
Digerantur aliquamdiu, poſtea eſſentia bene ſaturata expreſſa filtretur.

*Præſtat quidem Corticem Peruvianum in ſubſtantia exhibere; quia vero multi pulveres & electuaria reformidant, eſſentia ex illo parata dari poteſt, non ſolum autem in febribus, ſed etiam, ubi tonum relaxatum oportet roborare.*
*Doſis guttæ ſexaginta ad octoginta.*

## ESSENTIA CHINÆ COMPOSITA HELWIG.

*REC.* Corticum Chinæ Chinæ uncias tres,
Radicis Serpentariæ Virginianæ uncias duas,

Contrayerv. unciam unam.

In pulverem tritis affunde
Spiritus vini rectificati uncias ſedecim.

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur, & eſſentia, per chartam bibulam filtrata, reponatur.

*Alexipharmaca, antifebrilis, tonica & carminativa eſt.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad ſexaginta.*

## ESSENTIA CORTICUM AURANTIORUM SPIRITUOSA.

*REC.* Corticum Aurantiorum, ab interiori albedine ſeparatorum, libram unam;

affundantur
Spiritus Vini rectificati libræ tres ſemis.

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur, & per chartam emporeticam filtrentur.

*Egregium eſt ſtomachicum, carminativum & tonicum.*

*Doſis guttæ triginta ad ſexaginta.*

Nota. E corticibus fructuum Aurantiorum immaturorum recentibus, vel ex ipſis tenellis fructibus pari modo eſſentia parari poteſt, quæ, ſi ordinariæ e ſiccis maturis corticibus non præcellit, tamen haud inferior eſt virtutibus.

## ESSENTIA CORTICUM AURANTIORUM CUM VINO MALVATICO.

*REC.* Vini Malvatici libram unam ſemis,
Flavedinis corticum Aurantiorum ſiccatorum uncias tres.

Macerentur per biduum, colentur & filtrentur.

*Stomachica, tonica & carminativa eſt.*

*Doſis uncia ſemis ad integram.*



## ESSENTIA CORTICIS CHACARILLÆ.

*REC.* Corticum Chacarillæ griſeæ & reſinoſæ uncias quatuor.

In pulverem groſſum tritis affunde
Spiritus vini rectificati libram unam ſemis.

Digere per quatriduum, filtra & ſerva.

*Ventriculi vitiis medetur & pulmonibus prodeſt, tonum viſcerum relaxatum inſtaurat, ſedativum eſt, & ſtricturas partium dolentes blande reſolvit.*

*Doſis guttæ triginta ad ſeptuaginta quinque.*

## ESSENTIA CULILAWAN.

Eodem modo, quo præcedens eſſentia Chacarillæ, paratur.

*Aromatica eſt, ventriculum roborat, flatus diſcutit.*

## ESSENTIA DULCIS.

*REC.* Terræ foliatæ Tartari drachmas duas,
Sacchari albiſſimi uncias duas,
Aquæ fontanæ unciam unam ſemis.

Coquantur in vaſe figulino probe vitreato, ſub perpetua agitatione, usquequo colorem acquiſiverint ſubnigrum vel fuſcum; removeantur ab igne & affundantur

Menſtrui infra deſcripti unciæ duodecim.

Digerantur, atque eſſentia, per chartam emporeticam filtrata, ſervetur.

## MENSTRUUM pro ESSENTIA DULCI.

*REC.* Spiritus vini gallici, vel alius puriſſimi, rectificati, libras quatuor,
Aluminis vulgaris puri, in pulverem triti, uncias octo.
Aquæ fontanæ libram unam.

Miſceantur & deſtillentur, e cucurbita

bita vitrea, atque libræ tres primo prodeuntes seorsum serventur pro menstruo.

*Fuerunt, qui medicamentum corroborans, sapore & odore gratum, quodque delicatioribus atque infantibus, alia medicamenta reformidantibus, in parva dosi exhiberi posset, expetiverunt; quibus ut satisfaciamus, Essentiam hanc, quæ virtutem non solum habet corroborantem, sed & aperientem, balsamicam, diureticam & expulsivam, ac quæ sapore & odore grato se commendat, adponere voluimus.* Neque tamen illam pro Essentia dulci Halensi venditamus.

*Dosis pro adultis guttæ triginta ad sexaginta; infantibus & pueris guttæ tres, quatuor, vel duodecim sufficiunt. Datur in vehiculo aquoso, vel si libet, adultis in vino.*

## ESSENTIA FULIGINIS CLAUDERI: alias HÆMATO-CATHARTICA ET ALEXIPHARMACA DICTA.

*REC.* Cinerum clavellatorum purissimorum uncias sex,
Salis Armoniaci unciam unam.

Solve separatim, & quidem Cineres clavellatos in libris duabus, & Sal Armoniacum in libra una aquæ fontanæ puræ vel pluviæ; liquores salinos separatim per chartam emporeticam filtra, filtratos commisce, atque superfunde
Fuliginis ex camino splendentis pulverisatæ unciis duabus.

Digere in vitro probe clauso, per aliquot dies, postea liquorem tinctum, per chartam bibulam filtratum, serva.

*Liquor salinus est oleo fuliginis imprægnatus, & præbet medicamentum resolvens, atque excretiones omnis generis promovens. In morbis chronicis, asthmate, febre quartana, ictero, cachexia, fausto cum successu adhibenda.*

*Dosis guttæ quinquaginta ad centum.*

## ESSENTIA FUMARIÆ.

Paratur, ut Essentia Absinthii.

*Ad sanguinis & lymphæ vitia commendatur.*

*Dosis guttæ quinquaginta ad octoginta.*

## ESSENTIA GALANGÆ.

*REC.* Rad. Galangæ minor. minutim incisarum uncias duas,
Spiritus Vini rectificati uncias octo.

Extrahatur essentia leni calore, exprimatur, & per chartam filtretur.

*Commendatur interne ad ventriculum confortandum & humores viscidos resolvendos: Externe ad cariem ossium, membra tabida & paralysin linguæ.*

## ESSENTIA GENTIANÆ.

Fit eodem modo, quo Essentia radicum Angelicæ.

*Amarum quidem, præstantissimum tamen stomachicum, tonicum, anthelminticum & antifebrile est medicamentum.*

*Datur a guttis quinquaginta ad octoginta.*

## ESSENTIA HYPERICI.

*REC.* Florum Hyperici uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati libram unam & uncias tres.

Digerantur per triduum, postea exprimantur & filtrentur.

*Commendatur specifice melancholicis, vulneratis, verminosis, nec non ad morbos fascino imputatos. Etiam externe vulneribus applicatur.*

*Dosis guttæ quinquaginta ad septuaginta quinque.*

## ESSENTIA LEVISTICI.

*REC.* Radicum Levistici uncias duas,
Seminis ejusdem unciam unam,
Incisa & contusa infundantur in
Spiritus Vini unciis decem.

Digerantur, & post sufficientem extractionem exprimantur, atque es-

ſentia per chartam filtrata ſervetur.

*Alexipharmaca, carminativa & diuretica eſt, atque in hydrope, nec non doloribus poſt partum commendabilis.*

## ESSENTIA LIGNI ALOES.

*REC.* Raſuræ ligni Aloës reſinoſi unciam unam ſemis,
Spiritus Vini tartariſati libram ſemis.
Macerentur & filtrentur.

*Tribuuntur illi vires ſtomachicæ, uterinæ, cephalicæ & analepticæ. Additur aliis medicamentis, ad virtutes eorum exaltandas; caute tamen adhibendam eſſe, ob vim inebriantem, nonnulli perhibent.*

*Doſis guttæ viginti ad quadraginta.*

## ESSENTIA LIGNI SASSAFRAS SIMPLEX.

*REC.* Corticum ligni Saſſafras unciam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificati uncias octo.

Macerentur per triduum, poſtea filtrentur & ſerventur.

*Anticatarrhalis eſt, & ad vitia lymphæ & ſanguinis commendatur.*

## ESSENTIA LIGNI SASSAFRAS COMPOSITA.

*REC.* Corticum ligni Saſſafras uncias quatuor,
Salviæ nobilis uncias duas,
Nucis Moſchatæ unciam unam,
Cinnamomi unciam ſemis,
Aniſi ſtellati drachmas tres,
Spiritus Vini rectificati libras duas.

Digerantur per triduum, exprimantur; expreſſum filtretur & ſervetur.

*Ad catarrhales affectus, arthritidem, flatulentias & ſcabiem humidam laudari meretur.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad ſeptuaginta quinque.*

## ESSENTIA LIGNORUM.

*REC.* Raſuræ Ligni Saſſafras cum cortice uncias duas,
Sancti uncias tres,
Rhodii unciam ſemis,
Sandali rubri,
citrini ana unciam unam.

Affundantur
Spiritus Vini libræ duæ,
per octiduum digerantur, poſtea exprimantur & filtrentur.

*Ad maſſam ſanguinis purificandam & lympham corrigendam, ad gonorrhœam etiam & luem veneream inſervit.*

*Doſis drachma ſemis ad integram, in idoneo vehiculo.*

## ESSENTIA LUMBRICORUM TERRESTRIUM.

*REC.* Lumbricorum terreſtrium exſiccatorum, in pulverem tritorum, uncias quatuor,
affunde
Olei Tartari per deliquium unciam unam;
Miſceantur, addatur
Spiritus Vini rectificati libra una.

Digerantur & filtrentur.

*Commendatur arthriticis, ſcorbuticis & ictericis, urinam & ſudorem ciet.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad ſexaginta.*

## ESSENTIA MARTIATA APERITIVA.

*REC.* Radicum Galangæ,
Calami aromatici,
Zedoariæ,
Cinnamomi acuti, ana drachmas duas,
Flor. Hyperici,

Tana-

Tanaceti ana drachmam unam,
Limaturæ Martis, unciam ſemis.
Minutim inciſis ſuperaffundantur
Spiritus Vini rectificati unciæ ſex,
Vitrioli uncia ſemis.
Digerantur leni calore per aliquot dies, & poſt ſufficientem extractionem exprimatur & filtretur eſſentia.

*Eſt Tinctura Martis aromatiſata, atque lienoſis & atonia viſcerum laborantibus commendari meretur, nec non inter anthelmintica locum invenit.*

*Doſis guttæ triginta ad quinquaginta.*

## ESSENTIA MILLEFOLII.

*REC.* Millefolii uncias tres,
Spiritus Vini rectificati uncias ſedecim.
Infundantur, & poſt digeſtionem per triduum exprimantur; in expreſſo denuo
Millefolii unciæ duæ
macerentur, & poſt ſufficientem extractionem expreſſa Eſſentia per chartam bibulam filtretur.

*Commendatur ad motus hæmorrhoidales moderandos, ad nimium fluxum menſium, nephriticorum vomitum, & reliquos morbos viſcerum, cum vena portæ connexorum. Cum eſſentia croci mixta, dolores & tormina, a quibus menſtruatæ ſæpius vexantur, mitigat.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad ſexaginta quinque.*

## ESSENTIA MILLEPEDUM.

*REC.* Millepedum in pulverem ſatis tenuem tritorum uncias tres.
Irrorentur
Olei Tartari per deliquium drachmis duodecim,
poſtea ſtatim affundantur
Spiritus Vini rectificati unciæ decem.
In vaſe bene obturato digerantur per triduum; Eſſentia filtrata ad uſum reponatur.

*Vires easdem, quas millepedes habent, poſſidet, potenter reſolvit, urinam pellit; hinc in ictero, aſthmate, & obſtructionibus viſcerum utiliter adhibetur.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad ſcrupulum unum ſemis.*

## ESSENTIA MUMIÆ PURIFICANS CLAUDERI.

*REC.* Mumiæ Ægyptiacæ, in pulverem tritæ,
Salis Tartari ana unciam unam,
Aquæ Fumariæ libram unam.
Miſceantur & digerantur per triduum, poſtea filtrentur.

*Ab auctore ad ſanguinem depurandum magnopere laudatur.*

*Doſis drachma dimidia ad ſcrupulos duos.*

## ESSENTIA MYRRHÆ.

*REC.* Myrrhæ rubræ electæ uncias duas,
tritæ affunde
Spiritus Vini rectificati uncias decem.
Digere, filtra & ſerva.

*Alexipharmaca eſt, balſamica & anthelmintica, ſanguinem valde expandit, ejusque motum accelerat, datur igitur ad menſtrua pellenda.*

*Doſis guttæ triginta ad quinquaginta. Externus uſus eſt vulnerarius, ad ulcera purganda & conſolidanda.*

## ESSENTIA MYRRHÆ ALCALISATA.

*REC.* Myrrhæ electæ, in pulverem tritæ, libram dimidiam,
Salis alcali, ſive cinerum clavellatorum uncias octo,
Aquæ fontanæ libram unam ſemis.
Digerantur per ſex vel octo dies, poſtea aqua ex cucurbita, lento igne,

ad mellis consistentiam abstrahatur, residuo autem unciæ viginti Spiritus Vini rectificati affundantur, atque essentia per digestionem extrahatur, quæ filtretur.

*Magis recluditur Myrrha alcali, quod & essentiam saturatiorem reddit. Cum præcedente ejusdem est virtutis, ad vulnera vero non facile adhiberi debet, propter alcali, quod dolores excitat.*

## ESSENTIA PAREIRÆ BRAVÆ.

Paratur ad normam Essentiæ Angelicæ.

*Vires sunt diureticæ & anticatarrhales.*

*Dosis guttæ quinquaginta ad septuaginta.*

## ESSENTIA PIMPINELLÆ ALBÆ.

Spiritu Vini optime rectificato, Essentiæ Angelicæ instar, paratur.

*Diaphoretica, alexipharmaca & diuretica est, in torminosis, colicis affectibus, & lymphæ vitiis corrigendis, in Angina catarrhali, sine vehiculo deglutita, convenit.*

*Dosis a guttis quadraginta ad septuaginta.*

## ESSENTIA PINI.

*REC.* Extracti turionum Pini aqua fontana parati, uncias tres,
Spiritus Cochleariæ libram unam.

Fiat digerendo essentia.

*Scorbuticis convenit, atque arthriticis commendatur.*

*Dosis guttæ sexaginta ad septuaginta quinque.*

## ESSENTIA POPULI VULNERARIA.

*REC.* Oculorum Populi arboris recentium libram semis,
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam semis.

Digerantur per aliquot dies, exprimantur, & filtretur essentia, cui adde

Essentiæ florum Hyperici libram semis,

atque post digestionem, spiritus dimidia pars abstrahatur in Balneo, liquor residuus servetur.

*Commendari meretur hæc Essentia, non solum ad externos usus in vulneribus, sed etiam interne in ulceribus pulmonum, rènum & aliarum partium, alvi fluxione diuturna, gonorrhœa & fluore albo conducit.*

*Dosis guttæ triginta ad quinquaginta & ultra.*

## ESSENTIA SCILLÆ.

*REC.* Salis Tartari unciam semis,
Aceti scillitici, per infusionem aceto destillato parati, & probe saturati uncias duodecim.

Misceantur, & evaporetur acetum leni igne ex vase figulino probe vitreato ad mellis spissitudinem. Massa salina residua dissolvatur in Spiritus Vini rectificatissimi unciis sex.

Stent in digestione per aliquot dies, postea clarum a spisso, per inclinationem vasis, separetur & servetur.

*Censetur antasthmatica, resolvens & diuretica, atque hydropicis commendari meretur.*

*Dosis guttæ quadraginta ad sexaginta.*

## ESSENTIA SCORDII.

Ad modum essentiæ Millefolii paratur.

*Egregium est alexipharmacum & diaphoreticum temperatum.*

*Dosis guttæ sexaginta.*

## ESSENTIA DE SCORDIO COMPOSITA, sive DIASCORDIUM LIQUIDUM, JOH. MAUR. HOFFMANNI.

*REC.* Radicum Angelicæ,

Vin-

Vincetoxici,
Leviſtici,
Zedoariæ,
Contrayervæ,
Tormentillæ,
Valerianæ ana unciam ſemis,
Gentianæ drachmas ſex,
Herbæ Scordii uncias duas,
Florum Sambuci drachmas duas,
Myrrhæ electæ drachmas ſex,
Croci drachmas duas ſemis,
Corticum Citri unciam unam,
Succini,
Ligni Aloës ana drachmas tres,
Opii drachmam unam.

Miſce, fiat omnium pulvis; ſuperaffundantur

Spiritus Vini a baccis Juniperi abſtracti libræ tres.

Digerantur loco calido in vitro probe clauſo; poſt ſufficientem extractionem filtrentur, & ſerventur.

*Virtutes ſunt alexipharmacæ, anodynæ, ſtomachicæ, feliciter in febribus epidemicis, dyſenteria, & ubi tinctura bezoardica locum habet, adhibetur.*

*Uncia una Eſſentiæ continet duo circiter grana Opii.*

## ESSENTIA SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ.

*REC.* Radicum Serpentariæ Virginianæ, minutim inciſarum, uncias duas ſemis,

affunde

Spiritus Vini rectificati libram unam;

Poſt digeſtionem & ſufficientem extractionem exprime, & eſſentiam, per chartam filtratam, ſerva.

*Alexipharmaca, ſtomachica, ſudorifera & diuretica eſt; in febribus tam malignis, quam intermittentibus atque catarrhalibus, feliciter adhibetur.*

*Doſis guttæ triginta ad quinquaginta.*

## ESSENTIA SPICÆ INDICÆ.

*REC.* Spicæ Indicæ unciam unam ſemis,

Spiritus Vini rectificati uncias ſex vel ſeptem.

Stent in digeſtione ad ſufficientem extractionem, exprimatur & filtretur Eſſentia.

*Alexiterica, carminativa, diuretica & uterina eſt.*

*Doſis guttæ quadraginta & ſexaginta.*

## ESSENTIA SPLENETICA STAHLII.

*REC.* Herbarum Verbenæ,
Rutæ hortenſis,
murariæ,
Salviæ,
Plantaginis acutæ ana unciam ſemis,
Florum Hyperici unciam unam.

Inciſa infundantur in

Spiritus Vini libra una,

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur & filtrentur.

*Vires ex nomine cognoſcuntur; prodeſt hypochondriacis, reſolvit, urinam movet.*

*Doſis guttæ ſexaginta ad octoginta.*

## ESSENTIA STOMACHICA POLYCHRESTA GUNDELSHEIMERI.

*REC.* Piperis longi,
nigri,
albi ana drachmas duas,
hiſpanici, ſive Capſici unciam unam,
Cardamomi minoris drachmas decem,

Tritis affundatur

Liquoris terræ foliatæ Tartari,
Spiritus Salis Armoniaci vinoſi ana libra ſemis.

Digerantur, exprimantur & filtrentur.

*Potenter reſolvit, atque cachecticis, hydro-*

*dropicis & phlegmaticis convenit; cholerici & ſanguinei vero ab ejus uſu caveant.*

*Doſis guttæ triginta ad quadraginta.*

## ESSENTIA SUCCINI ALCALISATA.

*REC.* Succini flavi, probe triti, uncias quatuor,
Salis, ex duplo Nitri & una parte Tartari crudi per detonationem parati, uncias ſex;
Tere invicem, affunde
Spiritus Vini non rectificati uncias ſedecim.

Stent in digeſtione per aliquot dies, poſtea e cucurbita vitrea deſtilla, & ſpiritus circiter uncias octo prolice; reſiduum lento igne ad ſiccitatem evapora, & ſpiritum per deſtillationem prolectum denuo affunde, poſt digeſtionem, clarum a ſpiſſo ſeparatum filtra & ſerva.

*Saturatior eſt ſuccedenti, ſed, propter ſal alcali, in vulneribus minus convenit.*

*Doſis guttæ triginta ad quinquaginta.*

## ESSENTIA SUCCINI, G.

*REC.* Succini citrini optime triti uncias duas,
Spiritus vitrioli dulcis, ſive Liquoris anodyni uncias ſeptem.

Digerantur in vaſe optime clauſo leniſſimo calore, atque poſt ſufficientem extractionem,, clarum a ſpiſſo, per inclinationem vaſis, ſeparetur, & in vitro epiſtomio clauſo ſervetur.

Optimam ac balſamicam partem ſuccini hæc eſſentia continet, ſaporis eſt amaricantis, odoris grati, & paucæ guttæ, aliquot uncias aquæ, ſapore & odore inficiunt.

*Vires ſunt nervinæ, anticatarrhales, uterinæ &c.*

*Doſis guttæ quindecim ad viginti, vel ſaccbari fruſtulo exceptæ, vel vebiculo aquoſo.*



## ESSENTIA SUCCINI ORDINARIA.

*REC.* Succini flavi ſubtiliſſime triti unciam unam & ſemis,
Spiritus Vini rectificatiſſimi tartariſati uncias ſex.

Leni calore in phiala optime clauſa per aliquot dies digerantur, & aliquoties moveantur, tandem liquor tinctus filtretur.

*Anticatarrbalem, balſamicum & nervinum edit effectum, ac in vulneribus etiam locum habet.*

*Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.*

## ESSENTIA TERRÆ CATECHU.

*REC.* Terræ Catechu, ſive Japonicæ unciam unam,
Spiritus Cydoniorum uncias quatuor.

Solutione per digeſtionem peracta filtretur.

*In bæmoptyſi atque nimiis bæmorrbagiis, diarrbœa, vel, ubi adſtrictione opus eſt, utiliter adbibetur.*

*Doſis a guttis triginta ad quinquaginta.*

## ESSENTIA THERIACALIS.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Calami,
Serpentariæ Virg.
Spicæ Indicæ,
Herbarum Scordii,
Dictamni Cretici ana drachmas tres,
Cinnamomi acuti,
Cardamomi minoris,
Cubebarum,
Caryophyllorum ana drachmam unam ſemis,
Opii Thebaici,
Croci Orientalis ana drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati libram unam.

Digerantur ad ſufficientem extractionem, exprimantur, & Eſſentia

per

per chartam bibulam filtrata, ſervetur.

*Vires ex titulo patent, ſcil. theriacales, i. e. bezoardicæ, ſtomachales.*

*Uncia una hujus Eſſentiæ fere grana quinque opii habet.*

*Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta usque.*

## ESSENTIA TRAVMATICA.

*REC.* Radicum Tormentillæ,
Herbæ Saniculæ ana unciam ſemis,
Rorellæ,
Florum Hyperici,
Roſarum rubrarum ana drachmas duas,
Sanguinis Draconis puriſſimi,
Mumiæ,
Terræ Catechu,
Myrrhæ electæ ana drachmas tres,
Sandali rubri drachmas duas,
Nucis Moſchatæ drachmam unam.

In pulverem redacta miſce, & affuſis Spiritus Vini unciis ſedecim,
triduana leni digeſtione, vaſe optime clauſo, elice eſſentiam, quam, poſt modicam expreſſionem, per chartam emporeticam filtra, ac ſerva.

*Vulneraria eſt, in Hæmoptyſi, Hæmorrhagia, uteri profluviis, & Diarrhœa adhibetur.*

*Doſis guttæ quinquaginta vel ſexaginta.*

## ESSENTIA TRIFOLII FIBRINI.

Ad normam Eſſentiæ Abſinthii, ſpiritu proprio abſtractitio paratur.

*Antiſcorbutica, ſtomachica & antifebrilis eſt.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad ſexaginta.*

## ESSENTIA VALERIANÆ COMPOSITA.

*REC.* Rad. Valerianæ,
Serpentariæ Virginianæ ana unciam unam,
Camphoræ drachmam unam,
infundantur in Spiritus Vini rectificati unciis octo;
poſt ſufficientem extractionem exprimatur & filtretur eſſentia.

*Vires ſunt alexitericæ, uterinæ &c. commendatur etiam ab Hermanno epilepticis.*

*Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.*

## ESSENTIA VINCETOXICI.

Paratur, ut Eſſentia Angelicæ.

*Viribus cum Eſſentia Pimpinellæ convenit, & in eadem doſi exhibetur.*

## EUPHORBII CORRECTIO.

*REC.* Euphorbii triti uncias quatuor; affunde
Succi Citri depurati libram.
Digere, ut Euphorbium ſolvatur, cola per linteum, & ad extracti conſiſtentiam evapora.

*Acrimonia cauſtica eſt in Euphorbio, quam per acidum Citri infringere voluerunt auctores; violenter purgat alvum, & non niſi hydropicis præſcribi debet. Veteres etiam philoniis adcorrectionem Opii addebant.*

*Doſis grana octo ad quindecim.*

## EXTRACTUM ABSINTHII.

*REC.* Summitatum Abſinthii, in umbra ſiccatarum, vel potius recentium, libram unam.
Conciſæ macerentur in
Aquæ fontanæ libris ſex, vel ſaltem quatuor,
per quatriduum, in loco calido, poſtea leniter ebulliant, exprimantur, liquor inde expreſſus & colatus coquatur igne lento ad juſtam extracti conſiſtentiam.

*Vires habet Abſinthii ſtomachicas, tonicas, anthelminticas.*

*Pilulis hoc & alia extracta ſunt deſtina-*

*ta, quibus pro neceſſitate pulveres adduntur.*

*Doſis a ſcrupulo dimidio, ad unum.*

Probe autem notandum eſt, quod ex vegetabilibus, quæ non gummoſis ſolum ſed et reſinoſis conſtant partibus, ut Abſinthium, Centaurium minus, Carduus benedictus, Fumaria &c. extracta longe nobiliora obtineantur, ſi aquæ, in qua macerantur, portio quædam ſpiritus vini, e. g. libris ſingulis unciæ duæ addantur. Menſtruum tale aquoſo ſpirituoſum ad paranda extracta gummoſo reſinoſa præſtat vino, cujus reſiduum poſt evaporationem extractum Herbæ deſideratum contaminat.

Eadem methodo parari debent:

EXTRACTUM ARTEMISIÆ,
CARDUI BENEDICTI,
CENTAURII MINORIS,
COCHLEARIÆ,
FUMARIÆ,
HEDERÆ TERRESTRIS.
PLANTAGINIS,
RUTÆ,
SCORDII,
TANACETI,
TRIFOLII FIBRINI,
VERONICÆ,

omnia ex plantis floreſcentibus;

EXTRACTUM PAPAVERIS ERRATICI,

ex floribus;

EXTRACTUM PINI & SABINÆ,

ex ſummitatibus.

*Vires habent ſimplicium, ex quibus parata ſunt, & pro pilulis conficiendis inſerviunt.*



## EXTRACTUM ACONITI.

*REC.* Herbæ recentis Aconiti quantum libet.

Exprimatur ſuccus, & lento igne coquatur ad conſiſtentiam Extracti.

*Recentiora Stærckii experimenta docent, quod pulvis ex granis quatuor Extracti hujus cum Sacchari uncia ſemis mixtus ſalutarem quandoque effectum præſtet in morbis arthriticis, ſerum acre vitioſum per ſudorem, urinam, vel alvum eliminando, tumores glandularum ſcirrhoſos, vires Cicutæ eludentes, quandoque reſolvat, et ulcera refractaria conſolidet.*

*Doſis pulveris ſaccharati eſt a granis quatuor ad ſcrupulum unum ſemel, bis, terve quotidie per aliquot dies, vel plures hebdomades continuandi.*

## EXTRACTUM AGARICI.

*REC.* Raſuræ Agarici albi & levis libram unam;

Affundatur ſpiritus vini ſufficiens quantitas, digerantur, in vaſe vitreo arctiſſime clauſo, in loco calido per dies tres; poſtea exprimantur, expreſſum filtretur, & in Balneo Mariæ, lenta deſtillatione, Vini ſpiritus evocetur, ac reſiduum extractum ſervetur.

Libra una Agarici, ut plurimum uncias quatuor extracti reſinoſi largitur.

*Agaricus, pectoris affectibus, tuſſi & aſthmati convenire cenſetur, ita etiam extractum ejus, pilulis laxantibus additur, ubi ejusmodi affectibus correptis ſuccurrendum eſt. Reſinoſum eſt extractum, & vi purgante admodum debili præditum, hanc ob cauſam nunquam ſolum, ſed vel trochiſcis Alhandal, vel alio acri purgante atque extracto quodam commixtum, in forma pilulari, vel amygdalis tritum, in pulvere dari ſolet.*

*Datur vero a ſcrupulo dimidio, ad grana quindecim.*

EX-

## EXTRACTUM ALOES GUMMOSUM.

*REC.* Aloës Succotrinæ optimæ uncias ſex.
Redige in pulverem, ac in cucurbita vitrea affunde
Aquæ fontanæ libras duas.
In vaſe tecto, loco calido, duos vel tres dies digere, ut ſolvatur; ſolutionem a fecibus ſeparatam, leni igne, ad extracti conſiſtentiam evapora.

*Alvum laxat, & pro baſi pilularum inſervit purgantium.*
*Doſis ſcrupulus ſemis.*

## EXTRACTUM ANGELICÆ.

*REC.* Radicum ſiccarum Angelicæ libram unam;
Inciſis ſuperfundantur
Spiritus Vini rectificati libræ quinque vel ſex.
Digerantur ad ſufficientem extractionem, exprimantur, atque ſpiritus tinctus, per filtrum colatus ſervetur;
Radices vero
Aquæ fontanæ libris tribus denuo infundantur, digerantur, & poſt unam aut alteram ebullitionem exprimantur.
Expreſſum albumine ovi clarificetur, & cum ſpirituoſo commiſceatur, lentoque igne, ſpiritu per alembicum abſtracto, ad conſiſtentiam extracti inſpiſſetur.

*Carminativas, anodynas, alexipharmacas & pectorales habet virtutes; additur pilulis catarrhalibus, vel Laudano mixtum in colica exhibetur.*

*Doſis grana duodecim, ad viginti.*

Præſcripto modo etiam parantur:
EXTRACTUM ARISTOLOCHIAE CLEMATITIDIS,
ARISTOLOCHIÆ LONGÆ,
ARISTOLOCHIÆ ROTUNDÆ,
ASARI,
CALAMI AROMATICI.
CORTICUM CHACARILLÆ,
CORTICUM CHINÆ CHINÆ,
ENULÆ,
HYPERICI ex FLORIBUS,
MECHOACANNAE ALBÆ,
PIMPINELLÆ,
SASSAFRAS,
TURPETHI,
ZEDOARIÆ.



## EXTRACTUM ANODYNUM.

*REC.* Extracti Angelicæ,
Calami aromatici ana unciam unam,
Cardui benedicti drachmas quinque,
Opii, aqua fontana parati, drachmas tres,
Olei Caryophyllorum guttas decem,
Miſceantur & ſerventur.

*Vires ſunt anodynæ, ſudoriferæ, leniter adſtringentes. Quælibet drachma grana ſeptem ſemis habet Opii.*
*A granis octo, quæ granum unum habent opii, ad grana duodecim, dari poteſt.*

## EXTRACTUM BEZOARDICUM CAMERARII.

*REC.* Extracti ſpecierum Elixirii vitæ uncias quatuor,
Ligni Aloës,
Radicum Angelicæ ana unciam unam,
Me-

Meliſſæ,
Salviæ,
Tormentillæ,
Opii ana unciam ſemis,
Papaveris erratici,
Caſtorei ana drachmas duas,
Lapidum quinque pretioſorum præparatorum,
Succini albi præparati ana ſcrupulos quatuor,
Unicornu marini,
Bezoar Orientalis,
Occidentalis ana ſcrupulos duos,
Confectionis Alkermes completæ,
de Hyacintho ana drachmas duas.

Miſceantur exactiſſimè, quod fit, extracta omnia in aqua Menthæ ſolvendo, & denuo in debitam conſiſtentiam reducendo.

*Alexipharmacum & ſudoriferum eſt, lene etiam præbet anodynum. Vix amplius in uſum veniens.*

*Doſis per ſe grana octo, ad quindecim adultioribus.*

*Drachma continet circiter grana tria, & ſcrupulus granum unum extracti Opii.*

## EXTRACTUM BRYONIÆ.

*REC.* Radicum Bryoniæ inciſarum libram unam,
infunde in
Aquæ fontanæ ferventis libris ſex.

Macerentur per triduum, poſtea leniter ebulliant, exprimantur & colentur, expreſſum, leni igne, ad extracti conſiſtentiam evaporetur.

Pari modo parantur:

EXTRACTUM ESULAE,
GENTIANÆ,
HELLEBORI NIGRI,
IRIDIS FLORENTINÆ,
IRIDIS NOSTRATIS,
PÆONIÆ,
RHABARBARI,
SARSAPARILLÆ,
TORMENTILLÆ,

Omnia ex radicibus.

*Hæc, & alia ex ſimplicibus parata extracta, vim habent vegetabilium, e quibus parata ſunt.*

## EXTRACTUM CASTOREI.

*REC.* Caſtorei libram ſemis;
Per repetitam ſpiritus Vini affuſionem extrahatur eſſentia; reſiduo addantur
Aquæ fontanæ libræ duæ,
& lento igne ad dimidias coquantur, decoctum exprimatur, colatur, ac clarificetur, atque cum ſuperioribus per ſpiritum vini factis extractionibus commiſceatur, & ſpiritu lento igne abſtracto, in extracti conſiſtentiam reducatur.

*Specificum creditur eſſe Caſtoreum antihyſtericum & antiſpaſmodicum, quas etiam vires habet ipſum extractum; admiſcetur pilulis nervinis, antiſpaſmodicis, narcoticis, atque anticolicis.*

*Doſis grana tria vel ſex.*

## EXTRACTUM CATHARCTICUM, PHARMACOP. LONDINENSIS.

*REC.* Aloës Succotrinæ unciam unam ſemis,
Colocynthidis drachmas ſex,
Scammonii electi,
Cardamomi minoris, ana unciam ſemis.

Infundantur in Spiritus Vini rectificati ſufficiente quantitate, & repetitis vicibus liquor a fæcibus, me-

dian-

diante filtro, ſeparetur, Spiritus leni igne abſtrahendo in extracti formam redigatur.

*Cum extracto catholico convenit. Vis draſtica ſcammonii & colocynthidis per additionem Cardamomi corrigitur.*

*Doſis grana decem ad quindecim in forma pilulari.*

## EXTRACTUM CATHOLICUM.

*REC.* Extracti Aloës Succotrinæ, aqua fontana parati, unciam unam,
Ellebori nigri drachmas duas,
Colocynthidis ſcrupulos tres,
Reſinæ Jalappæ,
Scammonii ana drachmam unam ſemis,

Miſce.

*Ex inſcriptione patet, univerſale eſſe alvum ducens.*

*Doſis ſcrupulus ſemis, ad grana quindecim*

## EXTRACTUM CICUTÆ.

*REC.* Herbæ recentis Cicutæ quantum vis,

exprimatur ſuccus, isque recens lentiſſimo igne, in vaſe terreo, ſæpius agitando, ne amburatur, coquatur ad ſpiſſi extracti conſiſtentiam. Hoc extractum ſufficiente quantitate pulveris herbæ Cicutæ in maſſam pilularem ſubigatur, ut fiant pilulæ granorum duorum.

*Reſolvere, vel ad benignam ſuppurationem redigere indurata mala ſcirrhoſa, ſcrophuloſa, cancroſa; ſanare fiſtulas & alia ulcera, cataractas incipientes ſolvere, & pluribus aliis morbis conclamatis mederi obſervavit Stærck.*

*A minima doſi incipiendum ſuadet, mane & veſperi pilulam unam, ſenſim aſcendendo; obſervato effectu, ad drachmam unam, quin ad unciam ſemis de die dedit, per plures menſes continuando. Superbibitur infuſum Theiforme. Vel extractum aqua ſtillatitia dilutum, forma mixturæ propinari poteſt.*

## EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS.

Paratur, fructum Colocynthidis ſpiritu Vini extrahendo, poſtea aqua fontana coquendo, & ambas extractiones clarificatas, leni calore, in extracti conſiſtentiam evaporando.

*Fortiter purgat, & ſtimuli loco aliis purgantibus additur; hydropicis præſertim conducit.*

*Doſis grana tria ad octo.*

## EXTRACTUM CROCI.

*REC.* Croci Orientalis optimi libram ſemis, vel quantum libet,
Aquæ fontanæ puræ libras duas.

Digere loco tepido, vaſe optime clauſo per biduum, liquorem tinctum decanta, aliam aquam affunde, digere, idque continua, donec omnis vis & tinctura extracta ſit; extractiones omnes commiſce, ac in balneo abſtrahe ad juſtam conſiſtentiam.

*Easdem vires, quas crocus, poſſidet; anodynas, alexipharmacas, cordiales & antihyſtericas.*

*Doſis grana duo ad quatuor.*

## EXTRACTUM DIACARTHAMI, ſive CNICO-PHARMACUM.

*REC.* Seminis Carthami excorticati uncias quatuor,
Rhabarbari veri unciam unam,
Polypodii querni uncias duas,
Zingiberis albi drachmas duas,
Turbith albi reſinoſi,
Foliorum Sennæ electorum ana uncias duas ſemis,
Myrobalanorum chebulorum uncias tres,
Agarici albi drachmas ſex,
Scammonii Aleppenſis drachmas decem,
Mannæ electæ uncias duas ſemis.

Agaricus, Scammonium & Turbith infundantur in

Spiritus Vini libris duabus,

& repetita affuſione extrahantur; reliqua vero interim in

Aquæ ferventis libris tribus macerentur, leni igne coquantur ad tertiæ partis conſumtionem, & in fine coctionis adjiciatur reſiduum prioris ſpirituoſæ extractionis; exprimantur & colentur, atque in colatura Manna diſſolvatur, ſolutio clarificetur, & cum ſuperiori ſpirituoſo extracto permiſceatur, lentoque igne ſpiritus evocetur; reſiduum vero ad extracti mollioris conſiſtentiam inſpiſſetur.

NB. Pro pilulis etiam absque Manna parari debet.

*Ad vitioſos humores evacuandos accommodatiſſimum & multimoda experientia comprobatum celebratur. Cachecticis, ſcorbuticis & hydropicis convenit.*

*Doſis absque Manna, ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis; cum Manna, ad drachmam integram, vel ſcrupulos quatuor exhiberi poteſt.*

## EXTRACTUM HYOSCYAMI.

Paratur ex ſucco expreſſo, ut Extractum Cicutæ.

*In motibus convulſivis particularibus & quibusdam melancholicis, profuiſſe, notavit Stœrckius.*

*Doſis granum unum, ad ſummum tria quatuorve, bis terve de die.*

## EXTRACTUM JALAPPAE.

Eodem modo, quo Agarici extractum, paratur, in fine reſinam cum extracto diligenter miſcendo, ut gummoſæ partes reſinoſis interponantur.

*Vires cum reſina conveniunt, & vix majori doſi dandum eſt extractum hoc; ſufficiunt grana ſex, vel decem, extracto alii laxanti, Aloës ſcilicet, vel pilulis de Succino, pro una doſi, ſcopo laxandi, admixta.*

## EXTRACTUM LIGNI ALOES.

Paratur extrahendo lignum Aloës rectificatiſſimo Vini ſpiritu, & ſpiritum rurſus in balneo abſtrahendo.

*Additur pilulis & pulveribus cephalicis & analepticis.*

*Sufficit granum unum vel duo pro doſi.*

## EXTRACTUM LIGNI GUAJACI.

Lignum Guajacum in ſcobem tenuem redactum fortiter coquitur in ſufficiente quantitate aquæ fontanæ; decoctum lento igne in extracti formam redigitur.

Extractum exigua quantitate tali modo & ex libra una ligni vix drachmæ duæ obtinentur; ſpiritu Vini vero rectificatiſſimo ex libra una ad minimum unciæ tres extracti reſinoſi extrahuntur.

*Uſus eſt in pilulis arthriticis, catarrhalibus, antivenereis, vel ubicunque ſanguinem & lympham depurare volumus.*

*Doſis grana octo ad duodecim.*

*Naribus exceptum ſternutationes inſignes, citra capitis imbecillitatem efficit.*

## EXTRACTUM MAROCOSTINUM.

*REC.* Aloës Succotrinæ libram unam, diſſolve in

Succorum depuratorum
Abſinthii,
Apii,
Fœniculi ana unciis tribus,
Cichorei,
Fumariæ,
Pimpinellæ ana unciis octo,
Roſarum,
Citri ana unciis viginti.

Stent in digeſtione, ut clarum a ſpiſſo ſeparetur, & fæces ſubſideant, ſolu-

lutionem claram separa, & lento igne evapora ad mellis consistentiam; adde

Extracti Rhabarbari drachmas sex,
Croci drachmam semis,
Myrrhæ unciam semis,
Gummi Ammoniaci, in aceti scillitici quatuor unciis soluti, unciam unam semis.

Redigantur in extractum, mollioris consistentiæ, cui adde

Mari veri optime triti unciam semis,
Costi corticosi drachmas sex.

Exacte mixta serventur.

*Nunquam solum, vel sine additione activorum purgantium præscribitur. Inservit potius pro basi pilularum cephalicarum: Aloë enim, per solutionem in succis corrigitur, atque, additione Mari veri & Costi, aromatisatur, hinc pilulæ laxantes inde compositæ nunquam, vel rarissime, tormina excitant.*

*Dosis est grana duodecim ad viginti & ultra.*

## EXTRACTUM MARTIS POMATUM.

*REC.* Limaturæ Martis, sive ferri, puriſſimæ libram unam,
superfunde
Succi pomorum acidorum recens expressi & depurati libras quatuor.

Stent in digestione loco calido, in cacabo ferreo, per plures dies. Postea coquantur, spatula perpetuo agitata, lento igne, ad dimidiæ partis consumtionem; clarum a spisso colando separetur; & ad extracti consistentiam inspissatum reponatur.

*Tonicum excellens est, atque hypochondriacis, cachecticis, ac ubi suspicio vermium est, convenit.*

*Datur in forma pilulari, cum aliis, a granis quindecim ad viginti.*

## EXTRACTUM MYRRHÆ AQUOSUM.

*REC.* Myrrhæ rubræ, electæ, pulverisatæ libram dimidiam.

Irrora
Liquoris nitri fixi uncia una,
& spatula lignea probe misce. Repone in cellam per dies quatuordecim. Tandem affunde aquam fervidam, agita massam; dein quieta relinquatur, donec crassius sedimentum deposuerit. Clarum decantetur. Residuo aquam fervidam denuo affunde, donec tingi desinat. Tandem aqua omnis myrrhâ imprægnata moderato calore ad debitam consistentiam evapora.

*Extractum hoc resinoso-gummosum nobile est balsamicum, uterinum, pectorale, vulnerarium.*

*Dosis grana quinque, decem.*

## EXTRACTUM NICOTIANÆ.

Folia Nicotianæ integra exsiccata, per noctem, in aqua fontana (scilicet libra una Nicotianæ in sex libris aquæ) macerentur; mane infundantur cribro, ut aqua effluat; folia ita macerata atque aquâ abluta in libris decem aquæ fontanæ, magna ebullitione, ad dimidiæ partis consumtionem, coquantur. Decoctum, albumine ovorum clarificatum, valido igne & celeri ebullitione, ad consistentiam extracti inspissetur.

Maceratio & ablutio Nicotianæ instituitur, ut particulæ salinæ acres maxime in hac prima maceratione extrahantur; Ebullitio fortis & coctio longa, cum copiosa aqua, eandem ob rationem præscribitur, ut volatiles & vomitum creantes particulæ cum vapore evolent.

*Commendatur hoc extractum, ſecundum hanc formulam paratum, in tuſſi pectorali & phthiſica diuturna mitiganda & cohibenda, quod etiam præſtare ſolet, ſi ejus grana tria, vel quatuor, in aqua quadam vinoſa ſoluta, mane in lecto propinentur; &, ſi forte nauſeam vomibundam excitaret, mox, poſt vini calidi aromatiſati, & parum ſaccharati, hauſtum, ceſſabit; in febribus etiam diuturnis, tertianis & quartanis, nec non ictero & hydrope magni effectus eſt.*

*Ad grana quinque vel ſex exhibitum, per ſeceſſum & ſuperiora nonnunquam purgat.*

## EXTRACTUM OPII.

*REC.* Opii Thebaici optimi uncias quatuor,
in fruſtula minutim ſciſſum in cucurbita vitrea,
Aquæ communis, ſucci Citri libra ſemis acidulatæ, libris quatuor ſolve;
Solutum deple, & per emporeticam filtra, ac calore moderato balnei, ad extracti conſiſtentiam inſpiſſa.

*Vires Opii depurati narcoticas aliasque notorias poſſidet.*

*In doſi, apud adultos, ultra duo, vel tria grana vix aſcendere ſolemus.*

## EXTRACTUM OPII, ſeu OPIUM CYDONIATUM PER FERMENTATIONEM.

*REC.* Opii puriſſimi libram unam; ſucceſſive ſolve in
Succi Cydoniorum &
Aquæ fontanæ frigidæ ana libris quinque.

Stent in loco temperato, ſemper impuritates liquori ſupernatantes auferendo, per aliquot dies; poſtea liquor per linteum coletur, ut a ſpiſſo & ſordibus reſinoſis liberetur. Colaturæ adde
Sacchari albi uncias quatuor;
Reponantur in vaſe ſatis capaci, leviter ſaltem operculo tecto, ad fermentationem, in locum temperate calidum, per multos menſes; ſed cave, ne hoc fiat in conclavi clauſo.

Durante fermentatione moveatur ſæpius liquor baculo ligneo, & denuo reponatur, usque dum ne minimum quid de fermentatione, aut motu inteſtino liquoris, percipiatur; deinde per pannum colatur liquor, ad extracti conſiſtentiam inſpiſſandus.

*Opium fermentatione non ſolum corrigitur, ſed etiam in ſua virtute exaltatur; parciori igitur doſi præſcribendum eſt, licet ſaccharum & ſuccus Cydoniorum dimidiam fere partem extracti conſtituant, ultra granum non offerri adulto debet, in teneris ſubjectis decima vel duodecima, imo vigeſima pars grani ſufficit.*

## EXTRACTUM PANCHYMAGOGUM.

*REC.* Scammonii Aleppenſis unciam unam,
Rhabarbari veri,
Seminis Ebuli ana drachmas ſex,
Agarici albi drachmas ſeptem,
Turbith. reſinoſi,
Hermodactylorum ana drachmas quinque,
Hellebori nigri unciam ſemis,
Foliorum Sennæ electorum uncias duas,
Colocynthidis drachmas decem.
Rhabarbarum, Hermodactyli, Helleborus & folia Sennæ minutim inciſa infundantur in
Aquæ fontanæ bullientis libris duabus,
Macerentur per viginti quatuor horas, atque, poſt unicam ebullitionem, exprimantur, in expreſſo diſſolvantur

Aloës

Aloës Succotrinæ unciæ tres, atque seorsum serventur.

Reliqua vero, Scammonium, semen Ebuli, Agaricus, Turbith & Colocynthis per repetitam affusionem spiritus Vini rectificati s. q. extrahantur, extractiones, per chartam emporeticam filtratæ, cum solutione Aloës colata misceantur, atque spiritus in balneo abstrahatur, residuum vero, leni igne, ad extracti consistentiam redigatur.

*Purgans creditur esse universale, quod omnes vitiatos humores e corpore educendi vim habeat.*

*Dosis grana decem ad quindecim.*

## EXTRACTUM PHLEGMAGOGUM QUERCETANI.

*REC.* Agarici trochiscati uncias quatuor,
Hermodactylorum,
Turbith,
Foliorum Sennæ,
Seminis Carthami ana uncias tres,
Radicis Esulæ unciam unam,
Colocynthidis unciam semis,
Macis,
Salis gemmæ ana drachmam unam semis.

Præparetur ad normam *Extracti panchymagogi*; Hermodactylos, Folia Sennæ & Esulam, aqua fontana, Sale gemmæ acuata, reliqua vero spiritu vini rectificato extrahendo, & in extracti consistentiam, leni calore, redigendo.

*Serum educit, & additis fortioribus purgantibus, præscribitur hydropicis.*

*Dosis grana duodecim ad scrupulum unum.*

## EXTRACTUM RHABARBARI SIMPLEX.

Seligitur optimæ notæ Rhabarbarum, & aqua simplici, ad modum aliorum, fit extractum.

*Pro basi pilularum, ubi aloëtica locum non inveniunt, adhiberi solet.*

*Dosis scrupulus semis ad grana quindecim.*

## EXTRACTUM FOLIORUM SENNÆ.

*REC.* Foliorum Sennæ mundatorum libram semis;
Macera viginti quatuor horas in Aquæ fontanæ libris tribus, loco calido.

Extractum tinctum exprime, ac dein, leniſſimo igne, & ebullitione vix conspicua, evapora; alias enim fere omnem perdit vim alvum laxandi.

*Inservit pro basi pilularum laxantium, ubi Aloë uti non licet.*

*Dosis grana duodecim ad scrupulum.*

## EXTRACTUM STRAMONII.

Paratur ex succo eodem modo, quo Cicutæ Extractum.

*Tentavit vires medicamenti* Stœrckius *in dementia, mania, morbis convulsivis, effectu nonnullo, attamen nondum satis comprobato.*

*Dosis a grano semis ad integrum bis terve de die.*

## FÆCULA ARI RADICUM.

*REC.* Radicum Ari succulentarum, a sordibus & externa pellicula liberatarum, libras duas.
Minutim incisæ, & addita Aquæ fontanæ libra una,
in mortario marmoreo probe contusæ, immittantur sacco cannabino, & sub prelo fortissime exprimantur. Succus expressus in vase vitreo, vel fictili vitreato, in loco frigido reponatur, ut pulvis albissimus subsideat, a quo liquor supernatans per inclinationem separetur, fæcula vero remanens in umbra exsiccetur.

*Usus fæcularum obsoletus est: Zwelferus putat, fæculas plane e foro medico esse excludendas, & si quis præcise hujus generis medicamentum requirat, simplicem radicum mitiorum pulverem efficaciorem esse; acriorum vero fæculas facile admitti posse.*

*Modum præparandi adposuimus, ut, si forsan expetantur, etiam reliquæ fæculæ BRYONIÆ, PÆONIÆ, &c. secundum hanc præscriptionem, parari possint.*

## FLORES ANTIMONII HELMONTII.

*REC.* Antimonii crudi, bene triti, libram unam,

solvatur in

Aquæ regiæ libra una semis,

quod fit maxima effervescentia; cum summo æstu & fumis densis ruberrimis, qui tamen mox cessant.

Relicta in fundo materia, cineritii flavescentis coloris, humida, pultis instar, leni igne, baculo agitata, exsiccanda est.

Hujus materiæ siccissimæ, &
Salis Armoniaci pariter sicci
partes æquales

conterantur, quo diutius, eo melius, ut permisceantur quam optime; immittantur statim cucurbitæ vitreæ humili, latioris orificii, applicetur alembicus amplus, nitidus, & commissuræ luto ex lini farina optime claudantur, ponantur in furno arenæ; cucurbita vero parum versus alembici rostrum declinet, ut liquidum inter sublimandum ex alembico facile exstillare in excipulum appensum queat. Cucurbita etiam profunde in arenam immittitur, & arena ad marginem usque alembici apponitur; adhibetur ignis gradatim, primo lenis; prodibit aqua limpida acida, citatiore deinde igne elevantur albi flores. Ita æquabilis sustinetur ignis, eo gradu, ut capitelli calor manu ferri queat, ascendet omne fere cognitorum colorum genus in alembicum. Frigescant sponte, leniissime & summa cura eximatur cucurbita, detergatur a pulvere externo, & solvatur alembicus a cucurbita, cavendo a primo vapore. Sublimatum erit omne fere Antimonium cum Sale Armoniaco in materiam variegatam, cito eximendam, & intra vas vitreum calidum & siccum recondendam.

*Validissimum, etiam minima dosi, hi flores Antimonii assumti præbent emeticum, edulcorati & ab omni salsedine abluti, pulverem exhibent rubrum, insipidum, de quo ultra grana duo adultioribus, ad vomitus ciendos, vix dare licet.*

*Chemicis usibus etiam inserviunt.*

## FLORES BENZOES.

*REC.* Benzoës, quantum lubet; pulverisata immittatur cucurbitæ humili orificio ampliori; superimponatur, loco alembici, charta convoluta ad pyramidis vel coni, formam, in superiore parte perforata; adhibeatur ignis arenæ leniissimus, sic sublimabuntur flores albi, nivei, penetrantissimi saporis & odoris; singulis horis vel dimidiis, alembicus, seu pyramis chartacea mutetur, & flores sublimati colligantur, atque vitro inclusi serventur. Ex libra una Benzoës, non plus, quam uncia una & dimidia, vel duæ florum sublimantur. Signum sublimationis absolutæ est, si charta ceus alembicus oleo imbutus apparet.

NB. Alii methodo faciliori, flores Benzoës, majori in quantitate parare solent, atque hunc in finem retortam vitream, Benzoë vel Asa dulci, cum æquali quantitate

titate arenæ lotæ, commixta, ad dimidias replent, & ex arena igne per gradus aucto deſtillant. Oleum, quod prodiit butyraceum, in aquæ fontanæ ferventis decuplo ſolvunt; ſolutionem adhuc ferventem, per pannum, aqua calida madefactum, ut oleum remaneat, trajiciunt, atque flores ex aqua refrigerata, charta bibula imponendos & nullo vel leniſſimo calore ſiccandos, colligunt.

*Laudantur ad aſthma, & omnes pulmonum affectus; coagulum lymphæ mucido-ſeroſæ ſolvunt, & ſudores movent.*

*Dantur grana duo ad quatuor, ex ovo ſorbili.*

## FLORES SALIS ARMONIACI MARTIALES, ſive HÆMATISATI.

*REC.* Limaturæ Martis, vel Lapidis Hæmatitæ, ſubtiliſſime triti, uncias quatuor,
Salis Armoniaci puriſſimi libram ſemis.

In pulverem redacta & optime mixta, ac aliquandiu loco frigido repoſita, pellantur ex retorta vitrea, igne arenæ, gradatim aucto; primo deſtillabit liquor ſalinus penetrantiſſimus, tandem, ſatis intenſo, ſublimantur in collum retortæ flores, qui, præter alios uſus, ad eſſentiam martialem parandam adhibentur.

Reſiduum in fundo retortæ, per deliquium in cella ſolvitur in liquorem acerrimum, badium, qui *Olei Martis* nomine venit, eſtque uſu externo adſtringens inſigne, & ſchæmum.

*Incidendi & diſſolvendi, tonicam ac anodynam habent virtutem. Laudantur ſpecifice ad Rhachitidem, in febribus, dolore capitis, ſuppreſſione menſium, lumbricis, & ad tonum ventriculi reſtituendum, nec non appetitum excitandum.*

*A nonnullis in medicamentorum infidorum claſſem referuntur, quæ ſulphure vaporoſo cum ſale volatili ſubacri explicito ſpirituum animalium facultates & ſenſationes hebetant, & ſomnum inducunt, ſi largius ſumantur; caute igitur in præſcribendis illis, ob vim tam adſtringentem, quam ob narcoticam, verſandum eſſe cenſent.*

*In doſi, pro tenera ætate, haud ultra granum dimidium, aut integrum; in adultioribus ad grana quinque, octo, vel decem aſcendere licet.*

## FLORES SULPHURIS.

*REC.* Sulphuris communis, in fruſta diffracti, quantum lubet.

Injice in cucurbitam terream, vitreatam, & impoſito alembico amplo, vitreo, ex arena ſublima igne non nimium intenſo, ne flores ſublimati fluant, qui, mutatis ſæpe alembicis ſunt colligendi, & denuo Sulphuris ſubinde aliquid cucurbitæ immittendum, quousque ſufficiens florum quantitas collecta fuerit.

*Ad pectoris morbos, ſcabiem retropulſam, ulcera fœtida, interne aſſumti valent.*

*Doſis a granis duodecim ad ſcrupulum unum.*

## FLORES SULPHURIS COMPOSITI.

*REC.* Florum Sulphuris ſimplicium uncias duas,
Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ ana unciam unam,
Croci ſcrupulum unum.

Subtiliſſime trita miſceantur.

*Loco digeſtivi purgantibus, præſertim ſa-*

*linis, præmitti possunt; adscribitur etiam vis alexipharmaca.*

*Dosis scrupulus unus.*

## FLORES ZINCI.

*REC.* Zincum, quantum lubet,
& per se in olla vitreata sublimetur.

*In inflammationibus oculorum, lippitudine, si cum aqua rosarum pro collyrio adstringente miscentur, item in intertrigine conducunt.*

## GELATINA CORNU CERVI CITRATA.

*REC.* Rasuræ cornu Cervi purissimæ uncias sex.
Lavetur aqua tepida aliquoties, coquatur in
Aquæ fontanæ libris sex, ut restet libra una, sæpius coletur, ut clarificetur gelatina, cui, adhuc calenti, adde
Syrupi ex toto Citro unciam unam.
Reponantur in locum frigidum.

*Restaurat & humectat, in febribus malignis, ut & colliquativis, tabe &c. præscribitur.*

## GELATINA RIBIUM.

*REC.* Baccarum Ribium maturarum rubrarum libras quindecim,
Sacchari contusi libras duodecim.
Mixta coquantur in patina plana, leni igne, sæpius invicem agitando, donec quarta circiter humiditatis pars evaporetur, & succus in frigore consistentiam gelatinæ acquirat; fervidus coletur per linteum, & refrigeratus servetur vase convenient.

*Gratum est analepticum, temperans, fauces humectans; in febribus acutis, siti & æstu conducens.*

## GILLA THEOPHRASTI, sive SAL VOMITORIUM VITRIOLI.

*REC.* Vitrioli albi uncias sex,
solvantur in
Aquæ fontanæ calentis libra una semis.
Solutio per chartam bibulam filtretur, atque rursus, leni igne, ad siccitatem evaporetur & servetur.

*Utplurimum saltem vomitus excitat, rarissime per inferiora purgat. Ob magnam dosin nauseosum est remedium; datur enim a scrupulo dimidio ad drachmam in aqua calida. A nonnullis usus hujus Gillæ summe dissuadetur; sunt vero etiam, qui in apoplexia serosa, catarrho suffocativo, febribus, in peste, & ubi suspicio philtri est, magnopere commendant.*

## GLOBULI CARMINATIVI.

*REC.* Saponis Veneti uncias duas,
Fellis Tauri,
Seminis Cymini,
Sacchari albi ana unciam unam,
Nitri crudi unciam semis.
Fiant globuli diversæ magnitudinis.

*Ad alvum aperiendam & flatus educendos, tanquam suppositoria adhibentur.*

## GLOBULI BEZOARDICI.

*REC.* Extremitatum pedum Cancrorum marinorum uncias quatuor,
Lapidum Cancrorum fluviatilium,
Margaritarum Orientalium,
Coralliorum rubrorum ana unciam unam,
Succini albi præparati,
Radicum Contrayervæ,
Serpentariæ Virginianæ, ana drachmas sex,
Bezoar Orientalis drachmas tres,

Ossium

Offium e cordibus cervorum
ſcrupulos quatuor,
Croci optimi ſcrupulos duos,
Trochiſcorum de viperis unciam
unam.

Fiat pulvis, qui cum gelatina cornu cervi miſceatur; unde formentur globuli, drachmam unam vel duas pendentes, poſt ſiccationem deaurandi.

*Vires cardiacæ, alexiteriæ, & ſudoriferæ ſunt; commendantur in variolis & morbillis, febribusque malignis omnibus.*

*Doſis a ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.*

## GLOBULI MARTIALES, (Gallis *BOULES D' ACIER* dicti.)

*REC.* Limaturæ Martis in alcohol tritæ libram ſemis,
Tartari albi pulveriſati libram unam,

Miſce, inde cucurbitæ, vel alii vaſi vitreo, affunde
Spiritus Vini libram ſemis vel uncias octo;

Maſſam vel ſolis, vel fornacis, vel balnei calori expone, ut digeratur & leniter exſiccetur. Cui deinde denuo tritæ
Spiritus Vini eandem quantitatem affunde;

Digere poſtea & exſicca, laborem toties repete, donec maſſa quaſi reſinoſa appareat. Ex qua globulos efforma, ad Ovi columbini magnitudinem.

*Uſus horum globulorum inprimis eſt externus ad vulnera, Hæmorrhagias, luxationes, ſugillationes &c. Diſſolvuntur in aqua & ſpiritu Vini, usque dum liquor bene ſaturatus ſit, quo tum imbuuntur linteamina & applicantur.*

## GLOBULI MOSCHATI ALBI.

*REC.* Sacchari Canarienſis uncias duodecim,
Amyli albi unciam ſemis,
Radicis Ireos Florentinæ drachmas duas,
Moſchi optimi grana quatuor,
Zibethi granum unum.

Cum mucilagine gummi Tragacanthæ fiant globuli, diverſæ magnitudinis.

Nonnulli Maſſam laccæ pictoriæ uncia dimidia tingere ſolent, atque

## GLOBULOS MOSCHATOS RUBROS

exinde conficiunt.

*Uſus in ſuppoſitoriis notiſſimus.*

## GUMMI GUTTÆ PRÆPARATIO.

*REC.* Gummi guttæ in pulverem triti uncias tres.

Solvantur in aceti vini albi unciis novem, poſt ſufficientem digeſtionem, clarum a ſpiſſo, per inclinationem vaſis, ſeparetur, atque leni calore in vaſe vitreo, ad extracti conſiſtentiam, acetum evaporetur.

Per hanc præparationem acrimoniam & vim emeticam, Gummi guttæ perdere, atque in ſecurum purgans abire perhibent.

*Hydropicis ad ſcrupulum dimidium exhibetur; ſerum enim potenter educit.*

## GUTTÆ ANGLICANÆ CEPHALICÆ.

*REC.* Spiritus volatilis Serici crudi, ab oleo empyreumatico liberati, uncias quatuor,
Olei deſtillati Lavendulæ, in ſpiritus Vini rectificati uncia una ſoluti, drachmam unam.

Miſceantur & digerantur, poſtea ex retorta deſtillentur.

*Effectus e nomine patet; non ſolum vero ſunt cephalicæ, ſed & uterinæ & nervinæ.*

*Dosis guttæ triginta ad quadraginta.*

## HEPAR ANGUILLÆ PRÆPARATUM.

Vino abluatur, lentoque igne exsiccetur.

*Ad partum difficilem & secundinarum retentionem, in pulvere, a scrupulo uno, ad scrupulum unum semis, non sine fructu exhibetur.*

## HEPAR ANTIMONII. vid. CROCUS METALLORUM.

## HEPAR CANIS RABIDI PRÆPARATUM.

Vino ablutum in clibano exsiccatur.

*Ad Hydrophobiam a nonnullis commendari solet.*

*Dosis drachma dimidia ad integram.*

## HEPAR LUPI PRÆPARATUM.

Pari modo, in frusta dissectum, vino abluitur & exsiccatur.

*Epatis vitiis conferre creditur, ideoque hydropicis, emaciatis, & tussientibus commendatur.*

*Dosis drachma una.*

## HEPAR SULPHURIS.

*REC.* Florum, vel Sulphuris purissimi flavi, uncias quatuor.

Fluant in vase figulino vitreato, & succedentibus admisceantur

Salis Tartari siccissimi unciæ duæ,

optime spatula agita; & ab igne remota, serva.

*Inservit tincturæ & syrupo, nec non lacti Sulphuris parandis.*

## HYDROMEL SIMPLEX.

*REC.* Mellis despumati uncias duas,
Aquæ fontanæ libras duas.

Coquantur & despumentur simul ad libræ unius semis remanentiam, colentur.

*Ad diversas in Dispensatorio obvias compositiones requiritur.*

## INFUSUM LAXATIVUM MANNAGETTÆ.

*REC.* Foliorum Sennæ electorum drachmas tres,
Cremoris Tartari drachmam unam,
Passularum minorum drachmas tres,
Zinziberis albi scrupulum unum.

Infunde in

Aquæ Fontanæ ferventis unciis quatuor;

Post digestionem per viginti quatuor horas, exprime, in colatura dissolve

Mannæ Calabrinæ unciam unam,

albumine ovi clarifica.

*Datur pro una dosi, eo effectu, quem inscriptio docet.*

## INFUSUM LAXATIVUM VIENNENSE.

*REC.* Foliorum Sennæ electorum uncias tres,
Passularum minorum unciam unam semis,
Radicum Polypodii querni drachmas tres,
Seminis Coriandri drachmas duas,
Cremoris Tartari unciam semis.

Misceantur & infundantur in

Aquæ fontanæ bullientis libris duabus semis,

post digestionem per aliquot horas exprimantur, in expresso dissolvantur

Mannæ electæ unciæ octo,

clarificentur & serventur.

*Alvum leniter laxat, & ab unciis duabus, ad tres præscribitur.*

*Præstat vero recens paratum, quam asservatum diu, facile acescens.*

JU-

## JULAPIUM E CAMPHORA ACETOSUM.

*REC.* Camphoræ drachmam unam, additis aliquot guttis ſpiritus Vini probe tritam.

Miſce exacte cum Gummi arabici drachmis duabus, antea cum aquæ drachmis duabus in mucilaginem ſoluti.

Sub perpetua agitatione adde ſucceſſive aceti Vini, in quo ſacchari finiſſimi uncia ſemis antea ſoluta eſt, uncias ſedecim.

*Quibus volupe eſt, camphorâ in febribus malignis uti, habent hic methodum, illam cum menſtruo temperante combinandi.*

## JULAPIUM ROSATUM ſive JULEPUS ROSARUM.

*REC.* Sacchari albiſſimi libras duas & ſemis;

ſolve in

Aquæ Roſarum unciis viginti.

Poſt unicam ebullitionem cola per pannum, & ſerva.

*Utimur hoc & aliis julapiis ad edulcorandas emulſiones, & plerumque ſcrupuli duo vel tres adduntur unciæ aquæ, vel emulſionis.*

## JULAPIUM SAMBUCINUM.

Paratur eodem modo, quo julapium roſatum.

## JULAPIUM VIOLARUM.

Ex aqua Violarum optima & Saccharo, uti præcedens, conficitur.

## KERMES MINERALE, SULPHUR ANTIMONII RUBRUM, ſive PULVIS CARTHUSIANORUM.

*REC.* Nitri fixi libras duas ſemis, ſolve in

Aquæ fontanæ libris quindecim,

ſolutionem filtra & ſeorſim ſerva.

*REC.* Antimonii crudi Hungarici, groſſiori modo contuſi, libras tres.

Superaffunde

Liquoris alcalini, modo præſcripti, libras ſeptem.

Coque in figulino vaſe, igne per unam vel alteram horam leniter continuato, poſtea liquorem effunde & filtra;

Eidem Antimonio liquoris iterum affunde libras quinque, & ut antea coque; liquorem effunde & filtra.

Tandem reliquam liquoris portionem Antimonio affunde, coque & filtra, uti dictum.

Liquor, per filtrum ita colatus, requieſcat per viginti quatuor vel plures horas, ſic pulvis rubicundus fundum petet, qui poſtea, affuſa aqua calida, ſæpius edulcoretur, & uſui aſſervetur. Nonnulli ſpiritum Vini rectificatum ſuper incendunt.

Notandum autem eſt, quod Kermes minerale præſcripto modo, quo Nitrum fixum in anatica fere portione cum Antimonio ſumitur, præparatum, ob multas Reguli partes unitas, valde adhuc ſit emeticum. Siquidem Antimonium cum magna ſalis alcalini quantitate, aqua ſoluti, coctum, quoad regulinam quoque partem ita reſolvi poteſt, ut tandem fere totum per filtrum tranſeat. Ad obtinendum autem Kermes minerale mitius, præfertur a recentioribus illa methodus, qua Antimonii in groſſum pulverem comminuti libra una cum ſubquadrupla ſaltem portione ſalis alcalini fixi, in aquæ libra una ſoluti, per quatuor horas coquitur (eandem ſemper aquæ quantitatem ſervando). Poſtea Lixivium hoc Hepatis Antimonii fervidum filtratur, in locum frigidum ponitur, ut pulvis ruber ſponte fundum petat,

ſubdecuplam circiter Antimonii aſſumti pondus æquans, aqua edulcorandus. Liquor ſuperſtans Antimonio reſiduo reaffunditur, addita per evaporationem amiſſa aquæ portione, denuo coquitur, ſicque labor aliquoties dicto modo iteratur.

*Mitiſſimum, & parciſſimo Regulo inſtructum acquiritur Sulphur Antimonii, ſi Kermes ipſum jam præparatum cum duplo alcali larga aquæ quantitate denuo coquitur, tum enim ex aqua filtrata & refrigerata, purius, metalli parte magis privatum, deſcendit, ut tutius poſſit in uſum vocari, doſi grani unius ad quatuor vel ſex, in morbis ſub Sulphure Antimonii nominatis.*

## LAC SULPHURIS.

*REC.* Sulphuris citrini puriſſimi uncias duas,
Cinerum clavellatorum, vel ſalis Tartari uncias ſex,
Aquæ fontanæ libras tres.

Coque in vaſe figulino, ad tertiæ partis conſumtionem. Reſiduo per filtrum trajecto inſperge aceti vini quantum ſatis ad præcipitationem; præcipitatum ſæpius aqua fontana tepida ablue, & denique leniſſimo calore exſicca.

*Earundem virium eſt, ac flores ſulphuris, & inprimis ad pectoris morbos adhibetur.*

## LAC VIRGINIS.

*REC.* Lithargyrii ſubtiliſſime triti libram ſemis;

Coque in
Aceti Vini deſtillati libra una ſemis,
ad conſumtionem tertiæ aceti partis, tunc filtra. Colaturæ affunde
Aluminis crudi, in aquæ communis libris duabus ſoluti, uncias quatuor,
& albeſcet liquor, qui Lac Virginis vulgo dicitur.

*Pro coſmetico habetur, quod teneroribus, a ſolis calore quaſi ambuſtis, prompte ſuccurrit, ſi faciem eo illinant. Etiam lentigines & ſerpigines delet. Quotidianum aut frequentem uſum autem minime ſuademus.*

*Lac Virginis vulgo quoque vocatur aqua quæcunque coſmetica, in cujus unciam unam inſtillantur guttæ circiter decem Tincturæ Benzoës.*

## LAPIS CALAMINARIS PRÆPARATUS.

*REC.* Lapidis Calaminaris libram unam,
Candefiat ter vel quater in crucibulo, atque toties in Aqua Plantaginis vel Roſarum extinguatur; poſtea ſiccatus in ſubtiliſſimum pollinem teratur, atque ſuper marmore lævigetur.

*Uſus eſt externus in collyriis, unguentis & emplaſtris; ſiccat & adſtringit.*

## LAPIS CAUSTICUS.

*REC.* Cinerum clavellatorum libram unam,
Calcis vivæ recentis libram ſemis vel integram.

addita ſufficiente quantitate aquæ, coquantur invicem in ſartagine ferrea, lixivium adhuc dilutum decantetur, vel per filtrum transfundatur, tum clarum denuo coquatur usque dum ſolideſcat. Sal alcalinum acerrimum remanens ſpatula ferrea eximitur, vaſe vitreo, exacte clauſo, in loco calido, aſſervandum.

*Eſt cauterium potentiale, minori cum dolore & inflammatione cutem atque carnem in eſcharam mortuam perurens, quam a corroſivis acidis mineralibus id fieri ſolet. Adhiberi ergo debitis cum cautelis poteſt ad abſceſſus aperiendos, excreſcentias deſtruendas &c. ubi culter Chirurgi ab ægris reformidatur.*

LA-

## LAPIS DIVINUS, ſive OPHTHALMICUS.

*REC.* Vitrioli de Cypro,
Nitri puriſſimi,
Aluminis crudi ana uncias tres.
Optime contuſa & pulveriſata liquefiant in vitreo vaſe, calore arenæ, quibus liquefactis adde
Camphoræ tritæ drachmam unam ſemis.
Mixta & refrigerata maſſa ſervetur.
*Adhibetur in collyriis, ad oculorum affectus.*

## LAPIS DE GOA.

*REC.* Coralliorum alborum,
rubrorum,
Bezoar Orientalis ana unciam unam,
Margaritarum Orientalium,
Lapidis Hyacinthi præparati,
Topaſii,
Sapphiri,
Rubini ana unciam ſemis,
Smaragdi,
Moſchi Orientalis,
Ambræ griſeæ ana drachmas duas,
Foliorum Auri Nro. quadraginta.
Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui mucilagine Tragacanthæ, vel gelatina cornu cervi in paſtam redigatur, ex qua formentur globuli ovali forma, qui, poſt ſiccationem in umbra, vel concha, vel dente lupino, ut eleganter niteant, poliantur.
*Rari vel nullius uſus eſt apud nos medicamentum hoc pretioſum; apponere tamen illud, curioſitatis gratia, ex Pharmacopœa Bateana voluimus; vocatur alias* Pedra cordial & Bezoar de Goa, *unde apportatur, & a Patribus Soc. Jeſ. CASPARO ANTONIO & NICOLAO MOMITIO componitur, atque pro arcano habetur. Vires bezoardicæ, antiſpaſmodicæ & antepilepticæ potius Moſcho, Ambræ & Bezoar adſcribendæ ſunt, quam lapidibus pretioſis. Unde præferendi his globulis merito globuli illi bezoardici, quorum deſcriptionem ſuo loco exhibuimus.*
*Doſis eſt a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum vel drachmam ſemis.*

## LAPIS INFERNALIS.

*REC.* Argenti puriſſimi uncias duas; ſolvantur in
Spiritus Nitri, vel Aquæ fortis unciis ſex.
Evaporetur ſolutio ad quartæ partis conſumtionem, atque ad cryſtalliſationem reponatur. Cryſtalli colligantur, liquor denuo evaporetur, & labor repetatur, donec omnis liquor in cryſtallos vel ſalem abierit. Has cryſtallos crucibulo ſatis magno immitte. Adhibe ignem primo lenem, tumebit materia, deinde ſubſidebit, tandem ignis gradu aucto olei inſtar fluet, quam effunde in modiolum, ſeu canalem ferreum cylindricum, prius calefactum & ſevo illitum. Maſſa nigra & compacta eſſe debet, alias denuo in crucibulo liquanda & effundenda, ſi ſucceſſerit, in vitro probe clauſo ſervanda.
*Inſervit loco cauterii potentialis, ad abſumendas carnoſas excreſcentias.*

## LAPIS MEDICAMENTOSUS.

*REC.* Vitrioli albi uncias quatuor,
Salis Armoniaci unciam ſemis,
Ceruſſæ,
Boli Armenæ ana unciam unam,
Aceti Vini libram unam.
Coquantur in vaſe figulino ad ſiccitatem.
*Commendantur ad ulcera omnis generis inveterata, ſcabiem, tineam, gangrænam, fiſtulas. Deſiccat, mundat, &*

*partes relaxatas roborat. Modus utendi eſt, ut uncia una in aquæ pluviæ libra ſolvatur; ſolutione filtrata laventur partes, atque lintea illa imbuta imponantur, vel ipſe liquor, ſyringæ ope, injiciatur.*

## LAPIS PRUNELLÆ, ſive NITRUM TABULATUM.

*REC.* Nitri crudi libram unam ſemis; fundatur in crucibulo, dum fluit, injiciatur ſenſim
Sulphuris citrini uncia ſemis.

Parum una vice inſpergendo & expectando, donec deflagrarit; hoc facto in rotulas parvas effundatur.

*Propter hanc cum ſulphure deflagrationem, multum ad arcani duplicati naturam accedit, ingratius etiam & minus refrigerans, quam Nitrum crudum, deprehenditur. Magis album evadit, ſi loco ſulphuris ſal Ammoniacum adhibetur.*

*Admiſcetur pulveribus temperantibus, & gargariſmatibus.*

*Doſis ſcrupulus ſemis ad drachmam ſemis.*

## LAUDANUM DIURETICUM, ſive URINARIUM, MICHAELIS.

*REC.* Succi Liquiritiæ inſpiſſati unciam unam ſemis,
Extracti Opii, aqua fontana parati, drachmas duas,
Trochiſcorum Alkekengi,
Terebinthinæ Venetæ, ana unciam ſemis,
Camphoræ drachmam unam,
Croci ſcrupulos quatuor,
Tragacanthæ,
Maſtichis ana drachmam ſemis.

Miſce, fiat Maſſa.

*Laudatur in ſtranguria, colica nephritica & difficultate urinæ. Grana XIII. granum unum opii continent.*

*Doſis grana decem ad ſcrupulum unum.*

## LAUDANUM HYSTERICUM.

*REC.* Extracti Opii unciam dimidiam,
Caſtorei drachmam,
Croci ſcrupulum,
Olei deſtillati Macis,
Menthæ,
Rutæ ana guttas ſex.

Miſce, fiat maſſa pilularis.

*In colica hyſterica, ubi opiata locum inveniunt, ad ſpaſticos dolores mitigandos datur.*

*Doſis granum unum ad duo.*

## LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMII.

*REC.* Opii optimi uncias duas,
Croci Auſtriaci unciam unam,
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum aromaticorum ana drachmam unam.

Omnia in pulverem trita infundantur in
Vini Hiſpanici libra una.

Digerantur per aliquot dies, colentur & ſerventur.

*Præfert celeberrimus Auctor liquidum hoc Laudanum ſolido, ob formam commodiorem, & majorem doſis certitudinem, cum ſcilicet vino, aquæ deſtillatæ, aut alii liquori cuicunque inſtillari poſſit.*

*Viribus cum aliis tinctturis & eſſentiis Opii ſic dictis anodynis convenit, & a guttis ſex, octo, ad quindecim dari poteſt.*

*Quælibet uncia habet Opii ſcrupulos quatuor, & drachma una, grana decem; Croci vero quælibet drachma continet grana quinque.*

## LAUDANUM OPIATUM.

*REC.* Extracti Opii, aqua fontana ſucco citri acidulata parati, uncias duas,
Croci,

Opo-

Opobalſami veri ana drachmam ſemis.

Miſce.

*Easdem, quas Extractum Opii, vires habet, niſi, quod narcoticum Opii principium per Opobalſamum aliquantum correctum ſit.*

*Doſis a grano dimidio ad tria.*

## LAUDANUM OPIATUM CYDONIATUM.

Videatur EXTRACTUM OPII CYDONIATUM.

## LIQUOR ANODYNUS MINERALIS, ÆTHER, NAPHTHA VITRIOLI, OLEUM VITRIOLI DULCE.

*REC.* Olei Vitrioli, per rectificationem ab omni phlegmate liberati, libram unam,
Spiritus Vini rectificatiſſimi, qui ne veſtigium aquæ continet, libras ſex.

Oleum Vitrioli inſtillatur ſucceſſive, & per vices, ſpiritui vini, quod cum ſtrepitu, non ſecus, ac ſi ferrum candens in aquam frigidam injiceretur, fit, mixtura incaleſcit, colorem acquirit rubeum, odorem gratum, ſtent, vel digerantur, in vitro probe clauſo, per aliquot dies; poſtea inſtituatur deſtillatio igne arenæ leniſſimo, e cucurbita ſatis alta; primo prodit ſpiritus vini vix mutatus, ſeparatim, remoto excipulo, ſervandus, quem ſequitur fragrantior, eo usque leniſſimo igne deſtillandus, donec phlegmaticus, ſulphuris odorem eructans (cum tantillo olei) inſequatur, cujus mixtio cum priori fragrante provide cavenda. Siſtatur deſtillatio, quando mixtura tandem in fundo cucurbitæ in offam nigram abire incipit, ſi enim deſtillatio phlegmatis ſulphurei igne auctiori continuatur, facile fit, ut omnis maſſa illa nigra ſubito et ex improviſo alembicum tranſcendat.

Reſiduo in cucurbita affundatur Spiritus Vini rectificatiſſimi nova libra una ſemis,

addito ſimul ſpiritu, qui primum prodiit vix mutatus, antea ſeparatim ſervatus. Facta poſt digeſtionem deſtillatione denuo ſpiritus fragrans obtinetur cum priori miſcendus, & vitro probe obturato ſervandus.

Quodſi ſpiritum primum a ſecundo ſeparare non placuerit, ſed confuſi invicem manſerint, tum æque bonus obtinetur liquor, ſi omne deſtillatum ſpirituoſum reſiduo oleo vitrioli reaffunditur, & leni igne cohobatur.

*Liquor hic odore & ſapore ſuo grato, nec non virtute anodyna, antiſpaſmodica ſe commendat; atque ſudoriferum, alexipharmacum & diureticum ſimul præbet medicamentum egregium.*

*Doſis guttæ triginta ad ſexaginta. Diu vero, vel improvide aſſervatus, acidum vitriolicum ſiſtit evolutum, & quaſi revivi ſcens.*

Pro diverſa ratione Olei vitrioli & alcoholis diverſa obtinentur producta: ſi enim olei vitrioli & alcoholis, præcipue tartariſati, partes æquales, ſingulorum unciæ ſex, recipiuntur, de alcohole non mutato nihil, de ſecundo ſpiritu fragrante unciæ circiter duæ, & olei vitrioli dulcis largior quantitas obtinetur. Sunt, qui ad nobiliorem unionem ſpiritus vini cum oleo vitrioli, & majorem quantitatem olei vitrioli dulcis obtinendam, deſtillatum hoc reaffundunt, & iterum deſtillant, ſimilemque laborem cum novo Spiritu Vini repetunt, optimo cum ſucceſſu.

Si Alcoholis libris duabus Olei vitrioli fortiſſimi libra una admiſcetur, ſpiritus, citra mutationem primum deſtillans, nonam in circa partem, liquor ſecundus ultra quintam, Oleum vitrioli dulce, fragrantiſſimum, pellucidum, ſecundo liquori ſuper-

natans, ab omni acido adhærente privatum, decimam octavam partem ponderis liquorum aſſumtorum æquare obſervatum eſt, remanente ſubtriplo olei vitrioli, quod erat receptum. Quoniam poſt ſuaviſſimum, ſecundum liquorem, igne continuato & auctiore liquor ſtillaret fortiſſimum ſulphuris odorem eructans, ſpiritus vitrioli volatilis, ideo ille & ab hoc, & ab eo, qui primus deſtillavit, mutato ſubinde excipulo, provide ſeparandus & aſſervandus eſt. Quamvis enim continuata deſtillatione cum ſpiritu vitrioli volatili, & phlegmate acido ſulphureo oleum ulterius expelli poſſit, at gravius, magis tinctum, & fortiſſimo odore ſulphureo inquinatum, hoc tamen (quemadmodum etiam liquor anodynus acido ſulphureo inquinatus,) non niſi additione aquæ & ſalis alcali, & iterata deſtillatione depuratum pro oleo vitrioli dulci venditari poteſt.

Præſtat obtento ſpiritu ſecundo ab ulteriori deſtillatione deſiſtere, & ſic facilem materiæ tranſceuſum cavere.

Materies a deſtillatione reliqua, nigerrima, tenax, ita potius in uſum convertatur, ut ipſi aqua, ne filtrum arrodat, adjiciatur, per filtrum trajecta aëri libero, usque dum odor ſulphureus evanuerit, exponatur, deinde per rectificationem condenſetur, ſicque oleum vitrioli remanens obtineatur, dictis laboribus, inprimis ſi nova portio olei vitrioli additur, denuo inſerviens.

Patet ex indicatis fundamentum & encheireſis, acidum vitriolicum dulce ſub varia forma & quantitate obtinendi.

Spiritus ſupra dictus ſecundus, ex anatica vel dupla portione Alcoholis, cum Oleo vitrioli mixti, obtentus, alcohole ipſo levior, tardius cum aqua coiens, hinc ſuper eam, ſi accendatur, ardens, vocari ſolet *Æther*. *Oleum* deſcriptum *Vitrioli dulce*, æthere adhuc levius, *Naphthæ* nomen accepit, cum aqua plane non miſcetur, flammam, in viciniam vaſis, quo continetur, collocatam, per vapores, quos emittit, arripit & quaſi attrahit. Solutioni auri ſi admiſceatur, concutiendo, ex aqua regis eripit metallum, quamvis in aggregato ponderoſiſſimum, ut ſupernatet.

Æther, ſive Naphtha, cum portione reſinæ ſub deſtillatione remanentis, elotæ, digeſtione coloratus, *Liquorem Manchini* conſtituit.

*Vires Ætheris & Naphthæ ſunt adhuc validiores quam Liquoris anodyni.*

*Frigoris ſenſum cuti, ſi inſtillentur, imprimunt. Summa volatilitate egregios, in moderando fluidi nervei motu, effectus præſtant.*

## LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS.

*REC.* Spiritus Cornu Cervi, aliquoties, ut ab oleo empyrevmatico liberetur, rectificati, uncias ſex.

Salis volatilis Succini unciam unam ſemis, vel quantum ſufficit ad ſaturationis punctum.

Miſceantur & digerantur, per aliquot dies, in vaſe probe clauſo, poſtea per chartam emporeticam filtrata, ſerventur.

*Virtutes ejus ſunt diureticæ, diaphoreticæ, antiſpaſmodicæ; adverſus motus convulſivos epilepticos puerorum valet, & hyſtericis, hemicrania vexatis, convenit.*

*Doſis pro pueris guttæ tres, quinque, octo*

*octo; adultis a guttis viginti ad quadraginta.*

## LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS ALBUS.

*REC.* Salis volatilis Cornu Cervi & Succini, depuratorum, portionem anaticam, ſcil. ana unciam unam; vel quantum unius ad ſaturationem alterius ſufficit. Solve in Aquæ Ceraſorum nigrorum unciis octo; filtrata ſerva.

*Colore albicat, odore eſt non adeo empyreumatico, viribus iisdem.*

## LIQUOR AD GANGRÆNAM.

*REC.* Aceti optimi,
Vini generoſi ana libram unam,
Aquæ, libram unam ſemis,
Salis ammoniaci, uncias duas.
Miſceantur.

*Liquor hic parti gangrænoſæ, inciſæ, calide ſæpius infuſus vires fœdæ putredini adverſantes egregie exſerit.*

## LIQUOR NITRI FIXI.

*REC.* Nitri depurati quantum libet. In crucibulo bene ignito ad fluorem perducatur, & ſucceſſive particula carbonum injiciatur, usque dum flammam amplius non concipiat; tunc maſſa in mortarium calefactum effundatur, atque in cella per deliquium ſoluta ac filtrata, uſui ſervetur.

*Viribus antacidis, diureticis, cum* Oleo Tartari per deliquium *convenit.*

## LIQUOR PROBATORIUS.

*REC.* Auripigmenti unciam unam,
Calcis vivæ recentis uncias duas.

Pulveriſata coquantur cum Aquæ quantitate ſufficiente, in vaſe figulino, dimidio quadrante horæ, ut unciæ duæ liquidi, filtrandi, poſſint decantari.

*Uſus eſt ad detegendum mangonium vini lithargyrio, nefando & in mortalium perniciem cedente conſilio dulcificati. Quemadmodum enim in vino ſincero liquor iſte probatorius, guttatim admixtus, ſedimentum citrinum deponit, ita Lithargyrii, vel Sacchari Saturni, admixtio proditur, ſi liquor iſte, recens paratus, quamprimum vino inſtillatur, nigreſcit, & nigrum ſedimentum ponit.*

## LIQUOR SALINUS LAXATIVUS.

*REC.* Salis cathartici amari uncias tres,
Tartari ſolubilis tartariſati unciam unam,
vitriolati unciam ſemis.

Miſce, ſolve in
Aquæ fontanæ unciis quindecim.

Filtra per chartam.

*Aperit, urinam ciet, laxat alvum.*

*Doſis drachmæ duæ ad tres.*

## LIQUOR STYPTICUS WEBERI.

*REC.* Vitrioli Hungarici,
Aluminis crudi ana libram dimidiam,
Phlegmatis Vitrioli, vel, in ejus defectu, Aquæ Plantaginis libras quatuor.

Coquantur, donec vitriolum & alumen ſoluta ſunt. Reponantur in locum frigidum, liquor frigefactus & a cryſtallis, ſubinde enatis, ſeparatus filtretur, & ſingulæ libræ filtrati liquoris, addatur
Olei Vitrioli uncia una.

Miſceantur & ſerventur.

*Externe ad vulnerum hæmorrhagiam compeſcendam adhibetur.*

## LIQUOR TARTARI, alias OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.

*REC.* Salis Tartari, quantum placet.
Immittatur manicæ Hippocratis, reponatur per aliquot dies in cellam humidam, ut ſal liqueſcat; decantetur liquor, & ſi opus fuerit, filtretur.

*Uſus internus rarus eſt, externe interdum ad coſmetica adhibetur; in chymicis frequentiſſime.*

## LIQUOR TARTARI SPLENETICUS.

*REC.* Tartari albi crudi puri,
Nitri cryſtalliſati ana libram unam.
Detonentur, poſtquam exacte mixta fuerint, in crucibulo.
Maſſa ſalina in
Aquæ calidæ libris tribus ſolvatur, coletur.
Lixivium hoc ſuperfundatur
Tartari albi crudi pulveriſati libræ uni.
Digerantur per octiduum, poſtea clarum a ſpiſſo per filtrum ſeparetur & ſervetur.

*Liquor eſt ſalinus, & cum tartaro ſolubili convenit, nonnihil tamen de Oleo tartari empyreumatico participat. Commendatur in morbis ex obſtructione viſcerum ortis.*

*Doſis drachma una ad duas usque.*

## LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI.

*REC.* Arcani, ſive terræ foliatæ Tartari ſicciſſimæ uncias duas;
ſuperaffunde
Spiritus Vini optimi & rectificatiſſimi uncias octo.
Digerantur per aliquot dies, ſpiritus lento igne aliquoties cohobetur, tandem liquor tinctus, per chartam filtratus, ſervetur.



*Egregium eſt antihypochondriacum, antarthriticum, atque in febre quartana & omnibus morbis, ab obſtructionibus ortis, feliciter adhibetur.*

*Doſis guttæ triginta ad ſexaginta.*

*Si, loco Spiritus Vini, aquæ fontanæ adhibentur unciæ ſex, vel potius, ſi Terra foliata Tartari per ſe deliqueſcit, liquor inde emergens ſalinus, in iisdem affectibus a drachma una ad duas dari poteſt. Alvum pronte laxat & urinam expedit.*

## LIQUOR VISCERALIS.

*REC.* Extracti Chamædryos,
Cichorii,
Trifolii fibrini,
Martis pomati ana drachmas tres,
Spiritus Nitri dulcificati,
Eſſentiæ corticum Aurantiorum ana uncias duas,
Aquæ corticum Citri uncias ſex.
Digerantur mixta, per aliquot dies, & filtrata ſerventur.

*Commendatur in Cachexia, hypochondriaco malo & flatulentia.*

*Doſis drachma una ad drachmas duas, in vino.*

## LIQUOR VULNERARIUS MINERALIS, ſive BALSAMUM VULNERARIUM MINERALE DIPPELII.

*REC.* Lapidis Hæmatitæ, in pulverem triti, libram dimidiam,
Tartari crudi libram unam.
Mixtis affundantur
Aceti Vini deſtillati libræ tres;
Digerantur in loco calido, poſtea acetum per alembicum abſtrahatur, bis vel ter cohobetur, atque ultima deſtillatione ad ſiccitatem evocetur. Reſiduo ſuperaffundantur
Spiritus Vini rectificati unciæ viginti;

Di-

Digerantur per octiduum. Clarum a ſpiſſo ſeparetur & ſervetur.

*Eſt Tinctura Martialis adſtringens, & tam interne, quam externe, in nimiis hæmorrhagiis & vulneribus, adhiberi poteſt.*

*Doſis interne guttæ quadraginta ad ſexaginta.*

## LIQUOR VULNERARIUS BILGUERI.

*REC.* Aquæ Acetoſæ,
Spiritus Vini ana libram unam ſemis,
Spiritus Vitrioli uncias quinque,
Sacchari albi libram ſemis.

Miſce, digere per octo dies, leni calore, tandem filtra.

*Vires. In Vulneribus conſolidandis, hæmorrhagiis eorum ſiſtendis, contuſionibus, ambuſtis, quam maxime commendatur ab experientiſſimo Chirurgo Bilguer ſub titulo:* Schußwaſſer.

## LIQUOR VULNERARIUS VEGETABILIS, ſive BALSAMUM VULNERARIUM DIPPELII.

*REC.* Herbarum Nummulariæ,
Betonicæ,
Chærefolii,
Plantaginis,
Ariſtolochiæ clematitidis ana uncias duas,
Saniculæ,
Verbaſci,
Sedi majoris,
Craſſulæ, ſive Telephii minoris,
Vincæ-per-vincæ,
Pimpinellæ albæ ana uncias tres,
Foliorum Quercus,
Summitatum Milleſolii ana uncias duas.

Contundantur & exprimantur fortiter; ſuccum expreſſum cum
Aceti Vini æquali parte, &
Salis Gemmæ pulveriſati unciis quatuor,
deſtilla, ex cucurbita vitrea, ad ſiccitatem, liquorem prolectum ſerva.

*Ad vulnera recentia partium carnoſarum, contuſiones, ſugillationes, externe adhibendus, commendatur. Neque fruſtraneus eſt ejus uſus internus, ad guttas quadraginta vel plures iterato datus in hæmorrhagiis internis, & ſudoribus nimiis hecticorum.*

*Qui, loco aceti, ſpiritum vini adhibent, eundem effectum etiam in vulneribus partium tendinoſarum ſibi promittere, & ad hæmorrhagias ſiſtendas adhibere poſſunt.*

## LOCH AD ASTHMA, ſive DE SCILLA.

*REC.* Scillæ præparatæ unciam ſemis,
Marrubii,
Hyſſopi ana drachmam unam,
Iridis Florentinæ drachmas duas,
Myrrhæ,
Croci ana drachmam ſemis.

In pulverem trita excipiantur
Mellis deſpumati unciis ſex.

Fiat Loch, ſive Eclegma.

*Pituitam viſcoſam reſolvit, indeque natam tuſſim & reſpirationem difficilem levat.*

*Uncia una hujus eclegmatis continet Scillæ grana triginta ſex.*

*Doſis drachma ſemis ad drachmam unam ſemis.*

*Majori quantitate ſumtum vomitum excitat.*

## LOCH DE FARFARA.

*REC.* Radicum Farfaræ recentium, quantum lubet;

Coquanturad mollitiem, contundantur

tur in mortario lapideo, & per cribrum trajiciantur.

Hujus pulpæ libræ uni adde
Mellis defpumati libras duas;

Coquantur ad humiditatis fuperfluæ confumtionem, poftea ferventur.

*Acrimoniam humorum obtundit, fimulque abftergit & mundificat, atque phthificis & tuffientibus confert.*

*Dofis uncia dimidia ad integram.*

## LOCH DE PULMONE VULPIS.

*REC.* Pulmonis vulpis præparati,
Succi Glycyrrhizæ,
Capillorum Veneris,
Seminis Anifi,
Fœniculi ana unciam unam,
Sacchari clarificati uncias quindecim.

Omnia tenuiffime trita faccharo excipiantur, & ad debitam formam redigantur.

*Pectori dicatum eft, prodeft phthificis & tuffientibus, refolvit ac abftergit.*

*Dofis drachmæ duæ ad tres.*

## LOCH SANUM ET EXPERTUM.

*REC.* Aquæ Loch fani deftillati libram unam,
Pinearum mundatarum,
Amygdalarum mundatarum,
Seminis Papaveris albi ana unciam femis,

Fiat emulfio; in qua diffolve
Sacchari albi uncias viginti,
infperge
Pulveris Liquiritiæ,
Tragacanthæ albæ,
Gummi Arabici,
Amyli ana drachmas tres,
Iridis Florentinæ drachmas duas.

Mifceantur, agitentur diu & celeriter, quo albefcant; poftea reponantur.

*Tuffi ficcæ, ab acri materia ortæ, fubvenit, expectorationem adjuvat.*

*Dofis eft drachmæ duæ ad unciam femis.*

## LOCH SAPONATUM PHARM. EDINB.

*REC.* Saponis medicati, vel Veneti drachmam unam,
Olei Amygdalarum unciam unam,
Syrupi capillorum Veneris vel Balfamici unciam unam femis.

Mifceantur exacte.

*Refolvit, & non folum in afthmate, fed etiam in affectibus renum, calculo & nephritide cum fructu dari poteft.*

*Dofis drachmæ duæ ad unciam femis.*

## LUMBRICORUM TERRESTRIUM PRÆPARATIO.

Lumbrici terreftres vivi in fictili patina fatis magna reponantur, ut terram eructent; quo facto aqua pura abluantur, & iterum reponantur, donec omnes fordes depofuerint. Deinde Vinum fuperfundatur album, & Lumbrici, per quatuor horas macerati, in clibano, ne putrefcant, cito exficcentur.

*Vires funt aperientes, diureticæ, diaphoreticæ & anodynæ; hinc in affectibus arthriticis, convulfivis & epilepticis, bono cum fucceffu adhibentur.*

*Dofis fcrupulus unus ad drachmam femis.*

## MAGISTERIUM CORALLIORUM.

*REC.* Coralliorum in pulverem tritorum quantum vis;
his affundatur
Acetum deftillatum forte, ad fupereminentiam aliquot digitorum, & in

locum calidum reponantur, ut folvantur. Solutio filtretur, & oleum Tartari per deliquium inftilletur, atque pulvis inde præcipitatus, aqua

aqua fontana probe edulcoratus, ficcetur.

*Olim valde commendata fuerunt magisteria, & huic coralliorum roborantes, cordiales virtutes attributæ sunt. Hodie a plurimis & experientissimis Medicis simpliciter præparata illis merito præferuntur.*

Præscripta methodo etiam reliqua

MAGISTERIA MARGARITARUM,
MATRIS PERLARUM,
&
OCULORUM CANCRORUM

præparari possunt.

## MAGISTERIUM GUMMI GUTTÆ.

videatur

GUMMI GUTTÆ PRÆPARATIO.

## MAGISTERIUM MARCASITÆ.

*REC.* Aquæ fortis libram semis,
Bismuthi, vel Marcasitæ uncias tres.

Marcasitæ grosso modo contusæ affunde primo Aquæ fortis uncias duas; si inde nata effervescentia & solutio cessaverit, alias Aquæ fortis uncias duas affunde, & hoc continua, donec omnem Aquam fortem affuderis, qua methodo Marcasita omnis solvitur; solutionem aqua fontana, magna copia affusa, & sale Tartari parum alcalisata, præcipita, præcipitatum edulcora & serva.

*Usus est cosmeticus, & admiscetur drachma una Aquæ liliorum alborum, vel Nymphææ unciis quatuor; vel si placet Unguentum sumitur rosatum, & unciæ uni drachma hujus magisterii additur.*

*Prostant exempla, quod nimis diuturno & frequenti usu faciem misere defœdarit.*

## MAGISTERIUM SATURNI.

*REC.* Aceti Lithargyrii quantum lubet, instilletur solutio Cinerum clavellatorum aqua fontana parata, præcipitabitur pulvis albus, qui, affusa aqua tepida copiosa, edulcorandus & servandus.

*Usus est ad cosmetica & collyria.*

## MAGNES ARSENICALIS.

*REC.* Arsenici crystallini,
Antimonii crudi,
Sulphuris flavi ana uncias duas.

Fiat omnium pulvis subtilis, quem in vitrea retorta arenæ impone, ac in igne, sensim aucto, tam diu detine, a fumo exhalante solicite tibi cavendo, donec omne liquescat, quod stilo ferreo mundo explorari potest; tum refrigescat retorta, quæ fracta, materiam, lapidis instar induratam, fusci coloris, exime ac serva.

*Est ingrediens emplastri magnetici, & ita vocatur, quia credebant, illud malignitatem bubonis extrahere, non secus, ac magnes ferrum trahit.*

*A sulphure Arsenicum ita mitigatum est, ut vis caustica ejus timenda non sit.*

## MAGNESIA ALBA.

*REC.* Residui lixivii, a crystallisatione Nitri, quod omnem crystallisationem respuit, & a nitrariis, Mater Nitri vocatur, quantum libet.

Evaporetur in vase figulino, vel ferreo, calore successive ad ebullitionem usque aucto, donec, vaporibus acidis tam nitri quam salis ex parte expulsis, in pultis formam inspissetur. Tunc crucibulo capa-

ciori immittitur, igne majori adhibito inſigniter ſpumat, multum adhuc ſpiritus acidi eructat; ſi ſubſederit maſſa, fervida injicitur aquæ, in ea aliqua tantum albi pulveris portio fundum ſponte petit, ſeorſim ſervanda. Decantato liquori, in quo terra, cum acido nitri firmiter adhuc ligata, tanquam ſal in aqua ſolutum, continetur, additur lixivium ſalis tartari vel cinerum clavellatorum, usque dum ulterius nihil præcipitatur. Omnis qui feceſſit pulvis affuſa aqua probe edulcoratur, & ſiccatus ſervari ſolet titulo Magneſiæ Nitri.

Cum autem accurato examine appareat, quod prior, qui in aqua ſponte ſubſedit, pulvis nec vitrioli nec nitri acido ſolubilis, ideoque alcalinus non ſit, ſed potius calcareus, acido vitriolico, in lixivio Nitri contento, in ſeleniticam, gypſeam naturam mutatus, merito rejiciendus eſt; poſterior autem pulvis, ſale alcalino præcipitatus, tenerior, levior, albiſſimus, acido nitri ſolubilis, alcalinæ & quidem calcareæ indolis, *Magneſiæ Nitri* nomen meretur. Raro genuina in officinis proſtat. Nec lixivium Nitrariorum ejusdem ſemper eſt indolis.

Melior igitur & certior nobis videtur modus præparandi Magneſiam ex *Sale Epſhamenſi*, ſi ſolutio hujus diluta per lixivium ſalis tartari dilutum præcipitatur, terra ſubſidens, muriatica, probe edulcoratur, & exſiccatur. Ita enim obtinetur terra, quæ indolis eſt purioris alcalinæ, non calcareæ, per ſpiritum vitrioli æque ac nitri ſolubilis, & cum illo non in ſelenitem, ſed in ſal laxans amarum denuo abiens.

Libra una ſalis Ebſhamenſis uncias ad minimum quatuor, & reſiduum inſpiſſatum tartarum vitriolatum largitur.

*Magneſia tanquam polychreſtum & univerſale ad omnes morbos, ſub ſpecioſo titulo Panaceæ quondam ad nos pervenit, & pro arcano habita eſt. Virtute gaudet abſorbente; & minori doſi exhibita, nonnunquam diuretica & diaphoretica; ſi vero largiori doſi, ad drachmam unam, vel duas datur, & humores acidos in primis viis invenit, alvum laxat & evacuat.*

*Modus exhibendi eſt, vel drachmas duas cum emulſione amygdalarum mane propinare, vel ſalis Anglici cathartici drachmis quatuor vel ſex, in aqua ſolutis, unam drachmam Magneſiæ addere, & ſimul exhibere. Qua poſteriori methodo effectum ſatis laudabilem purgantem, absque ulla moleſtia, edit, & præcipue illis convenit, qui ardore ventriculi, quem Sodam vocant, vexantur.*

*Prodeſt etiam teneris infantibus, ad lactis & pulmentorum acrimoniam, in ventriculo ſubortam, contemperandam. Datur his a granis quinque ad ſcrupulum ſemis & ultra, pro ratione ætatis.*

## MANDIBULÆ LUCII PISCIS PRÆPARATÆ.

A ſordibus mundatæ, in ſubtiliſſimum pollinem tritæ, & per linteum trajectæ ſerventur.

*Vulgo ſpecificum antipleuriticum habentur.*

*A drachma ſemis ad ſcrupulos dari poſſunt duos.*

## MARGARITÆ ORIENTALES ET OCCIDENTALES PRÆPARATÆ.

Antea in pollinem tritæ, ſuper marmore, ſicut corallia, lævigantur.

*Cordiales illis virtutes adſcribuntur.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.*

MAS-

## MASSA LIQUIRITIÆ ALBA, vide PASTA ALTHEÆ.

## MASSA LIQUIRITIÆ FUSCA PHARM. PARISIENS.

*REC.* Extracti vel ſucci Liquiritiæ Hiſpanici, uncias octo,
Gummi Arabici, libras duas,
Sacchari albi libram unam.

Solvantur in aquæ communis S. Q. coquantur leni igne ad extracti ſolidi conſiſtentiam, maſſam calentem, ſupra tabulam marmoream oleo amygdalarum inunctam effunde, & in bacillos, leni calore ſiccandos, atque calido loco aſſervandos, redige.

*Humores acres temperat, atque in tuſſi ſicca & catarrhis commendatur.*

## MASSA PRO FORNACE, ODORIFERA.

*REC.* Benzoës uncias ſex,
Storacis calamitæ uncias quinque,
Ladani drachmas ſex,
Terebinthinæ unciam ſemis.

Pulveriſata immittantur ſartagini, atque in vas aquæ bullientis demittantur, quo liqueſcant; liquatis adde

Olei deſtill. Ligni Rhodii,
Caryophyllorum,
Lavendulæ ana ſcrupulum unum,
Balſami Indici nigri drachmam unam ſemis,
Spodii nigri præparati drachmas duas.

Optime miſceantur, & formentur ex maſſa cylindri, ceræ ſic dictæ hiſpanicæ inſtar.

*Ad ſuffimenta inſervit, & fornaci calidæ affricta, totum conclave grato odore replet.*

## MATERIA PERLATA, ſive MAGISTERIUM ANTIMONII DIAPHORETICI.

*REC.* Antimonii diaphoretici, recens detonati, nondum edulcorati libram unam.

Coquatur in vaſe figulino; additis
Aquæ fontanæ puriſſimæ libris octo,
ad quartæ partis conſumtionem.

Aqua, Nitro antimoniato imbuta, calide per filtrum trajiciatur, & aceto inſtillato præcipitetur; pulvis albus præcipitatus edulcoretur; reſiduum vero Antimonium diaphoreticum ulterius aqua tepida ablui & ſervari poteſt.

*Eædem ſunt vires, quæ Antimonii diaphoretici. Commodiſſime additur emulſionibus, quibus ſe, ob ſubtiliſſimas particulas intime commiſcet.*

*Doſis eſt a granis decem ad ſcrupulum unum.*

## MEL ANTHOSATUM.

*REC.* Florum Rorismarini recentium, vel, ſi deficiant, herbæ uncias octo,
Aquæ fontanæ uncias quatuor,
Mellis deſpumati calentis libras duas.

Infundantur in vitro, & poſt digeſtionem per decem vel duodecim dies, in loco calido inſtitutam, in Mariæ balneo ebulliant, atque mel expreſſum & colatum ſervetur.

*Cerebro & ventriculo roborando, flatibus diſcutiendis, colicis & uterinis doloribus leniendis medetur. Clyſmatibus etiam addi poteſt.*

## MEL DESPUMATUM SIMPLEX.

*REC.* Mellis libras quatuor,
Aquæ fontanæ uncias octo.

Ebulliant, deſpumentur & per pannum colatum mel ſervetur.

*Inſervit ad incorporanda electuaria.*

## MEL MERCURIALE.

*REC.* Succi herbæ Mercurialis libras tres,
Mellis optimi libras duas.

Miſceantur, & leni igne ad juſtam conſiſtentiam coquantur, colentur & ſerventur.

*Additur enematibus, ad alvum emolliendam & ſollicitandam, ab uncia una ad duas.*

## MEL ROSATUM SIMPLEX.

*REC.* Foliorum Roſarum recentium rubrarum libras ſex, affunde
Aquæ fontanæ ferventis libras totidem.

Macerentur per viginti horas in vaſe figulino, exprimantur & colentur. Colaturæ adde
Mellis optimi & puriſſimi tantundem.

Deſpumentur & coquantur ad conſiſtentiam melle paulo liquidiorem.

*Uſus eſt ad oris ulcera, gargariſmata, collutiones, injectiones mundificantes & detergentes. Additur etiam digeſtivis, & quando ulcera, a veſicatoriorum applicatione inducta, purganda & detergenda ſunt.*

## MEL ROSATUM SOLUTIVUM.

*REC.* Succi roſarum pallidarum libras tres,
Mellis optimi libras duas.

Mixta diſſolvantur, deſpumentur, & ad juſtam conſiſtentiam, lento igne, evaporentur.

*Rarus ejus uſus eſt internus, plerumque additur clyſteribus, ab uncia una ſemis ad uncias duas.*

## MEL SAMBUCI.

*REC.* Florum Sambuci recentium decerptorum libram unam;

Macerentur in
Mellis deſpumati libris duabus, in vaſe vitreo, additis
Aquæ florum Sambuci unciis ſex, per aliquot dies.

Ebulliant poſtea lento igne, & exprimantur; expreſſum coletur, & ad juſtam conſiſtentiam evaporetur.

*Uſus eſt ad gargariſmata reſolutiva, ubi emolliendo dolores, ex inflammatione ortos, mitigat.*

## MEL VIOLARUM.

Paratur, ſicut Mel Roſarum ſimplex, pro infuſione florum roſarum, Infuſionem violarum ſumendo.

*Virtute & uſu cum antecedente Roſarum ſolutivo convenit.*

*Doſis eadem.*

## MERCURIUS DULCIS.

*REC.* Mercurii ſublimati corroſivi, vivi, optime purgati, ana libram ſemis.

Terantur in mortario vitreo, & ſub tritura aqua fontana parum humectentur, atque ſolicite permiſceantur, donec Mercurii vivi nil quidquam appareat, tum rurſus exſiccata e cucurbita vitrea, igne convenienti arenæ, in cupella ferrea ſublima; fæces in fundo relictas, ut & materiam nigricantem, in collo altius ſublimatam, aufer. Mercurium ſic ſublimatum, in pulverem tritum, denuo ſublima, ſublimatumque ſerva, & ſi forte reſtet metallici ſaporis aliquid, præſtabit, illum aqua fontana edulcorare, quam, ſæpius ſublimando, vi ſua laxativa privare.

*Egregium eſt, & ex optimis, quæ in Medicina habemus, remedium; accuratam vero & diligentem expoſcit tam præparationem, quam rationem adhibendi circumſpectam & providam.*

*Acidum Salis, in Mercurio corroſivo con-*

*contentum, ut omni, quem recipere poteſt, Mercurio ſit ſaturatum, neceſſe eſt; & quanquam novem unciæ Mercurii vivi unciis duodecim Mercurii corroſivi ſaturandis plerumque ſufficiant, præſtat tamen, præſcriptam anaticam portionem ſumere, quia Mercurius ſuperfluus in ſublimatione ſub forma materiæ nigricantis, altius ſublimatæ, ſeparari poteſt.*

*Signum rite præparati Mercurii eſt, ſi inſipidus, & omnis metallici ſaporis expers eſt. Ex quo, ſi aqua fervida coquatur, nihil ſolvitur, quod Oleo tartari per deliquium præcipitari poteſt.*

*Cautelæ e practicorum libris petendæ ſunt; nimis longum enim foret, ſi omnes virtutes, adhibendi modos, & cautelas hic inſerere deberemus.*

*Paucis dicimus: Mercurium dulcem non ſolum vires laxandi, vermes fugandi, ſed ſanguinem etiam depurandi, & minutiſſimos obſtructos tubulos ac meatus reſerandi poſſidere.*

*In morbis igitur, ab obſtructione glandularum & viſciditate lymphæ ortis, venerea lue, ſcabie pertinaci ac ulceribus inveteratis remedium eſt, quod par ſibi non habet.*

*Datur vero vel in pulvere, vel cum extracto quodam laxante, in forma pilulari, vel cum conſerva roſarum, aut alia, in boli forma.*

*Doſis grana quinque, decem, ad duodecim.*

## MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS, ſeu COSMETICUS.

*REC.* Mercurii vivi uncias quatuor.
Diſſolve in
Aquæ fortis quantitate ſufficiente,
unciis quatuor vel octo, prout magis vel minus concentrata fuerit, adhibito calore initio leni, tandem fervido. Poſtea Salis communis circiter unciæ quatuor ſolvantur in minima quantitate aquæ fontanæ. Solutioni huic ſaturatiſſimæ, frigidæ, infundatur ſolutio mercurii fervida. Sic illico præcipitatur mercurius in pulverem album, a quo, utprimum ſubſederit, liquor ſuperſtans decantetur, ne denuo partem mercurii præcipitati ſolvat. Affunde præcipitato aquam frigidam, ut omnis falſedo & acrimonia eluatur. Decantanda autem eſt et hæc aqua ſine mora, poſtquam a ſubſidente pulvere albo clara fuerit. Pulvis leniſſimo calore, ne flaveſcat, in umbra, exſiccetur. Decantatus primus liquor multum adhuc mercurii retinuit, per alcali volatile e.g. ſpiritum urinæ præcipitatio illius ſecundaria fieri poteſt, vel addito ſale ammoniaco, ad unciam usque unam, & poſtea ſolutione ſalis tartari inſtillata, donec deferbuerit. Ita obtinentur Mercurii præcipitati albi unciæ circiter ſex.

*Adhibetur a nonnullis interne ad ſalivationem excitandam; ſed ſecurius externe ad lichenes, ſcabiem & topbos venereos eo utimur.*

## MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

*REC.* Mercurii vivi purificati libram ſemis.

Diſſolve in Aquæ fortis ſufficiente quantitate, deſtilla ex retorta in arena ad ſiccitatem, igne fortiſſimo in fine adminiſtrato, ſic ut retorta ubique carbonibus obruatur. Poſt refrigerationem in fundo hærebit pulvis ruber, qui, ſi non colore rubro pulchre ſplendet, leniter in patina ulterius calcinetur.

*Uſu interno, cum corroſivus ſit, nunquam adhiberi debet. Externe ad auferendas excreſcentias carnoſas, carnem luxu-*

*luxuriantem, & mundificanda ulcera maligna celebratur.*

## MERCURIUS PRÆCIPITATUS VIRIDIS.

*REC.* Mercurii vivi puriſſimi uncias quatuor,
Cupri unciam ſemis.

Solvantur ſingula ſeorſim in ſufficiente quantitate Aquæ fortis, miſceantur ſoluta, & Aqua fortis in vaſe vitreo, igne arenæ, evaporetur ad ſiccitatem.

Maſſæ ſalinæ Aceti deſtillati libram unam

affunde, digere & ſolve, atque acetum abſtrahe, reſiduam maſſam viridem in pulverem tere atque ſerva.

*Laudatur quidem ſpecificum medicamentum in Gonorrhœa, & aliis morbis venereis, interne exhibitum; nos vero ejus uſum internum diſſuademus, ob vim emeticam & draſticam. Externe ad ulcera mundanda locum habet.*

## MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

*REC* Mercurii vivi libras duas.
Solve in ſufficiente quantitate
Aquæ fortis; ſolutionem ad ſiccitatem evapora.

Maſſæ albæ admiſce
Vitrioli, ad albedinem calcinati, libras tres,
Salis marini decrepitati tantundem.

Imple ea cucurbitæ vitreæ tertiam partem, impone arenæ, ut cucurbita fundum cupellæ attingat. Orificium vaſis ſublimatorii apertum relinquitur, usque dum omnis humiditas exhalaverit, tum obturatur charta convoluta; ignem primo adhibe lenem, quem per gradus auge, donec omnis Mercurius ſublimatus ſit, quod circiter poſt ſex vel ſeptem horas continget; refrigeratum ſublimatorium frange, & Mercurium ſublimatum exemptum ſerva.

Alia eaque facilior methodus eſt, *Mercurium ſublimatum corroſivum* bonæ notæ præparandi, ſi Mercurius cum oleo Vitrioli in maſſam albam ſalinam (ſicut in præparatione Turpethi mineralis) redactus cum Salis communis æquali pondere ſublimatur.

*Præparatum hoc mercuriale, acido ſalis concentrato dives, fortiſſimum & terribile eſt venenum corroſivum. Operationibus chymicis inſervit. In Chirurgia uſus ejus ſalutaris notus eſt in aquis phagedænicis. Ab uſu interno fere ſemper abſtinuere Medici: Poſtquam vero Boerhaavius miſturæ ex Mercurii ſublimati grano uno, aquæ uncia una ſoluto, drachmam, ſyrupo violaceo mitificatam, bis terve in die potatam, mira præſtare in multis morbis incurabilibus edixerat; (at prudenter a prudente Medico!) van Swieten grana ſex in ſpiritus frumenti unciis duodecim ſolvere, & de die unum, duo, tria etiam cochlearia dare docuit, ſuperpotando Decoctum hordei, bardanæ &c. maxima copia. Mire prodeſſe ad curandam luem veneream, ulcera cacoëthea, corneæ opacitatem &c. plurimis hucusque obſervationibus felicisſimis comprobatum eſt.*

## MERCURIUS VITÆ.

*REC.* Butyri Antimonii libram ſemis,
Aquæ fontanæ puriſſimæ libras ſex.

Miſceantur, albeſcent & præcipitabitur pulvis ſubtiliſſimus albus ad fundum, qui ſæpius, aqua tepida affuſa, edulcorandus, & leni calore exſiccandus eſt.

*Minime eſt productum mercuriale, ſed antimoniale.*

*Ra-*

*Rarus eſt ejus in medicina uſus. Vires ſunt vomitoriæ, ita, ut grana duo vehementes excitare ſoleant vomitus; præſtat, vini unciis duabus grana ſex vel octo infundere, & vinum per filtrum trajectum offerre.*

*Cum triplo Nitri detonatum exhibet* BEZOARDICUM MINERALE.

## MILLEPEDUM PRÆPARATIO.

Ab omni immunditie ſeparati imprægnentur vino albo, & leni calore exſiccati ſerventur.

*Egregie reſolvunt & aperiunt. Uſus eorum eſt in febre quartana, ictero, aſthmate, hydrope, affectibus ſpaſmodicis, urina pellenda.*

*Doſis ſcrupulus ſemis ad drachmam ſemis.*

## MIXTURA SIMPLEX ALBA.

*REC.* Spiritus Tartari, e Tartaro purificato deſtillati, uncias duodecim,
Spiritus Vitrioli rectificati uncias tres.

Miſce & deſtilla per retortam ad ſiccitatem; ſpiritus, qui prodiit volatilis, ſulphureus & anodynus, commiſceri debet cum ſpiritus theriacalis camphorati unciis viginti, ac in vitro probe clauſo ſervari.

NB. Spiritum Tartari cum ſpiritu Vitrioli ſeparatim deſtillandum ſuademus, ut empyrevmaticum ſpiritus Tartari principium ab acido vitriolico abſorbeatur, & ſpiritus limpidior atque gratior, nec non principio vitriolico anodyno imbutus obtineatur.

*Vires ſunt alexipharmacæ, diaphoreticæ, carminativæ, anodynæ; datur in febribus continuis, rheumaticis, variolis, ubi leniter tranſpirationem auget.*

*Doſis a guttis triginta ad quinquaginta, vel ſexaginta, vel ſola, vel in potionibus, cum pulveribus bezoardicis.*

## MIXTURA SIMPLEX LUDOVICI.

*REC.* Tincturæ Bezoardicæ L. uncias quinque,
Spiritus Tartari volat. rectific. uncias quatuor,
Vitrioli rectificati, unciam unam,
Camphoræ ſcrupulos duos.

Miſceantur & digerantur.

Intercedit differentia inter mixturam ſimplicem ordina iam, & hanc Ludovici. Prior cum Spiritu theriacali, hæc vero cum Tinctura bezoardica paratur, cujus ſingula uncia granum opii continet.

*Vires ſunt eædem ac mixturæ ſimplicis ordinariæ; Magis tamen hæc anodina & ſudorifera eſt, propter opium, quod Tincturæ bezoardicæ ingrediens eſt.*

*Doſis guttæ quadraginta ad quinquaginta.*

## MIXTURA SIMPLEX ORDINARIA.

*REC.* Spiritus theriacalis camphorati uncias quinque,
Tartari rectificati uncias tres,
Vitrioli boni unciam unam.

Miſceantur & digerantur aliquandiu, in vitro bene clauſo.

*Viribus cum præcedente convenit, atque eadem doſi exhibetur.*

## MIXTURA TONICO NERVINA STAHLII.

*REC.* Spiritus cornu cervi rectificati unciam unam,
Tincturæ Antimonii acris uncias duas.

Miſceantur & ſerventur in vitro probe obturato.

*Optimi uſus eſſe hanc mixturam ad viſcera roboranda, horumque tonum debilitatum reſtituendum, Clariſſimus Auctor & alii perhibent; unde inprimis in morborum chronicorum declinatione, poſt graviores quascunque excretiones & viſcerum oppletiones, infarctum &c. ea utuntur.*

*Doſis, bis in die, ad guttas viginti usque quinquaginta.*

## MIXTURA TOPICA, ſive SAPO CHYMICUS DIPPELII.

*REC.* Cinerum clavellatorum depuratorum libram unam,
Antimonii crudi libram ſemis,
Lamellarum Cupri contuſarum uncias tres.

Mixta fundantur ad ſcorias, quas nondum refrigeratas, contuſas, imbibe olei Juniperi vel Terebinthinæ unciis novem, vel quantum ſufficit ad conſiſtentiam pulmenti; tum affunde ſpiritum vini rectificatiſſimum ad eminentiam aliquot digitorum, digere per aliquot dies, ſpiritum tinctum decanta, repete bis terve infuſionem cum novo ſpiritu, et digeſtionem, denique aliquam ſpiritus partem abſtrahe, ut bene ſaturata et ſpiſſa tinctura obtineatur; cui etiam ſaponem venetum, et tantillum Balſami Peruviani quandoque addere ſolebat Autor.

*Uſus eſt externus, veſolvens et anodinus, in artbritide, etiam nodoſa, et tumoribus inflammatoriis, ex. gr. mammarum, præcipue quoque in pernionibus probatus.*

## MORSULI AD ARDOREM VENTRICULI, vel SODAM.

*REC.* Cretæ præparatæ,
Cornu Cervi uſti præparati,
Oculorum cancrorum præparatorum ana drachmas tres,
Boli Armenæ præparatæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana drachmas duas,
Nucis moſchatæ drachmam unam.

Pulveriſata, fiant cum ſacchari, in Aqua ceraſorum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, unciis duodecim, morſuli.

*Uſus ex titulo cognoſcitur; ſumuntur quovis tempore ad unciam dimidiam, imo integram.*

## MORSULI IMPERATORIS.

*REC.* Cinnamomi acuti drachmas duas,
Specierum Imperatoris pro morſulis, groſſo modo inciſarum, drachmas ſex,
Corticum Aurantiorum conditorum,
Citri conditorum,
Carnis Citri conditæ ana unciam unam,
Amygdalarum dulcium unciam unam ſemis.

Condita & Amygdalæ mundatæ minutim incidantur, & poſtea cum Sacchari, in Aqua roſarum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, unciis ſedecim mixta,

Fiant morſuli.

*Eſt medicamentum ſtomachicum ori gratum; datur inprimis aquas minerales bibentibus.*

## MORSULI PURGANTES.

*REC.* Magiſterii, ſive reſinæ Jalappæ drachmam unam,

Optime teratur cum
Amygdalarum dulcium drachmis tribus,

His adde
Cardamomi minoris ſcrupulum unum,
Cinnamomi acuti ſcrupulos duos,

Sac-

Sacchari, in Aqua roſarum ſoluti & ad conſiſtentiam tabulati cocti, uncias ſeptem ſemis.

Fiant morſuli.

*Uncia morſulorum horum grana circiter octo continent magiſterii.*

*Datur pueris, qui alia medicamenta reſpuunt.*

*Doſis, pro ratione ætatis, drachma una, duæ, ad ſex.*

## MORSULI ANTIMONIALES KUNCKELII.

*REC.* Amygdalarum dulcium minutim inciſarum unciam unam,
Cinnamomi acuti, minutim inciſi, drachmas duas,
Cardamomi minoris drachmam ſemis,
Antimonii crudi puriſſimi, ſubtiliſſime pulveriſati, unciam ſemis,
Sacchari albi, in Aqua roſarum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, uncias ſeptem.

Fiant morſuli.

*Magnæ tribuuntur vires his morſulis ad ſcabiem ulceroſam, reliquias a variolis, gonorrhœam male tractatam, affectus convulſivo- & ſpaſtico-arthriticos, & rhevmaticos rebelles.*

*Uncia una continet Antimonii drachmam ſemis.*

*Dantur a drachmis duabus, ad unciam dimidiam, ſingulis diebus mane & veſperi ante ſommum.*

## MORSULI CONTRA VERMES.

*REC.* Seminis Cynæ,
Muſci corallini ana unciam ſemis,
Æthiopis mineralis,
Jalappæ reſinoſæ ana drachmas tres,
Cinnamomi drachmas duas.

Omnia pulveriſata commiſceantur cum Sacchari albi, in aqua Róſarum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, unciis ſeptem.

Fiant morſuli.

*Dantur infantibus, medicamenta alia anthelmintica reformidantibus.*

*Quælibet uncia habet Æthiopis mineralis ſcrupulum unum & totidem Jalappæ.*

*Doſis igitur infanti a drachma una ad duas.*

## MUCILAGO MERCURIALIS PLENKII.

*REC.* Mercurii vivi puriſſimi drachmam unam,
Gummi arabici drachmas duas.

Miſce, tere in mortario lapideo, affunde dimidium cochlear aquæ deſtillatæ, continua agitationem, donec globuli mercuriales omnes in mucilagine diſparuerint. Hujus enim ope Mercurius ſimplex cum Aquis deſtillatis, Syrupis, Extractis, et Unguentis commode miſceri poteſt, et novam methodum conſtituit, morbos venereos, aliosque, quibus mercurialia opponuntur, bono cum ſucceſſu, et quidem plerumque ſine ſalivationis metu, tractandi.

*Doſis Mercurii, grana tria, ad ſex, bis de die. Ex. gr. Mixturæ ex drachma una Mercurii in mucilaginem redacti, cum aquæ deſtillatæ unciis octo, & ſyrupi unc. ſemis compoſitæ, bis quotidie duo cochlearia ſumere licet.*

*Decocta ſanguinem purificantia pro more conjunguntur.*

## MUCHARUM ROSARUM.

*REC.* Florum Roſarum Damaſcenarum recentium libras octodecim.

Infundantur & macerentur, horis viginti quatuor, in

Aquæ claræ ferventiſſimæ totidem libris;

Poſtea exprimantur, & in vaſis anguſtioribus, oblongis collis præditis, ſuperaffuſo Olei olivarum modico, ſerventur.

*Inſervit conficiendis, etiam extra florendi tempus, ſyrupis & melli roſato.*

## NITRI NAPHTHA.

*REC.* Spiritus Vini rectificatiſſimi, in majori vitro contenti, libram unam;

Affunde per vices

Spiritus Nitri concentrati libram ſemis;

Liquores tranquille coëunt. Elapſis aliquot horis drachmam incirca unam ſpiritus nitri affunde denuo, idque poſt ſex vel octo horas ſimiliter repete, usque dum in liquoribus mixtis inteſtinum motum, qui tandem ſatis vehemens ſit, videas oriri. Poſt quaslibet autem affuſiones vitrum exactiſſime debet claudi, et in loco frigido, vel aqua frigidiſſima detineri. Sub motu iſto inteſtino videbis oleum virideſcens ſuperficiem liquoris petere, et ſenſim ſenſimque augeri. Separatur hoc Oleum, et liquori reſiduo denuo aliquot drachmæ acidi affunduntur, et quod inde ſecedit oleum, viridi colore conſpicuum, ſeparatur. Continuatur ita commixtio acidi, usque dum nullum a ſuperaddito acido ulterius oleum ſecedit.

Oleum collectum affuſa aqua et addito alcali urinoſo, (quod purpureo hinc tingitur colore) ab acido adhærente edulcoratum iterumque ſeparatum, uſui ſervatur in loco frigido, et vitro bene munito, ſub titulo *Naphthæ nitri*; quæ ita rectificata pondus ſubtriplum alcoholis ad laborem recepti ſolet æquare.

Reſiduum Liquoris, ex quo Naphtha fuit ablata, inſervire poteſt præparationi ſpiritus Nitri dulcis, infra deſcripti.

*Vires cum Naphtha Vitrioli conveniunt.*

## NITRUM ALKALISATUM vel FIXUM.

Videatur LIQUOR NITRI FIXI.

## NITRUM ANTIMONIATUM.

Fit, aquam, qua edulcoratio Antimonii diaphoretici, poſt detonationem, fuit peracta, evaporando ad ſiccitatem, & ſal ſiccum aſſervando.

*Ad naturam ſalium mediorum accedit, ex portione Nitri ad laborem adhibiti, et ſale polychreſto conſtans, ſimul autem et calcis antimonii, quæ alias materia perlata dicitur, particeps eſt. Datur ad humorum orgaſmum contemperandum, & pulveribus abſorbentibus additur.*

*Doſis ad drachmam ſemis & ultra.*

## NITRUM CRYSTALLISATUM ET DEPURATUM.

Solvatur Nitrum in aquæ fontanæ ſufficiente quantitate, leni calore; liquor, per pannum colatus, ad cryſtalliſationem reponatur. Cryſtalli longæ pyramidales colligantur & ſerventur.

*Viribus præcellit hoc nitrum cryſtalliſatum vulgare, & divinum eſt remedium in exæſtuatione ſanguinis, febribus ardentibus, fere omnis generis, in variolis etiam, purpura, ubi ſedativa & antiſpaſmodica virtute eminet.*

*Doſis a granis ſex ad triginta, in vehiculo aquoſo.*

## NITRUM PERLATUM.

*REC.* Nitri cryſtalliſati puri uncias quatuor,

Matris Perlarum præparatæ unciam ſemis.

Miſce.

Com-

*Commendatur in febribus continuis & malignis, ac haud inferior eſt illo, quod cum Margaritis paratur.*

*Doſis a granis quinque ad ſcrupulum unum.*

## NITRUM ROSATUM.

*REC.* Infuſionis Roſarum rubrarum ſaturatæ libram unam.
In hac diſſolve
Nitri crudi cryſtallini libram ſemis;
Evaporet ſolutio lento igne, ad dimidias, poſtea ad cryſtalliſandum repone, cryſtallos ſiccatas ſerva.

*Additur gargariſmatibus in faucium & tonſillarum inflammatione, cum abſorbentibus in dyſenteria etiam maligna ſecure adhibetur.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## NITRUM SATURNINUM.

*REC.* Nitri crudi cryſtalliſati uncias tres,
Sacchari Saturni uncias duas.
Solvantur in aquæ Roſarum ſufficiente quantitate, & in vaſe vitreo, ad pultis craſſioris conſiſtentiam evaporentur, poſtea leni calore penitus ſiccentur.

*Uſus eſt externus, & in magna faucium inflammatione ac uvulæ laxitate, gargariſmatibus, & in oculorum inflammatione, collyriis additur. Illos autem, quibus uſus internus, ad ſanguinis mictum & gonorrhœam, a laxitate partium ortam, ſupprimendum arridet, ut vel penitus abſtineant, quod tutius eſt, vel nunquam certe ultra grana ſex, pro una doſi, commendent, monemus.*

## NITRUM TABULATUM.

Videatur LAPIS PRUNELLÆ.

## OCULI CANCRORUM CITRATI.

Parantur, ut conchæ citratæ, atque

*Effecta diaphoretico, bezoardico & diuretico præcellunt præparatis.*

## OCULI CANCRORUM PRÆPARATI.

Lapilli Cancrorum crudi aliquoties aqua fontana abluuntur, & rurſus ſiccati, in pollinem ſubtilem teruntur, atque per linteum trajecti, ſervantur.

*Abſorbentes ſunt, diuretici, & in variis morbis locum habent.*

*Commendari a ſcrupulo uno ad ſcrupulos duos ſolent.*

## OLEUM ABSINTHII PER INFUSIONEM.

*REC.* Olei Olivarum libras tres,
Comarum Abſinthii recentis contuſarum uncias viginti tres,
Roſarum rubrarum unciam unam.
Macerentur per triduum, in loco calido, deinde leni igne coquantur, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur, & oleum colatum ſervetur.

*In doloribus ventriculi, diarrhœa, & ad lumbricos necandos, abdomini illitum, prodeſt.*

## OLEUM AMYGDALARUM AMARARUM EXPRESSUM.

Fit eadem ratione, qua ſequens.

*Reſolvit & diſcutit. Contra ſuſurros & tinnitus aurium aliquot guttæ auribus inſtillantur; interne varius, vel nunquam præſcribitur.*

## OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM.

Amygdalæ non rancidæ, contuſæ, & ſacco incluſæ, prelo calido exprimuntur ſucceſſive, donec omne oleum fuerit expreſſum.

*Datur interne in pleuritide, nephritide calculoſa, colica ſpaſmodica, ad ſtri-*

*fluxus dolorificas relaxandas; partum facilitat, nec non ad dolores post partum convenit; conducit etiam recens natis, ad educendum meconium, cum manna; prodest in raucedine & tussi, &c.*

*Dosis a drachma una ad unciam dimidiam; clysteribus ad unciam unam semis, vel duas additur.*

## OLEUM ANAGALLIDIS.

*REC.* Herbæ recentis Anagallidis conquassatæ,
Olei Olivarum ana partes æquales.

Coquantur lento igne, ad consumtionem humiditatis, exprimantur & colentur.

*Pro præsentaneo habetur remedio ad puerorum morbos, colicos inprimis dolores, a flatulentia ortos.*

*Exterius applicatur illinendo abdomen, vel in clysteribus.*

## OLEUM ANETHI.

Eodem modo paratur, ut modo descriptum Oleum Anagallidis.

*Vires sunt carminativæ & anodynæ; ad clysteres præscribitur, nec non ad tormina infantum, cum unguentis & aliis carminativis.*

## OLEUM BEZOARDICUM WEDELII.

*REC.* Olei Amygdalarum dulcium uncias duas,
Camphoræ drachmas duas.

Solvatur camphora in oleo per digestionem, oleum tingatur radicibus Alkannæ, atque cum
Olei de Cedro drachma semis
permisceatur.

*Commendatur ab auctore in febribus malignis & inflammatoriis, & a nonnullis pro sacra ancora habetur. Unde nomen: Dr.* Wedels letzte Tropfen.

*Dosis guttæ quinque ad decem.*



## OLEUM CAPPARVM.

*REC.* Corticis radicum Capparum unciam unam,
Tamarisci,
Cyperi ana drachmas duas,
Ceterach,
Rutæ ana drachmam unam,
Seminis Agni casti drachmas duas.

Trita &
Vini libra semis infusa, post biduum, cum
Olei Olivarum libra una
coquantur, ad humiditatis consumtionem, colentur & exprimantur.

*Vires sunt attenuantes & resolventes; in affectibus lienis potissimum commendatur.*

## OLEUM CARMINATIVUM.

*REC.* Herbarum recent. Anethi,
Menthæ,
Absinthii,
Pulegii,
Florum Chamomillæ vulgaris ana uncias quatuor.

Incisa & contusa coquantur in
Olei Olivarum libris duabus,
ad humiditatis consumtionem, exprimantur & colentur. Oleo adde
Olei laurini expressi uncias tres.
Serventur.

*Virtutes nomen indicat, egregium enim est carminativum, quo puerorum tenellorum abdomen inungitur, tormina flatulenta mitigat.*

## OLEUM CASTOREI.

*REC.* Castorei drachmas duas,
Cyperi,
Pyrethri,
Sabinæ,
Schœnanthi ana drachmas duas semis,
Spicæ Indicæ,
Cassiæ ligneæ veræ,
Costi,
Cubebarum,

Cro-

Croci ana drachmas duas,
Piperis longi,
nigri ana drachmas duas ſemis,
Vini albi generoſi libram ſemis,
Olei Olivarum puriſſimi libram unam ſemis.

Omnia in pulverem redacta & vino irrigata, oleo ſuperfuſo digerantur, in vaſe bene clauſo, igne arenæ, per plures dies, ad omnis humiditatis conſumtionem; exprimantur & reponantur.

*Commendatur ad nervorum affectus, prodeſt membris paralyticis & tabidis, nec non ad uteri affectus.*

## OLEUM CHAMOMILLÆ.

Paratur ex floribus eodem modo, quo Oleum Anagallidis.

*Carminativum eſt & anodynum, ventris tormimibus ſuccurrit, nec non in febribus intermittentibus ſpina dorſi illo inungitur; ad colicos dolores clyſteribus additur.*

## OLEUM CHEIRI.

*REC.* Florum Cheiri,
Olei Olivarum ana libram unam.

Coquantur, poſt macerationem aliquot dierum, ad conſumtionem humiditatis; expreſſum & colatum oleum ſervetur.

*Uſus, uti reliquorum oleorum per infuſionem paratorum, eſt externus; virtute gaudet anodyna & reſolvente, præſertim ad uteri affectus, ubi ad menſes & fœtum mortuum pellendum, ad lochia retenta & dolores poſt partum commendatur.*

## OLEUM COLOCYNTHIDIS.

*REC.* Olei Abſinthii, per infuſionem parati,
Rutæ
Fellis bubuli ana libram ſemis,
Fructus Colocynthidis,
Radicis Hellebori nigri ana drachmam unam.

Colocynthis & Helleborus niger cum Aquæ fontanæ unciis duabus in mortario ad pultis formam contundantur, atque, oleis & felli additis, ad conſumtionem humiditatis, leni igne, coquantur, exprimantur, & oleum per linteum colatum ſervetur.

*Anthelminticum eſt, & alvum ſolvit, abdomini illitum.*

## OLEUM COSTINUM.

*REC.* Coſti amari, ſive corticis Winterani uncias duas,
Majoranæ floreſcentis uncias octo.

Contuſis ſuperfunde
Olei Olivarum clari, albi, recentis libram unam ſemis,
Vini albi uncias duas.

Digerantur in vaſe clauſo, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & percolentur.

*Nervinum eſt, & ad paralyticam relaxationem emendandam commendatur.*

## OLEUM EUPHORBII.

*REC.* Euphorbii triti unciam ſemis,
Olei Cheiri uncias quinque.

Coque, additis
Vini unciis duabus,
ad humiditatis conſumtionem.

Oleum coletur, ac ſervetur.

*Commendatur ad affectus nervorum, ſic dictos, frigidos; paralyticis & atrophicis membris conducit.*

## OLEUM FLORUM SLOTANI.

*REC.* Olei Olivarum libras ſex,
Catulorum juniorum numero duos,
Ranarum viventium numero duodecim,
Lumbricorum terreſtrium viventium uncias quatuor,
Aquæ fontanæ libras tres.

Coquantur lento igne, donec caro

catulorum ab ossibus secedat, & fere omnis humiditas consumta sit. Coletur oleum, & addantur

Axungiæ Hominis,
Muris alpini,
Olei Amygdalarum dulcium,
Scorpionum ana unciæ sex,
Florum recent. Primulæ veris,
Tussilaginis,
Betonicæ,
Genistæ,
Chamomillæ romanæ,
Violarum,
Liliorum convallium,
Lavendulæ,
Sambuci,
Anethi,
Salviæ,
Cheiri,
Rutæ,
Serpilli,
Anthos,
Centaurii minoris,
Veronicæ,
Origani,
Tanaceti,
Ligustri,
Agrimoniæ,
Pulegii,
Meliloti,
Verbasci,
Absinthii vulgaris,
Rosarum ana uncia semis,
Hyperici libræ quatuor.

Macerentur & digerantur calore balnei, postea oleum exprimatur, coletur & servetur.

*Habetur pro anodino, nervino, vulnerario, antispasmodico & antinephritico.*

Nota: Flores seligi, & a calicibus atque foliis, quantum licet, separari debent; alias oleum, quod rubrum esse debet, virescit.

## OLEUM FORMICARUM.

*REC.* Formicarum uncias quatuor,
Olei libram unam.

Macerentur leni calore diebus viginti, postea colatum oleum reponatur.

*Laudatur ad partes genitales roborandas, & membra paralytica confortanda.*

## OLEUM EX FRUCTU CACAO, seu BUTYRUM CACAO.

*REC.* Fructuum Cacao libram unam.

Leviter in sartagine torrefactos & a cortice mundatos, vel super lapidem calefactum tere, vel in mortario calido contunde; contusos in

Aquæ communis libris octo,

bullire permitte, donec oleum supernatet, quod concretum ex aqua refrigerata colliges.

Sebi justo magis cocti colorem & consistentiam habet, qui autem, ablutione sæpius repetita per aquam calidam, albicans redditur.

Habetur etiam alius parandi modus, per tostionem nucleorum lenem, & dehinc expressionem; quale vero butyrum coloris est magis fusci, sed virium æqualium, si non superiorum.

*Recens paratum præbet medicamentum pectorale, antipleuriticum, antinephriticum, & antispasmodicum egregium, gustu gratissimum, & oleo Amygdalarum substitui, quin præferri potest.*

*A drachma una ad duas, vel tres, cum potu calido lactis, jusculi, Theæ vel Coffee, sumitur; externe ad fissuras labiorum & mammarum, non sine fructu, adhibetur.*

## OLEUM HYOSCYAMI.

*REC.* Seminum Hyoscyami quantum vis.

Con-

Contundantur, torreantur & exprimantur.

*Eſt paregoricum, & affluxum nimium cohibet; ad Emplaſtrum de Hyoſcyamo requiritur.*

## OLEUM HYPERICI.

*REC.* Florum Hyperici, ad maturitatem ſeminis fere accedentium, contuſorum libras tres,
Vini albi libram ſemis,
Croci ſcrupulos quatuor,
Olei clari libras duas.

Poſt factam trium dierum macerationem, bulliant ad humiditatis conſumtionem, poſtea exprimantur, & expreſſum commiſceatur cum
Terebinthinæ claræ libra una.

*Vulnerarium & paregoricum præbet egregium, in affectibus nervorum, a convulſione & luxatione ortis, nulli cedit.*

## OLEUM LAURINUM.

Raro, vel nunquam apud nos paratur, ſed ex Inſulis Fortunatis nobis adfertur; cui vero volupe erit, oleum hoc parare,

*REC.* Baccarum Lauri maturarum recentium quantum voluerit;

Tritæ in aqua fontana coquantur, & fortiter exprimantur; refrigeratum oleum, pinguedinis inſtar, aquæ ſupernatans colligatur.

*Eſt carminativum, nervinum, & ad affectus uteri, ſpaſmos, colicam flatulentam, tormina & lumbricos infantum, nec non ad roborandos articulos valde proficuum. Laudatur etiam ad aurium dolores & auditus gravitatem, auribus inſtillatum; ubi tamen oleum amygdalarum amararum, vel aliud minus acre admiſceri debet.*

## OLEUM LILIORUM ALBORUM.

*REC.* Florum Liliorum alborum, abjecto quod croceum eſt, libras duas,
Olei Olivarum recentis albi libras tres.

Macera & digere per dies octo, poſtea coque & exprime.

*Virtute gaudet emolliente, anodyna & lubricante.*

## OLEUM LINI EXPRESSUM.

E Semine Lini contuſo & parum toſto exprimitur, & per digeſtionem in ſole depuratur.

*Contra pleuriticos dolores ſpecificum habetur, tam interne a dimidia ad integram unciam, cum juſculo exhibitum, quam externe, cum lana vel panno, calide regioni dolenti applicatum. Conducit etiam in aliis affectibus pectoris; externe ad ambuſta & hæmorrhoidum cæcarum dolores commendatur.*

## OLEUM LUMBRICORUM TERRESTRIUM.

*REC.* Lumbricorum terreſtrium libram unam.

Laventur in vino, deinde immittantur in
Olei libras duas;

Coquantur ad humidi aquoſi conſumtionem; oleum coletur.

*Sunt, qui interne pro vulnerario præſcribunt; externe eſt paregoricum, nervinum & ad dolores ſpaſticos atque contracturas utiliter adhibetur.*

## OLEUM MAJORANÆ.

*REC.* Herbæ Majoranæ,
Olei Olivarum ana libram unam.

Coque, poſt macerationem per aliquot dies, leniſſimo igne, & expreſſum ſerva.

*Reſolvit & roborat, & ad Emplaſtrum Meliloti requiritur.*

## OLEUM MASTICHINUM.

*REC.* Olei Roſati libram unam,
in quo, leniter coquendo, diſſolve
Maſtiches uncias tres.
Fiat colatura.

*Vomitus & alvi fluxum ſedat, partesque laxas roborat.*

## OLEUM MENTHÆ.

Ex Mentha criſpa & oleo olivarum, ſicut Anethi oleum, paratur.

*Vires ſunt ſtomachicæ & carminativæ.*

## OLEUM MOMORDICÆ.

*REC.* Fructuum Momordicæ maturorum, contuſorum libram unam,
Olei Lini libram unam ſemis.
In figulino vitreato vaſe ponantur ſupra cineres calidos, per viginti quatuor horas, dein leni calore per horam ad humiditatis conſumtionem coquantur, colentur & exprimantur;
Oleum expreſſum,
cum
Fructuum Momordicæ æquali quantitate,
ſecunda vice coquatur, præſcripto modo, & ſervetur.

*Ad fiſſuras mammillarum, hæmorrhoidum dolores, ambuſtiones & vulnera commendatur.*

## OLEUM ſive LIQUOR MYRRHÆ PER DELIQUIUM.

Ova recentia, ad duritiem cocta, per medium diſſecantur, vitellis exemtis, cavitas pulvere Myrrhæ electæ repletur, duo hemiſphæria ovi iterum conjunguntur, atque filo leviter ligata, ſuper craticulam locantur, atque in cellam reponuntur. Sic diſſolvetur Myrrha in liquorem rubrum.

*Medicamentum eſt balſamicum, ad fiſſuras mammarum, ulcera oris aliaque ſumme commendabile.*



## OLEUM NICOTIANÆ.

*REC.* Foliorum recentium Nicotianæ, conciſorum & contuſorum, libram unam.
Coquantur lento igne, ad humiditatis conſumtionem, in
Olei Olivarum unciis ſedecim.
Oleum expreſſum ſerva.

*Laudatur ad hypochondriorum inflammationes, membra paralytica fovenda, & tumores diſcutiendos; ſcabioſis & ambuſtis etiam convenit.*

## OLEUM NUCUM JUGLANDIUM.

Conficitur, ut Oleum Amygdalarum.

*Easdem vires habet cum Oleo Amygdalarum, modo ſit recens & non rancidum. Inveteratum vero a pictoribus expetitur.*

## OLEUM NUCIS MOSCHATÆ EXPRESSUM.

Nuces Moſchatæ contuſæ aquæ calidæ vapore irrigantur, & dum adhuc calent, oleum exprimitur.

Raro apud nos paratur, ex India enim Orientali copioſe advehitur.

*Vires ſunt roborantes & anodynæ. Datur etiam interne tam pueris, tormimibus alvi vexatis, quam adultis adverſus vomitus & alvi fluxum; externe ad capitis dolores, ſomnum conciliandum, ventriculum roborandum, flatus diſcutiendos, &c. adhibetur. Inſervit etiam pro Balſamorum corpore.*

*Doſis interne pueris teneris a grano uno ad duo, adultis ad ſcrupulum unum & dimidium.*

## OLEUM OVORUM EXPRESSUM.

*REC.* Ova recentia coque, ut indurentur, poſtea vitellos exime, contritos atque in fartagine, donec rufeſcant, & pinguedinem quandam emittant, leniter aſſatos adhuc fer-

ven-

ventes, & forti ſacco incluſos, exprime. Eſt oleum blandum, demulcens.

*Laudatur ad hernias, fiſſuras papillarum & labiorum, ad ambuſta, hæmorrhoidum dolores, implendas foveas poſt variolas, impetiginem, ſerpiginem, & alia cutis vitia.*

*Cavendum autem eſt, ne in uſum vocetur, quod vetuſtate acrimoniam rancidam contraxit.*

## OLEUM PAPAVERIS EXPRESSUM.

Præparatur, ut Oleum ſeminis Hyoscyami.

*Ad uſus culinarios & mechanicos, præcipue a pictoribus, expetitur; in Medicina habetur anodynum, ad ſomnum invitandum & dolores leniendos.*

## OLEUM ROSATUM.

*REC.* Olei communis libras quinque,
Roſarum Damaſcenarum contuſarum libras quatuor.

Macerata & inſolata, per dies octo, ad humiditatis conſumtionem coque, exprime & cola.

*Refrigerat, demulcet & ambuſtis medetur.*

## OLEUM RUTÆ.

E foliis Rutæ recentibus & oleo Olivarum, ſumendo amborum æquales partes, coctione & expreſſione paratur.

*Anticolicum, anthelminticum & nervinum eſt; adhibetur externe, & clyſmatibus additur.*

## OLEUM SCORPIONUM SIMPLEX.

*REC.* Scorpionum numero quinquaginta,
Olei Olivarum libram unam.

Macerentur in vaſe vitreo, dies viginti, in loco calido, poſtea ad uſus reponatur oleum.

*Ad urinam & calculum pellendos externe, regioni renum & pubis illinitur, & ad ictus venenatorum animalium commendatur.*

## OLEUM SCORPIONUM COMPOSITUM.

Paratur, ſi ingredientibus prioris compoſitionis adduntur:
Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Gentianæ,
Cyperi,
Corticum radicum Capparum,
ana drachmæ ſex.

*Ad eoſdem uſus olim commendabatur.*

## OLEUM SEPTEM FLORUM.

*REC.* Florum recent. Violarum,
Sambuci,
Roſarum,
Chamomillæ vulgaris,
Liliorum albo-rum,
Verbaſci,
Malvæ arboreæ
ana libram ſemis.

Colligantur flores ſuo tempore, & in Olei Olivarum libris ſex
macerentur, coquantur leni igne, ad humiditatis conſumtionem, & expreſſum oleum ſervetur.

*Paregoricum eſt, nimias tenſiones relaxat, pleuriticis & tabidis inunctum convenit.*

## OLEUM SPERMATIS RANARUM.

*REC.* Spermatis Ranarum,
Olei communis ana partes æquales.

Coquantur ſimul igne lento, ad conſumtionem partis aquoſæ, deinde colentur & ſerventur.

*Raro in uſum vocatur, ſed pro emplaſtri confectione paratur; anodynum eſt, refrigerat, & ad ambuſta inſervit.*

## OLEUM VERBASCI.

E floribus Verbaſci paratur, ſicut Oleum Liliorum alborum ſuperius deſcriptum.

*Demulcet, dolores mitigat, ad hæmorrhoides & ambuſta laudatur.*

## OLEUM VIOLARUM.

*REC.* Florum Violarum, &
Olei Olivarum anaticas partes;
ad humiditatis conſumtionem coquantur & oleum expreſſum ſervetur.

*Refrigerans & anodynum eſt, magnopere laudatur ad dolorem hæmorrhoidum, altius ſedentem, per ſyringam tepide injectum.*

## OLEUM VULPINUM.

*REC.* Vulpem integram vegetam, detracta pelle & exemtis interaneis,
Aquæ fontanæ libras ſex,
Olei veteris clari libras quatuor,
Salis uncias ſex.

Coquantur, & inter coquendum adjiciantur
Anethi,
Thymi ana libra una.

Coctionem continuando, donec ab oſſibus recedat caro, & aqua conſumatur; dein coletur oleum.

*Ad affectus nervorum frigidos, & articulos rigidos commendatur.*

## OLEUM ABSINTHII DESTILLATUM.

*REC.* Summitatum Abſinthii, cum ſemine maturitati proximo, in umbra ſiccatarum, libras viginti quinque.

Inciſæ & conquaſſatæ macerentur per triduum, in
Aquæ fluviatilis libris ſeptuaginta quinque,
additis
Salis communis libris tribus;



Deſtillentur poſtea e veſica, ad tertiam partem repleta, & oleum aquæ innatans ſeparetur.

*Eodem modo parantur olea deſtillata ſequentia.*

OLEUM ARTEMISIÆ.
CHAMOMILLÆ,
CHÆREFOLII,
HYSSOPI,
LAVENDULÆ,
MAJORANÆ,
MELISSÆ,
MENTHÆ,
MILLEFOLII,
ORIGANI,
PULEGII,
RORISMARINI,
RUTÆ,
SABINÆ,
SALVIÆ,
SATUREJÆ,
SERPILLI,
TANACETI,
THYMI.

## OLEUM ANETHI.

*REC.* Seminis Anethi contuſi libras quatuor,
Infuſum
Aquæ fluviatilis libris ſedecim,
ac per triduum, addita
Salis libra una,
maceratum, deſtilletur e veſica, & oleum, ut moris, ab aqua ſeparetur.

*Eadem encheireſi deſtillantur reliqua olea ex ſeminibus:*

OLEUM ANGELICÆ,
ANISI,
CARVI,
CORIANDRI,
CUMINI,
FOENICULI,
JUNIPERI E BACCIS,
LAURI E BACCIS.

OLE-

## OLEUM CARYOPHYLLORUM AROMATICORUM.

*REC.* Caryophyllorum libras duas.
Tritis affunde
Aquæ pluviæ libras ſedecim,
adde
Salis communis uncias quatuor;
Stent per quinque vel ſex dies in loco calido, poſtea deſtilla e veſica, ſic prodit una cum aqua oleum Caryophyllorum, omnis coloris expers, quod fundum petit.

*Pari modo parantur*

OLEUM CARDAMOMI,
CINNAMOMI,
MACIS,
NUCIS MOSCHATÆ,
PIPERIS.

## OLEUM LIGNI SASSAFRAS.

*REC.* Raſuræ ligni Saſſafras libras ſex,
Aquæ fluviatilis libras triginta ſex,
Salis culinaris libram unam.
Macerentur per quatuor vel quinque dies in conclavi calido, poſtea deſtillentur per veſicam, ſic prodit oleum cum aqua, non more aliorum ſupernatans, ſed fundum petens, in ſpiritu Vini diſſolubile. Ex reſiduo parari poteſt extractum, maceratio vero absque ſalis additione inſtituenda eſt.

*Eodem modo deſtillantur*

OLEUM LIGNI RHODII,
SANTALI CITRINI,
CALAMI AROMATICI,
ZEDOARIÆ,
ZINZIBERIS.

*Ut genuina habeantur olea hæc, pharmacopœi illa ipſi deſtillare debent; omnia enim, quæ ex Batavia, vel aliunde advehuntur, adulterata deprehenduntur. Caveant autem, ne, addita Terebinthina in deſtillatione, & ipſi olea, ad augendam eorum copiam, inficiant.*

*Præſtat, ad largiorem olei ſeparationem, aquam ſemel deſtillatam, oleo jam imprægnatam, partitæ vegetabilis, ex quo oleum deſideratur, portioni reaffundere, quam novam adhibere.*

*Nimis longum eſſet, de ſingulorum viribus hic dicere; æſtimandæ videntur e ſimplicibus, unde deſtillata ſunt. Raro interne ſumuntur; ſanguinem enim, præſertim in hominibus, temperamento calido præditis, & ad ebullitionem ſanguinis pronis, nimium commovent. Guttæ vero aliquot Saccharo inſtillatæ, & Elæoſaccharum, quod pulveribus additur, vel ad gratum ſaporem conciliandum, vel ad vires augendas, nonnunquam præſcribuntur. Externe adhibita ſunt cephalica, nervina, antiſpaſmodica, ſtomachica, carminativa, & virtute ſua balſamica roborant.*

## OLEUM ANIMALE, AD MODUM DIPPELII.

*REC.* Olei deſtillati fœtidi cornu Cervi, vel alius animalis, libras quatuor, vel quantum libet;
Affunde
Aquæ tepidæ libras ſex.
Conquaſſa ſimul, tunc ſolvatur in hac aqua ſal ille, qui oleo acrimoniam conciliavit, & quo ſeparato, mitius evadit. Oleum ab aqua per ſeparatorium liberetur. Immittatur deinde retortæ ſatis capaci, ea obſervata encheireſi, ut roſtrum, immiſſo in bulbum oleo, accuratiſſime mundetur, & in excipulum magnum, calore moderato, deſtilletur, ſenſim augendo ignem, uſque ad ſupremum gradum, cujus arena capax eſt, donec nihil amplius aſcendat.

Rectificatione & deſtillatione ita, ſemper ex nova retorta, ſæpius, exempli gratia, vicies vel tricies repetita, acquiritur oleum, ſpiritus inſtar, tenue, una cum liquore pellucido, quod ſervetur.

*Penetrantiſſimum eſt, ſi rite paratum ſit, odore & ſapore haud ingratum; anodynum, reſolvens, febrifugum, nervis amiciſſimum, antepilepticum.*

*Doſis guttæ ſex, quindecim, ad triginta, e vehiculo largiore.*

Ipſe Dippelius e ſanguine cervino, exſiccato, per retortam deſtillavit, & oleum hinc eductum quadrageſies rectificavit. Breviori via idem Auctor oleum, additione calcis vivæ, deſtillare docuit.

Modus autem omnium optimus et minime diſpendioſus, oleum empyrevmaticum clarum et minus fœtidum reddendi, ſecundum *Model* in *Commercio Nor.* 1741. in eo conſiſtit, ut cauto igne deſtillans primum oleum limpidum ab inſequente magis jam flaveſcente, et ita ſecundum a tertio, mutato excipulo, ſeparetur. Hoc quippe modo portio olei minus tincta vel una rectificatione, poſteriores una alterave cohobatione, leniſſimo identidem igne, et mutato ſolicite excipulo, peracta, deſideratum largientur limpidum Oleum. Ne color limpidus brevi tempore iterum in flaveſcentem & ſucceſſive in nigrum mutetur, opus eſt, ut in vitris parvis, nonniſi drachmam unam capientibus, plenis, probe munitis, in loco frigido, oleum hoc aſſervetur. Si nihilominus ſucceſſu temporis deſideratum colorem amiſit, unica deſtillatione reſtitui poteſt.

## OLEUM BENZOES.

*REC.* Gummi Benzoës probe triti, quantum placet; e retorta vitrea, igne arenæ moderato, deſtilla in vas recipiens, cui aquæ fontanæ aliquot unciæ ſunt immiſſæ; finita deſtillatione, flores & oleum ab aqua ſepara, & ſeorſim ſerva.

*Additur oleum unguentis & ſuffimentis, ut odorem illis conciliet.*

## OLEUM BUXI ET GUAJACI.

E ſcobe ligni per retortam deſtillantur; prodit primo phlegma, poſtea ſpiritus acidus, & tandem oleum nigrum craſſum, quod, ab acido ſpiritu ſeparatum & rectificatum, reponitur.

*Olea empyrevmatica ſeptica ſunt, & non, niſi ad guttas quatuor vel quinque, interne ad gonorrhœam virulentam &c. adhiberi poſſunt; externe ad dentium cariem & inde ortos dolores commendantur.*

## OLEUM CAMPHORÆ LIQUIDUM ET BUTYRACEUM.

*REC.* Camphoræ libram ſemis,
Boli rubræ, vel terræ argillaceæ ſiccæ libras duas.

Optime permixta e retorta, leniſſimo igne, deſtillentur, ſic prodit, cum phlegmate acidulo, Oleum Camphoræ liquidum, ſubtiliſſimum, & in fine, in collum retortæ ſublimatur oleum, butyri inſtar, quæ ſingula ſeorſim ſervanda.

*Penetrantiſſimum hoc oleum, quod ſubtiliſſima pars camphoræ eſt, ad defluxiones catarrhales, & dolores dentium, a cauſa frigida ortos, commendatur, atque illos, externe applicatum, quaſi in momento ſedat. Ad condienda infecta minora etiam adhibetur.*

## OLEUM CERÆ.

*REC.* Ceræ flavæ odoratiſſimæ libram unam.

Scindatur in fragmenta tam parva, ut

ut retortæ orificio commode possint immitti, eaque repleri ad dimidium. Tum infundatur arenæ puriſſimæ tantum, quantum capit venter retortæ; caleſiat tum lente retorta, donec cera liqueſcens arenam ſibi permiſcuerit, & imbiberit ſatis; imponatur furno arenæ, inſtituatur, applicato excipulo deſtillatio: Adhibito primo leni ignis gradu prodire ſolet aqua acidula, fœtens, pauca, una cum ſpiritu; calore deinde aucto, aſcendet ſenſim oleum tenue, dum deſtillat, in excipulo, inſtar butyri, concreſcens; hoc, ubi ultra prodire negat, major adhibendus eſt ignis, & quidem fortis ſuppreſſionis, cujus ope aſcendet mox tota maſſa ceræ in excipulum, ſub forma butyri. Butyrum hoc ceræ, ſine ulla additione, ex retorta, leniſſimo ignis gradu, iterum deſtillari & rectificari debet, oleumque liquidum tenue & butyroſum ſeorſim excipi.

*Sunt, qui hoc tenue ceræ oleum etiam interne adhibent; eſt enim diureticum, valde penetrans, ad guttas tres vel ſex datum; propter nimiam vero acrimoniam, cautius eo utendum eſſe cenſemus. Externus vero ejus uſus eo frequentior eſſe ſolet, & remedium præbet vix ulli alteri comparandum, ad mala papillarum nervoſarum, quæ in cute extrema denudata ſunt, ad fiſſuras labiorum & papillarum in lactantibus, digitorum & manuum rhagades, ad tumores atque perniones a frigore inductos, & tendines contractos, quin adſtrictæ alvo lubricitatem conciliare, in infantum morbis, abdomini illitum, quidam volunt.*

## OLEUM CORNU CERVI.

*REC.* Cornuum Cervi fruſtillatim conciſorum, quantum placet.

Immitte retortæ lutatæ, aut cucurbitæ ferreæ, alembico terreo vitreato munitæ, ac igne aperto, gradatim, ad ignitionem usque retortæ, aut cucurbitæ, adminiſtrato, omnes, cum phlegmate, ſale volatili ac oleo, ſpiritus evoca, quæ omnia ab invicem ſepara, & ſeorſim ſerva.

*Raro interne adhiberi ſolet, ſed oleum animale Dippelii inde parari poteſt.*

## OLEUM CORTICUM AURANTIORUM.

*REC.* Corticum recentium Aurantiorum, quantum placet.

Inciſi, cum ſufficienti aqua fontana, absque maceratione, e veſica deſtillentur, ac oleum, ut in reliquis, aquæ innatans, lege artis ſeparetur.

## OLEUM CORTICUM CITRI.

Eadem methodo paratur, qua præcedens.

## OLEUM GALBANI.

*REC.* Gummi Galbani electi libram unam,
Arenæ lotæ libram unam ſemis.

Deſtillentur igne arenæ, per retortam vitream, liquor albus, qui cum oleo prodit, ſeparetur, atque oleum rectificetur.

*Laudatur præcipue in doloribus colicis, hyſtericis & ſpaſmodicis, umbilico illitum.*

*Eodem modo parantur*

## OLEUM AMMONIACI,
## MASTICHES,
## MYRRHÆ,
## TACAMAHACÆ.

*NB. Myrrha etiam oleum ſuaviſſimum, ſed exigua quantitate, deſtillatione cum aqua fontana inſtituta, reddit.*

## OLEUM CUM LATERIBUS DESTILLATUM, PHILOSOPHORUM DICTUM.

Lateres novi in groſſum pulverem con-

contundantur, atque bene calefacti, olei olivarum, quantum imbibere poſſunt, ſaturentur, retortæ vitreæ immittantur, & igne arenæ per gradus aucto, oleum proliciatur, quod ſuper cineres rectificetur.

*Reſolvens ac attenuans eſt medicamentum; ſepticam etiam habet virtutem, & ad mundificanda ulcera adhibetur.*

## OLEUM SAPONIS.

*REC.* Raſuræ ſaponis Veneti libram unam,
Arenæ mundæ libras tres.

Mixta e retorta, igne arenæ, deſtillentur, oleum ſuper cineribus rectificetur.

*Sugillationes & tophos reſolvit, ſpaſmis & dentium doloribus medetur, ſepticum præbet ad ulcera mundificanda, atque pannos in oculis brutorum extirpandos; interne, ob vim ſanguinem commovendi, raro, vel nunquam datur.*

## OLEUM SUCCINI.

*REC.* Succini contuſi libras tres.

Ex retorta capaci, igne arenæ gradatim adhibito, deſtilletur. Vas recipiens cum aqua calida, ut ſal volatile in eo ſolvatur, eluatur, quæ per chartam emporeticam, prius aqua madefactam, ab oleo ſeparetur, & poſt factam ejus exhalationem, ſal colligatur; oleum vero, cum duabus partibus cinerum mixtum, e retorta, lento igne, rectificetur, oleum limpidum primo exſtillans album, & alterum ſubſequens rubrum, ſingula ſeorſim ſerventur.

*Oleum Succini multum convenit cum Oleo Petræ, & egregium reſolvens, diaphoreticum, diureticum & emmenagogum, calidum tamen & valde acre eſt; in parva igitur doſi exhibendum; ſufficiunt guttæ quinque vel decem. Externe ad cephalalgiam & membra paralytica, nec non ad rhevmaticos dolores adhibetur.*

## OLEUM SULPHURIS.

Eſt ſpiritus ſulphuris per campanam, concentratus.

## OLEUM TEREBINTHINÆ.

*REC.* Terebinthinæ pellucidæ, quantum vis.
Aquæ fontanæ ſextuplum.

Deſtillentur lento igne, ex veſica, ſicut alia olea deſtillata; poſt deſtillationem oleum ab aqua ſeparetur ac ſervetur.

Reſiduum in veſica præbet TEREBINTHINAM COCTAM, vel, ulteriore coctione absque aqua inſtituta, in COLOPHONIUM reducitur.

*Laudatur ejus vis diuretica, & in gonorrhœa frequenter dari ſolet: calidum eſt, igitur circumſpecte adhibendum.*

*Doſis a guttis ſex, ad viginti. Uſus externus multiplex eſt, ad vulnera & puncturas membranarum, tendinum & nervorum, ſi calidum inſtilletur, præbet anodynum, antiſpaſticum & conſolidans. In hæmorrhagiis, ex arteriarum & venarum vulneribus promtiſſimum eſt ſtipticum, modo calidum applicetur, & ſpleniis appreſſis ad locum detineatur.*

## OLEUM VITRIOLI.

Per deſtillationem ſpiritus Vitrioli continuatam, ultima tandem ignis tortura elicitur oleum acerrimum concentratum ponderoſum, quod rectificari debet per retortam.

E centenario Vitrioli Goslarienſis decem libræ olei prodeunt, & circiter libræ viginti ſpiritus & phlegmatis.

*Ad uſus chymicos & pharmaceuticos varios adhibetur.*

OLE-

OLEUM PETRAE, album,
rubrum,
nigrum &
TERRAE.

Videantur in Materiæ Medicæ Regno minerali.

## ORVIETANUM.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Ariſtolochiæ utriusque,
Biſtortæ,
Carlinæ,
Contrayervæ,
Fraxinellæ,
Gentianæ,
Imperatoriæ,
Pentaphylli,
Serpentariæ Virgin.
Tormentillæ,
Valerianæ,
Zedoariæ,
Folior. Cardui benedicti,
Pulegii,
Rutæ hortenſis,
Sabinæ,
Scordii,
Succiſæ,
Florum Hyperici,
Corticum Aurantiorum,
Citri,
Cinnamomi,
Baccarum Juniperi,
Lauri, ana unciam unam,
Viperarum exſiccatarum uncias duas,
Croci Orientalis drachmas duas.

Fiat omnium pulvis, qui excipiatur
Roob Juniperi,
Mellis deſpumati ana libris tribus;

Optime mixtis addantur
Theriacæ Andromachi,
Mithridatii, ana unciæ duæ,
Olei Rutæ deſtillati,
Olei Succini albi,
Caryophyllorum,
Juniperi ana ſcrupulus unus.

Reponantur in vaſe figulino probe vitreato.

Variæ circumferuntur hujus antidoti deſcriptiones. Hanc Emanuel König nobis ſuppeditavit, quam, utpote compendioſiorem & optimam, paucis tamen immutatis, adponere voluimus.

Nomen Orvietanum, ab Inventore circumforaneo, ex urbe *Orvieto*, cui, tradente B. Schulzio nomen fuit *Hieronymus Ferrantes*, & qui fiducia ejus primus auſus fuit, publico foro deglutire ignotum ſibi quodlibet toxicum.

*Ex ſimplicibus, alexiteriis virtutibus præditis, paratum eſt, atque a multis, Theriacæ, ſi non præfertur, tamen æquiparatur. Viliori etiam pretio conſtat, & quia Opio caret, ſecure in morbis contagioſis, dyſenteria, febribus malignis &c. Pauperibus, nec non pecudibus, exhiberi poteſt.*

*Doſis drachmæ duæ ad unciam ſemis.*

## OXYMEL COLCHICUM.

*REC.* Radicis Colchici recentis, in principio æſtatis collectæ, ſuccolentæ, in tenues taleolas ſectæ, unciam unam,
Aceti vini libram unam.

Hæc lento igne in phiala vitrea invicem digere per quadraginta octo horas, ſæpius tamen phialam agitando; dein colaturam leviter exprime. Adde hujus
Aceti Colchici rite parati libræ uni,
Mellis puri libras duas.

Miſce, et ſupra leni igne, ſæpius agitando cochleari ligneo, coque ad mellis conſiſtentiam.

*Oxymel hoc colchicum grate acidum, ſaporis leviter adſtringentis tuto in-*

*terne exhiberi posse asserit Stœrckius, nec ullas excitare turbas, nec tenesmos. Efficaciam quandoque summam in morbis maxime desperatis, ubi alia remedia fuerunt inertia, expertus est. Convenire ubique, ubi serum abundans debet per urinæ vias expelli, affirmat; hinc illud maximum* diureticum, Hydropicis *præprimis proficuum perquam laudat. Idem remedium promovere sputa, inde mitigari tussim, et fieri respirationem liberam, observavit.*

*Datur in principio bis per diem drachma una hujus oxymellis homini adulto: Diluitur in vasculo Decocti, vel infusi cujusdam congrui. Augetur, dum ægri facile ferunt, et effectus inde debitus non habetur, secundo vel tertio die dosis, ascendendo, si opus, sensim ad unciam unam, vel unciam unam semis per diem.*

## OXYMEL SCILLITICUM.

E mellis despumati libris quatuor, ac
Aceti scillitici libris duabus,
in vase figulino vitreato, ad justam consistentiam coquitur.

*Ad pulmonum & ventriculi affectus pituitosos tollendos, nec non asthmaticis commendatur. Humores crassos, viscidos, indeque ortas obstructiones resolvit.*

*Dosis drachmæ tres, ad drachmas sex.*

## OXYMEL SIMPLEX.

*REC.* Mellis despumati libram unam,
Aceti Vini albi libram semis.
Coquantur in vase figulino probe vitreato, ad syrupi consistentiam, serventur in vase vitreo.

*Usus est in gargarismis.*

## PANACEA MERCURIALIS.

Est Mercurius dulcis, septies vel decies sublimatus atque optime tritus, spiritu vini rectificatissimo deflagrandus.

*Repetita sublimatione Mercurius dulcis omnem fere deponit vim laxantem, & solum per diaphoresin operatur. Datur hæc Panacea delicatioribus in morbis lymphæ, & a visciditate humorum ortis.*

*Dosis grana octo, ad grana quindecim.*

Si
Panacea mercurialis
cum
Sulphuris Antimonii aurati tertiæ præcipitationis, æquali portione
diuturno tritu in pulverem subtilem miscetur, PULVIS ALTERANS PLUMERI, in *Actis Edinburgensibus* adeo laudatus, obtinetur.

*Præstantissimum est medicamentum resolvens, et impuritates lymphæ corrigens. Dosis septem vel octo granorum mane et vespera, vel continuato usu raro salivationem excitat.*

## PANIS CYDONIORUM CUM AROMATIBUS.

*REC.* Pulpæ Cydoniorum coctorum, per cribrum trajectæ, libras octo,
Sacchari albi libras quatuor.
Evaporent ad justam consistentiam, adde
Caryophyllorum aromaticorum drachmas duas,
Cinnamomi acuti, minutim incisi,
Flavedinis corticum Citri recentium incisorum, ana drachmas sex.
Misceatur & effundatur pasta in scatulas.

*Leniter corroborat; hinc ad ventriculum & intestina relaxata, atque inde ortas diarrhœas delicatulis exhiberi potest.*

*Dosis uncia semis, ad integram.*

*Paratur etiam sine aromatibus, & calidis biliosisque ad eosdem usus commendatur.*

PAS-

## PASSULÆ ET PRUNA LAXATIVA.

*REC.* Foliorum Sennæ electorum uncias quatuor,
Zinziberis albi drachmam unam ſemis,
Cinnamomi drachmas duas.
Infundantur
Aquæ fontanæ ferventis unciis decem.
Digerantur in loco calido per biduum, poſtea exprimantur, expreſſo adde
Sacchari albi libram unam;
Solvatur Saccharum unica ebullitione, & per pannum colatus ſyrupus ſuperfundatur,
Paſſularum minorum, vel Prunorum Damaſcenorum enucleatorum, in aqua fontana ad mollitiem coctorum, & a ſuperflua humiditate, modica exſiccatione, liberatorum, libræ uni.

*Alvum leniter ſubducunt, & pueris atque aliis medicamenta laxantia reformidantibus exhiberi ſolent.*
*Doſis uncia dimidia ad duas.*

## PASTA ALTHEÆ, (Gallis *PATE DE GUIMAUVE.*)

*REC.* Radicis Altheæ recentis, in taleolos diſſectæ, uncias quatuor.
Bulliant in
Aquæ fontanæ libris octo, ad dimidiæ partis conſumtionem; in colatura diſſolvantur
Gummi Arabici albiſſimi & puriſſimi libræ duæ ſemis,
Sacchari albiſſimi totidem.
Colentur, & igne lento, ad ſpiſſitudinem extracti, continuo ſpatula movendo, humor exhalet. Ab igne remota agitentur multum & celeriter, quo albeſcant, & ſubinde inſpergendo
Albuminum, e ſex ovis recentibus, in ſpumam conquaſſatorum,
Aquæ Naphæ odoratiſſimæ unciam ſemis,
lento calore, ſub perpetua agitatione, inſpiſſetur, usque dum manibus non adhæreat.
Formentur paſtæ oblongæ quadratæ, quæ pulvere Sacchari vel Amyli, ne chartæ adhæreant, conſpergantur.
Pari modo etiam ex
*Liquiritiæ Radicibus*
paratur paſta, quæ a Gallis
PATE DE REGLISSE
vocatur.

*Humores acres, faucibus inprimis & pectori noxios, demulcent; hinc in tuſſi ſicca, aſthmate, quin ipſa phthiſi commode adhiberi poſſunt.*

## PHILONIUM ROMANUM.

Videatur ELECTUARIUM.

## PHOSPHORUS URINÆ.

*REC.* Salis nativi Urinæ, qui ex urina ad mellaginem inſpiſſata per cryſtalliſationem obtinetur, partes octo,
Pulveris carbonum, ſive Fuliginis tædæ partem unam.
Miſce optime, committe retortæ vitreæ loricatæ, cui limi vulgaris ope apponitur recipiens, ea aquæ quantitate repletus, ut inter hujus ſuperficiem et ſupercilium roſtri retortæ non majus intercedat intervallum, quam quod, ne aqua calore diſtenta in retortam penetret, caveat; igni nudo committitur retorta, augetur calor ad ſummum usque, et jucundiſſimo ſpectaculo coruſcantes ignes in aquam ejaculari videbuntur, tales ſi nulli ulterius diſtillant, a diſtillatione eſt deſiſtendum; globuli, qui ceræ ſimiles ſunt, immittuntur aquæ ſervidæ, in modulo vitreo hærenti, et ebullientis aquæ ope in unam

maſſam funduntur. Uncia una ſalis nativi ſecundum Marggrafii experimenta Phoſphori drachmam unam largitur.

*Non curioſis ſaltem inſervit phænomevis, ſed in uſum quoque medicum a quibusdam vocatur tanquam roborans et diapnoicum ſummum in febribus acutis, item in epilepſia, apoplexia, paralyſi, ſoporibus, melancholia, mania.*

*Doſis grani unius, duorum vel trium, ter quaterve in die, cum Conſerva quadam.*

## PILULAE ÆTHIOPICAE.

*REC.* Æthiopis mineralis unciam unam,
Reguli Antimonii medicinalis,
Gummi Guajaci ana unciam ſemis,
Extracti Sarſaparillæ unciam unam.

Fiat maſſa pilularum.

*In ſcabie maligna, hydrope, febre quartana, ulceribus fœtidis &c. non ſine fructu commendari ſolent.*

*Doſis eſt a granis duodecim, ad grana viginti quatuor, ad drachmam ſemis usque. Tertiam partem Æthiops mineralis, & ſextam Regulus Antimonii conſtituit.*

## PILULAE ALOEPHANGINAE.

*REC.* Specierum aromaticarum caryophyllatarum unciam unam,
Myrrhæ electæ,
Maſtiches ana drachmas tres,
Croci drachmam unam ſemis,
Extracti Aloës uncias duas.

Miſce, fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ.

*Sunt aromaticæ, ventriculum roborantes, appetitum excitantes, atque concoctionem promoventes.*

*Doſis eſt ſcrupulus unus. Dimidia pars eſt Extractum Aloës, hinc, præter ſupra laudatas virtutes, etiam alvum ſtimulandi vim habent.*



## PILULÆ ALTERANTES PLUMERI.

*REC.* Pulveris alterantis, (ſub Panacea mercuriali præſcripti,) unciam ſemis,
Gummi Guajaci drachmas tres,
Reſinæ Guajaci drachmam unam,
Balſami de Copaiva quantum ſufficit,

ut fiat maſſa pilularum, ex cujus ſingulis drachmis formantur piluiæ duodecim.

*Valent alterante et diaphoretica potius quam ſalivante intentione, in morbis venereis aliisque rebellibus, a pituita et lymphæ impuritatibus oriundis, per tempus mane et veſpera adſumtæ, tres numero, conjunctis Decoctis lignorum vel aliis congruis.*

## PILULÆ DE AMMONIACO.

*REC.* Extracti Aloës, aqua fontana præparati, uncias duas,
Gummi Ammoniaci puriſſimi, aceto ſcillitico ſoluti & ad conſiſtentiam extracti inſpiſſati, unciam unam ſemis,
Myrrhæ electæ,
Maſtiches,
Benzoës electæ,
Rhabarbari ana drachmas duas,
Croci ſcrupulos duos,
Salis Abſinthii drachmam unam.

Miſce, fiat maſſa pilularis.

*Incidunt lympham viſcidam, & educunt; proſunt hypochondriacis, in affectibus uterinis, aſthmate, tuſſi, cachexia, febribus inveteratis, præcipue quartana.*

*Doſis grana duodecim ad ſcrupulum unum.*

*Drachma una habet fere ſcrupulum gummi Ammoniaci.*

## PILULAE ANGELICAE.

*REC.* Aloës Succotrinæ libram unam, quam diſſolve in

Suc-

Succorum depurator. Cichorii,
Endiviæ,
Fumariæ,
Roſarum
Damaſcenarum ana libra una.

Solutio clarificetur, poſtea, lento igne, ad juſtam conſiſtentiam percoquatur, & cum ſequentium pulvere,

Rhabarbari electi uncia una,
Agarici trochiſcati uncia ſemis,
Cinnamomi electi drachmis duabus.

Fiat maſſa pilularis.

*Leniter ſubducunt alvum.*

*Doſis grana duodecim ad ſcrupulum unum.*

## PILULÆ APERIENTES STAHLII.

*REC.* Aloës roſatæ unciam unam,
Extracti Panchymagogi unciam ſemis,
Limaturæ Martis, ſubtiliſſime pulveriſatæ drachmas duas.

Fiant pilulæ.

*Alvum liberam ſervant, & parva doſi, ante ſommum, deglutitæ, obſtructam aperiunt.*

*Doſis grana quinque ad decem.*

## PILULÆ AUREÆ.

*REC.* Aloës Succotrinæ.
Diacrydii ſulphurati ana drachmas decem,
Florum Roſarum,
Seminum Apii,
Fœniculi,
Aniſi ana drachmas tres,
Maſtiches electæ,
Croci Orientalis,
Trochiſcorum Alhandal ana drachmas duas.

Cum ſufficiente quantitate ſpiritus vini, fiat maſſa.

*Virtutes prædicantur cephalicæ, purgant, & humores a capite derivant; hinc etiam oculorum aciem juvare laudantur.*

*Doſis grana duodecim ad ſcrupulum unum.*

## PILULÆ BALSAMICÆ MORTONIANÆ.

*REC.* Millepedum drachmas tres,
Gummi Ammoniaci electi drachmas duas ſemis,
Florum Benzoës drachmam unam,
Croci Orientalis,
Balſami Peruviani ana grana quindecim.

Miſce, cum ſufficiente quantitate Balſami Sulphuris aniſati, fiat maſſa.

*Ad tuſſim chronicam, ſcrophuloſam & phthiſicam, pulmonibus phlegmate viſcoſo infarctis, ſcirrhoſis, atque cum tuberculorum generandorum ſuſpicio eſt, commendantur.*

*Doſis ſcrupulus ſemis, bis vel ter in die, ſuperbibendo hauſtum decocti appropriati.*

## PILULÆ CACHECTICÆ.

*REC.* Gummi Ammoniaci puriſſimi drachmas ſex,
Extracti Aloës gummoſi unciam ſemis,
Chalybis, in alcohol redacti, drachmas quinque,
Olei deſtill. Caryophyllorum,
Aniſi ana ſcrupulum ſemis.

Miſce cum ſufficienti quantitate ſpiritus vini, fiat maſſa.

*Obſtructiones reſolvunt, fibris laxatis tonum conciliant, habitum corporis emendant; cachecticis, ictericis, menſium vitio laborantibus atque hypochondriacis proſunt, alvum leniter ſtimulant.*

*Doſis grana quindecim ad drachmam ſemis.*

## PILULÆ CEPHALICÆ.

*REC.* Maſſæ pilularum de Succino,
Cochiarum
ana unciam
unam,
Specierum Diambræ drachmam
unam.
Fiat maſſa cum eſſentia Succini.

*Sunt leniter purgantes, & conveniunt dolore dentium & aurium tinnitu laborantibus; proſunt etiam in fauciuin pituitoſis tumoribus.*

*Doſis grana quindecim ad drachmam ſemis.*

## PILULÆ COCHIÆ RHASIS.

*REC.* Specierum Hieræ picræ Rhaſis
drachmas decem,
Trochiſcorum Alhandal drachmas tres, ſcrupulum unum,
Diacrydii drachmas duas ſemis,
Stœchadis Arabicæ,
Turbith ana drachmas quinque,
Syrupi de Stœchade, quantum
ſatis.
Fiat maſſa.

*In affectibus capitis, ad pituitam evacuandam uti illis ſolent.*

*Doſis grana quindecim ad viginti. Scrupulus continet Diacrydii grana duo, de Trochiſcis Alhandal grana tria.*

## PILULÆ DE CYNOGLOSSO.

*REC.* Radicum ſiccarum Cynogloſſi,
Seminis Hyoſcyami albi,
Extracti Opii ana unciam ſemis,
Myrrhæ drachmas ſex,
Thuris drachmas quinque,
Styracis calamitæ,
Caryophyllorum,
Cinnamomi ana drachmas duas.
Succi de Cynogloſſo & Syrupi Violarum ana quantum ſufficit, fiat pilularum maſſa.

*Catarrhos tenues ſiſtunt, tuſſim mitigant, hæmoptoicis & ſtranguria laborantibus proſunt, dolores ſedant.*



*Drachma una hujus maſſæ grana octo opii complectitur.*

*Doſis grana tria ad quinque.*

## PILULÆ DE CYNOGLOSSO CUM CASTOREO.

Adde ſpeciebus modo dictis,
Croci,
Caſtorei ana drachmas duas.

*Vires ſunt, uti præcedentium, ac eadem, vel paulo majori doſi poſſunt dari.*

## PILULÆ EMANUELIS.

*REC.* Aloës Succotrinæ unciam unam,
Myrrhæ electæ drachmas duas,
Croci Orientalis drachmam unam.
Cum Mithridatio Damocratis fiat maſſa.
Cum *Pilulis Ruffi* conveniunt.

*Alvum ſolvunt, ventriculum & inteſtina a flatibus & vitioſis humoribus liberant.*

*Doſis ſcrupulus ſemis ad ſcrupulum unum.*

## PILULÆ FOETIDÆ MAJORES.

*REC.* Hermodactylorum,
Eſulæ Aceto antea maceratæ,
ana drachmas duas,
Turbith drachmas quatuor,
Zinziberis drachmam unam ſemis,
Spicæ Indicæ drachmam unam,
Epithymi,
Colocynthidis,
Seminis Rutæ hortenſis,
Sagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellii,
Aloës ana drachmas quinque,
Euphorbii ſcrupulos duos,
Scammonii præparati drachmas tres,
Cinnamomi,
Croci,
Caſtorei ana drachmam unam,
Suc-

Succi Porri depurati quantum ſatis.

Fiat maſſa; gummi in porri ſucco ſolvantur, quibus deinde Euphorbium per ſe tritum, una cum ceteris, addatur, pinſantur, ut in paſtam abeant.

*Ad uteri & menſium vitia, nec non arthriticos affectus & febrem quartanam laudantur; pituitam viſcidam reſolvunt & educunt.*

*Doſis a ſcrupulo ſemis ad integram.*

## PILULÆ HIERÆ, CUM AGARICO.

*REC.* Specierum Hieræ picræ Galeni,
Agarici trochiſcati ana unciam ſemis,
Aloës unciam unam,
Spiritus vini quantum ſatis.

Fiat maſſa.

*Ad aſthma humoroſum, anorexiam, aliosque thoracis & ventriculi affectus commendantur.*

*Dimidiam partem facit Aloë; dari igitur poteſt a ſcrupulo ſemis ad integrum.*

## PILULÆ HYDROPICÆ BONTII.

*REC.* Aloës optimæ drachmas duas ſemis,
Gummi Guttæ, ſubtiliter triti & vino diſſoluti, drachmam unam ſemis,
Diacrydii, eodem modo parati drachmam unam,
Gummi Ammoniaci drachmam unam ſemis,
Tartari vitriolati drachmam ſemis.

Fiat maſſa.

*Serum potenter educunt, & obſtructiones reſolvunt.*

*Dari hydropicis poſſunt a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.*

## PILULÆ HYSTERICÆ.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Calami aromatici,
Leviſtici,
Oſtrutii,
Valerianæ,
Zedoariæ ana unciam ſemis,
Herbarum Menthæ,
Pulegii,
Rutæ,
Florum Chamomillæ Rom.
Baccarum Lauri,
Corticum Aurantiorum ana drachmas ſex.

Inciſa & contuſa infundantur in Spiritus vini libris quatuor. Stent in digeſtione ad ſufficientem extractionem, exprimantur; Expreſſo per chartam filtrato adde aquæ fontanæ uncias octo, atque ſpiritus calore balnei abſtrahatur. Reſiduo ad extracti mollioris conſiſtentiam evaporato addantur
Myrrhæ electæ,
Succini præparati,
Caſtorei Orientalis,
Croci ana drachmæ duæ,
Olei Rutæ,
Succini ana guttæ duodecim.

Fiat maſſa, & pro lubitu pilulæ.

*Vires ex titulo patent, nimirum uterinæ, anticolicæ & nervinæ. Maſſa hæc pilularis, pro intentione Medici, vel Laudano opiato, vel limatura Martis, vel laxantibus commiſceri, vel ſola exhiberi poteſt.*

*Doſis grana decem ad quindecim.*

## PILULÆ LUCIS MAJORES, ſive OPTICÆ.

*REC.* Valerianæ radicis,
Euphraſiæ ana drachmas duas,
Seminum Fœniculi,
Seſeleos,
Ligni Aloës,
Sandali citrini.
Cubebarum,
Cardamomi,

Agarici,
Corticum ligni Saſſafras ana drachmam unam,
Succini præparati drachmas tres,
Trochiſcorum Alhandal drachmam unam,
Extracti Aloës uncias duas.
Miſce, fiat maſſa.

*Attribuuntur vires, excrementa pituitoſa e cerebro & oculis evacuandi, viſum conſervandi & obfirmandi.*

*Doſis ſcrupulus ſemis ad ſcrupulum unum, ante cubitum.*

## PILULÆ MASTICHINÆ.

*REC.* Maſtiches electæ drachmas quatuor,
Agarici optimi drachmas tres,
Aloës electæ drachmas decem.
Fiat omnium ſubtiliſſimus pulvis, & ex hoc, ſufficiente quantitate Aquæ Menthæ, maſſa pilularis.

*Ad ventriculi affectus præcipue commendantur, oculorum aciem, humores ſubducendo, confortant.*

*Doſis grana decem ad viginti.*

## PILULÆ MERCURIALES.

*REC.* Extracti Panchymagogi,
Catholici,
Reſinæ Jalappæ,
Mercurii dulcificati,
Diacrydii ana drachmam unam,
Eſſentiæ ligni Saſſafras quantum ſatis.
Fiat maſſa.

*Non ſolum in morbis venereis, ſed etiam aliis a lymphæ vitiis ortis, & ad lumbricos expellendos dari poſſunt.*

*Doſis grana duodecim vel quindecim.*

## PILULÆ POLYCHRESTÆ BALSAMICÆ.

*REC.* Extracti Aloës ſucco citri parati unciam unam ſemis,
Abſinthii,
Centaurii minoris,
Cardui benedicti,
Cochleariæ,
Myrrhæ electæ ana drachmas tres,
Gummi Hederæ,
Reſinæ Juniperi, ſive Gummi Sandaracæ,
Maſtiches electæ,
Benzoës ana drachmam unam ſemis.
Miſce, fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ foliis lunæ obducendæ.

*Pilulæ hæ, niſi easdem, tamen haud multo inferiores cum illis celeberrimi Stahlii, vires habent; ſunt autem multo magis aloeticæ. Alvum exſtimulant, aperiunt, incidunt, & ventriculum, cum reliquis viſceribus, roborant.*

*Doſis ſcrupulus ſemis ad grana viginti.*

## PILULÆ POLYCHRESTÆ STARCKEY.

*REC.* Extracti Opii Thebaici, aqua fontana parati,
Pulveris radicum Liquiritiæ,
Ellebori nigri,
Ellebori albi
ana unciam unam,
Saponis tartarei, vel correctoris, uncias tres.
Miſce, fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ.

*Prædicantur polychreſtæ, diureticæ, diaphoreticæ, anodinæ, quæ felici cum ſucceſſu in febribus, præcipue tertiana & quartana, catarrhis, doloribus, tuſſi, diarrhœis, ulceribus & apoſtematibus dari poſſint.*

*Doſis grana duo, tria, ad ſcrupulum ſemis.*

## PILULÆ SCILLITICÆ, PHARM. EDINBURG.

*REC.* Scillæ recentis,
Gummi ammoniaci electi,
Millepedum ana unciam ſemis,
Saponis puriſſimi unciam unam.

Bal-

Balſami de Copaiva drachmam.
Fiat maſſa pilularis.

*Reſolvunt, atque ictericis, hydropicis, febre quartana &c. laborantibus conducunt.*

*Doſis grana decem ad ſcrupulum unum.*

## PILULÆ SOLARES WILDEGANSII.

*REC.* Opii Thebaici optimæ notæ, aqua ſimplici aut pluvia ſoluti, colati, ac ad juſtam conſiſtentiam rurſus inſpiſſati & ſiccati, unciam unam,
Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ rubræ,
Croci optimi,
Antimonii diaphoretici,
Salis cornu cervi volatilis,
Trochiſcorum de viperis,
Auri fulminantis ana drachmam unam,
Olei Caryophyllorum guttas quinquaginta.

Miſce, fiant pilulæ minores & foliis lunæ obducantur.

*Sunt anodynæ & ſudoriferæ. Ultra dimidiam partem Opium conſtituit.*

*Doſis granum unum ad duo, vel tria.*

## PILULÆ SPLENETICÆ.

*REC.* Gummi Ammoniaci electi,
Extracti Aloës gummoſi ana unciam unam ſemis,
Myrrhæ electæ,
Radicis Bryoniæ ana drachmas duas.

Miſce, fiat maſſa pilularis.

*In affectibus hypochondriacis, menſtruis retentis, commendabiles ſunt.*

*Doſis grana duodecim ad viginti duo.*

## PILULÆ DE STYRACE SINE AMBRA.

*REC.* Styracis calamitæ unciam ſemis,
Succi Liquiritiæ inſpiſſati drachmas tres,
Olibani electi,
Benzoës,
Maſtiches,
Extracti Opii ana drachmas duas,
Croci Orientalis drachmam unam.

Miſce, fiat, addita Eſſentia Succini, maſſa.

*Vires ſunt anticatarrhales, tuſſim aliasque moleſtias, ſicut Pilulæ de Cynogloſſo, mitigantes.*

*Grana ſedecim hujus maſſæ grana duo Opii continent; pro doſi itaque grana quatuor, ſex, vel ad duodecim usque, dari poſſunt. Dantur autem ante ſomnum, & commode atque utiliter cum maſſæ pilularum de Succino anatica portione.*

## PILULÆ DE SUCCINO AUCTÆ.

*REC.* Maſſæ pilularum de Succino Cratonis drachmas novem,
Magiſterii, vel reſinæ Jalappæ drachmas tres.

Miſceantur, & ex drachma una formentur pilulæ ſexaginta.

*A longo tempore, ſub titulo:* Verſtärkte Agtſtein-Pillen, *in officinis noſtris in uſu ſunt. Eosdem habent effectus, quos ſequentes, propter reſinam vero Jalappæ magis ſunt purgantes.*

*Jalappæ magiſterium conſtituit quartam maſſæ partem.*

*Raro ultra quindecim grana exhibentur.*

## PILULÆ DE SUCCINO CRATONIS.

*REC.* Succini præparati unciam unam ſemis,
Maſtiches unciam unam,
Agarici trochiſcati drachmas ſex,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ drachmas duas,
Aloës Succotrinæ uncias duas ſemis.

Miſce, & addita Eſſentia Succini, ſufficiente quantitate, fiat maſſa.

*Ad catarrhales affectus, oculorum, aurium & dentium dolores, pituitam a capite revellendam commendantur.*

*Doſis grana duodecim ad viginti.*

## PILULÆ TARTAREÆ BONTII.

*REC.* Aloës Succotrinæ electæ unciam unam ſemis,
Gummi Ammoniaci electi drachmas ſex,
Tartari vitriolati drachmas quatuor,
Aceti ſcilliciti, quantum ſufficit.

*Viſcidos humores reſolvunt. Conveniunt hypochondriacis, viſcerum obſtructiones tollunt, alvum leniter ſubducunt.*

*Doſis a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum.*

## PILULÆ TARTAREÆ SCHROEDERI.

*REC.* Aloës Succotrinæ, ſucco fragorum nutritæ, unciam unam,
Gummi Ammoniaci in granis drachmas tres,
Vitrioli Martis,
Extracti Croci ana drachmam unam,
Terræ foliatæ tartari drachmas duas,
Extracti Gentianæ drachmam unam ſemis,
Tincturæ tartari Q. S.

*Eſt purgans, quod ſecure ad bilioſos humores, & febrium intermittentium fomitem expurgandum exhiberi poteſt.*

*Dimidiam partem facit Aloë.*

*Doſis grana viginti ad drachmam ſemis.*

## PILULÆ DE TEREBINTHINA.

*REC.* Terebinthinæ coctæ unciam unam ſemis,
Succini præparati,
Maſtiches,
Olibani,
Succi Liquiritiæ,
Rhabarbari veri,
Oſſis Sepiæ,
Boli Armenæ ana drachmas duas.

Fiat maſſa.

*Virtutes ſunt balſamicæ, conſolidant, urinam cient, in gonorrhœa & fluore albo utiliter adhibentur.*

## PLUMBUM USTUM.

Liquetur plumbum in patina terrea plana, atque ſpatula ferrea agitetur, & ſine alterius rei additione, in calcem griſeam abibit, quæ pulveriſata ſervanda eſt.

*Siccat, & ad Emplaſtrum Saturninum requiritur.*

## PULMONES VULPIS PRÆPARATI.

Coquuntur parum in vino, cum Abſinthii portione, poſtea exſiccantur.

*Paratur ex his Looch, quod habetur ſpecificum antaſthmaticum, & in tuſſi & phthiſi laudatur.*

## PULPA CASSIÆ.

*REC.* Fiſtularum Caſſiæ ponderoſarum, quantum libet.

Aperiantur, & pulpa ſeu medulla, cum ſeminibus, diligenter eximatur, in aquæ calidæ ſufficiente quantitate diſſolvatur, & per cribrum trajiciatur; lento igne ad mellis conſiſtentiam redactæ libræ uni tantundem ſacchari albi addatur, & ad juſtam conſiſtentiam coquantur.

*Bilem & pituitam blande educit, & calculoſis convenit; pueris recens natis ad educendum meconium datur a drachma ſemis, ad ſcrupulos duos adultioribus autem ab uncia una, ad unciam unam ſemis.*

## PULPA TAMARINDORUM.

Eodem modo, quo Caſſiæ pulpa, paratur.

*Hu-*

*Humectat, sanguinem depurat, bilem temperat, & blande educit.*

*Dosis drachmæ sex ad unciam unam.*

Pari modo etiam e pasulis & prunis, in aqua fontana ad mollitiem coctis, paratur:

## PULPA PASSULARUM ET PRUNORUM.

## PULVIS CONTRA ABORTUM CUM SACCHARO.

*REC.* Granorum Chermes unciam semis,
Ligni Sandali rubri,
Florum Rosarum rubrarum,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Rasuræ Eboris ana drachmas tres,
Mastiches,
Nucis Moschatæ ana drachmam unam,
Sacchari albissimi ad pondus omnium.

*Gravidis abortum timentibus, inter tragea, vel solus datur, ad drachmam pro dosi.*

## PULVIS ABSORBENS WEDELII.

*REC.* Vitrioli Martis drachmas sex,
Concharum præparatarum,
Lapidum Cancrorum præparatorum,
Coralliorum,
Antimonii diaphoretici,
Cinnabaris nativæ ana drachmas decem,
Laudani opiati drachmam unam,
Olei Caryophyllorum guttas sexaginta.

Misce, fiat pulvis.

*Est absorbens, sudoriferus & anodynus; subvenit hypochondriacis & hystericis, palpitatione cordis & aliis molestis symptomatibus correptis.*

*Drachma una hujus pulveris granum unum habet Laudani opiati, & grana sex Vitrioli martis.*

*Dosis a granis octo ad duodecim.*

## PULVIS ALEXIPHARMACUS RUBER.

*REC.* Nitri crudi crystallini unciam unam semis,
Oculorum Cancrorum, acido Citri saturatorum, unciam unam,
Boli Armenæ unciam semis,
Camphoræ drachmam unam.

Misce, fiat pulvis in vitro servandus.

*Vires e titulo patent.*

*Dosis scrupulus unus ad scrupulos duos.*

## PULVIS ALEXIPHARMACUS CAMERARII.

*REC.* Boli Armenæ,
Terræ sigillatæ,
Radicum Dictamni albi,
Tormentillæ ana unciam semis,
Angelicæ,
Gentianæ,
Petasitidis,
Zedoariæ ana drachmas duas,
Cornu cervi usti præparati,
Rasuræ Eboris,
Coralliorum rubrorum,
Corticum citri ana scrupulos duos.

Misce, fiat pulvis.

*Virtutes prædicantur, uti ex titulo cognoscitur, alexipharmacæ, & præsertim in dysenteria epidemica adhibetur.*

*Dosis scrupulus unus ad drachmam semis.*

## PULVIS ALEXIPHARMACUS sive BEZOARDICUS ROLLWAGII.

*REC.* Reguli Antimonii medicinalis,
Radicis Contrayervæ ana drachmas sex,
Boli Armenæ,
Terræ sigillatæ rubræ,

Cornu Alcis ſine igne præparati ana unciam ſemis,
Cryſtalli montanæ præparatæ,
Coralliorum præparatorum,
Matris perlarum præparatæ,
Oculorum cancrorum ana drachmam unam,
Sacchari tabulati citrati unciam ſemis.

Miſce, fiat pulvis.

*Laudatur hic pulvis in diverſi generis febribus continuis, morbillis, variolis & aliis exanthematibus.*

*Drachma una continet Reguli Antimonii medicinalis grana duodecim.*

*Doſis ad ſcrupulum unum vel drachmam ſemis.*

## PULVIS ANALEPTICUS FRIGIDUS MINDERERI INCOMPLETUS.

*REC.* Specierum cordialium temperatarum, incompletarum, drachmas quatuor,
Specierum de Gemmis frigidarum drachmas duas,
Foliorum Auri numero duodecim,
Foliorum Argenti numero tria,
Sacchari perlati uncias tres.

Miſce, fiat pulvis.

*Confortans credebatur tam ad virium conſervationem, quam reſtaurationem utilis.*

*Doſis drachma dimidia ad integram.*

Idem redditur COMPLETUS addendo Ambræ griſeæ ſcrupulos duos, in ſpiritu Roſarum ſolutæ.

*Doſis ſcrupulus unus ad duos.*

## PULVIS ANODINUS CAMERARII.

*REC.* Extracti Opii,
Sandali rubri ana ſcrupulum unum,
Coralliorum rubrorum præparatorum ſcrupulos quatuor.

Miſce, fiat pulvis.

*Effectus e titulo cognoſcitur. Sextam partem Opium conſtituit.*

*Doſis grana ſex ad decem.*

## PULVIS ANODINUS LUDOVICI.

*REC.* Extracti Opii, aqua fontana parati, drachmam unam,
Coralliorum rubrorum præparatorum drachmas duas.

Miſce.

*Easdem vires, quas Laudanum opiatum, habet, & commode pulveribus aliis, ubi anodynum deſideramus, additur.*

*Doſis grana tria ad ſex. Tertiam partem facit opium.*

## PULVIS ANONYMUS.

*REC.* Seminum Papaveris albi, drachmas duas,
Portulacæ,
Cydoniorum,
Malvæ,
Bombacis ana drachmam unam ſemis,
Cicerum rubrorum drachmam ſemis,
Cinnamomi,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Amyli ana drachmas duas,
Succi Hypociſtidis,
Boli Armenæ,
Cornu cervi uſti,
Raſuræ eboris ana drachmam ſemis,
Sacchari penidii unciam unam ſemis,
albi candi uncias ſex.

Miſce, fiat pulvis.

*Tabidis & phthiſicis præſcribitur; tenues & ſalſos catarrhos ſiſtit, ac defluxiones acres, fauciumque aſperitates & ardorem urinæ mitigat.*

*Sumitur a drachma una ad drachmas duas.*

*Ob ſemina oleoſa facile rancescit, ideo nunquam, niſi a Medico præſcribatur, parandus.*

## PULVIS ANTARTHRITICUS WEPFERI.

*REC.* Lumbricorum terreſtrium exſiccatorum unciam unam ſemis,
Cornu cervi philoſophice præparati,
Raſuræ eboris,
Oculorum cancrorum,
Cinnabaris nativæ ana drachmas duas,
Antimonii diaphoretici ſimplicis unciam ſemis,
Nitri cryſtalliſati drachmas ſex,
Sacchari albi unciam unam ſemis,
Olei nuciſtæ ſcrupulum ſemis.
Miſce, fiat pulvis.

*Ad arthriticorum dolores, ſpaſmos, quin motus convulſivos leniendos adhibetur.*
*Doſis ſcrupulus unus ad ſcrupulos duos, & drachmam unam.*

## PULVIS ANTILYSSUS LOND.

*REC.* Lichenis cinerei terreſtris uncias duas,
Piperis nigri unciam unam.
Fiat pulvis.

*Commendatur in Tranſactionibus philoſophicis Anglicis ad canis rabioſi morſus, multisque experimentis probatur.*
*Doſis ſcrupuli duo ad quatuor.*

## PULVIS ANTISPASMODICUS NITROSUS.

*REC.* Nitri puriſſimi cryſtalliſati,
Tartari vitriolati ana uncias duas,
Cinnabaris puriſſimæ drachmas tres.
Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

*Commendatur ad motus ſpaſticos & convulſivos præcavendos & ſedandos, nec non æſtum nimium ſanguinis temperandum.*
*Doſis a ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis, vel ſcrupulos duos.*

## PULVIS CONTRA ACREDINEM.

*REC.* Antimonii diaphoretici ſimplicis uncias duas,
Lapidum cancrorum,
Concharum præparatarum ana unciam unam.
Miſce, fiat pulvis.

*Acidum abſorbet; commendatur ad ardorem ſtomachi, & acrimoniam in primis viis hærentem.*
*Doſis ſcrupulus unus, vel drachma ſemis.*

## PULVIS BEZOARDICUS ALBUS LUDOVICI.

*REC.* Cornu cervi, ſine igne præparati, uncias tres,
Terræ ſigillatæ albæ,
Unicornu foſſilis ana unciam unam ſemis.
Miſce, ſubtiliſſime trita.

*Præfertur ab Auctore aliis pretioſis pulveribus in variolis, morbillis, convulſionibus ab acido, in primis viis infantum, in diarrhœa aliisque ejusmodi morbis.*
*Doſis a ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum, vel drachmam ſemis.*

## PULVIS BEZOARDICUS ANGLICUS COMPLETUS ſive KENTIANUS.

*REC.* Apicum nigrorum chelarum cancrorum, ſubtiliſſime pulveriſatorum,
Radicis Contrayervæ ana uncias duas,
Margaritarum præparatarum,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
alborum,
Lapidum cancrorum,
Cornu cervi uſti ana unciam unam,
Bezoar Orientalis,
Terræ Lemniæ ana unciam ſemis,
Antimonii diaphoretici uncias duas.

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

NB. Cornu cervi uſtum & oculi cancrorum, corallia & margaritæ antea ſucco citri ſaturanda & exſiccanda ſunt.

## PULVIS BEZOARDICUS ANGLICUS INCOMPLETUS.

*REC.* Apicum nigrorum chelarum cancrorum, ſubtiliſſime pulveriſatorum,
Radicis Contrayervæ ana uncias duas,
Matris Perlarum,
Coralliorum rubrorum,
alborum,
Lapidum cancrorum,
Cornu cervi uſti ana drachmas novem,
Terræ Lemniæ unciam ſemis,
Antimonii diaphoretici ſimplicis uncias duas.

Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

NB. Mater Perlarum, corallia, lapides cancrorum, & cornu cervi uſtum, antea ſucco citri ſunt imbibenda & exſiccanda.

*Commendatur uterque in febribus malignis, epidemicis, petechizantibus, variolis, morbillis.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam dimidiam.*

## PULVIS BEZOARDICUS HALENSIS.

*REC.* Antimonii diaphoretici,
Nitri depurati,
Concharum præparatarum,
Tartari vitriolati, ana unciam unam,
Cinnabaris factitiæ præparatæ drachmam unam ſemis.

Miſce, fiat pulvis.

*Compeſcendo ſanguinem rarefactum, ſolvendo humores lentos, vias excretorias ſtimulando, diapnoen movere valet.*

*Doſis ſcrupulus unus, vel drachmam ſemis.*



## PULVIS BEZOARDICUS SENNERTI.

*REC.* Cornu Cervi philoſophice calcinati drachmas ſex,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Lapidis Bezoar Orientalis,
Margaritarum præparatarum,
Oculorum cancrorum præparatorum,
Succini præparati,
Terræ ſigillatæ albæ ana ſcrupulos quatuor,
Oſſium de cordibus cervorum,
Hyacinthi præparati,
Sapphiri præparati,
Rubini præparati,
Smaragdi præparati ana ſcrupulos duos,
Foliorum auri nnmero duodecim.

Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui etiam ſine Bezoar præparandus, & ſub titulo:

## PULVERIS BEZOARDICI INCOMPLETI

reponendus.

*In febribus malignis epidemicis, variolis & morbillis olim dabatur.*

*Rationalis theoria tantum non omnes ejusmodi pulveres compoſitos, bezoardicorum & alexipharmacorum titulo ſuperbientes, hodie ex praxi medica proſcribit.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## PULVIS CACHECTICUS QUERCETANI INCOMPLETUS.

*REC.* Limaturæ chalybis ſulphure præparatæ unciam unam,
Radicum Ari præparatarum,
Coralliorum præparatorum,
Matris perlarum præparatæ ana drachmas duas,
Cornu cervi philoſophice præparati,
Succini præparati,

Cin-

Cinnamomi ana ſcrupulos quatuor,
Sacchari ad pondus omnium, ſive uncias duas, drachmas duas.

Miſce, fiat pulvis.

*In Cachexia, levcophlegmatia, febre alba virginum, ictero & reliquis morbis, ex atonia viſcerum ortis, bonam præſtat opem.*

*Doſis ſcrupulus unus, vel ſcrupuli duo. Grana triginta ſex continent grana octo limaturæ chalybis.*

Si COMPLETUS expetatur, addatur Ambræ griſeæ drachma una ſemis, & loco Matris perlarum ſumantur Margaritæ præparatæ.

## PULVIS AD CALCULUM.

*REC.* Radicum Pareiræ bravæ unciam unam,
Altheæ,
Liquiritiæ,
Seminis Lycopodii,
Lapidum cancrorum, acido citri ſaturatorum,
Percarum,
Operculorum cochlearum,
Succini præparati,
Millepedum præparatorum ana drachmas duas,
Florum cardui ſtellati unciam unam.

Miſce, fiat pulvis.

*In calculo renum, nephritico dolore, tam curative, quam præſervative commendatur.*

*Doſis in junioribus a ſcrupulo ſemis ad grana quindecim, adultioribus ſecure drachma ſemis, vel ſcrupuli duo propinari poſſunt.*

## PULVIS CONTRA CASUM.

*REC.* Terræ ſigillatæ,
Sanguinis Draconis,
Mumiæ ana unciam unam,
Rhabarbari drachmas duas.

Miſce, fiat pulvis.

Spermatis ceti uncia ſemis ordinario hanc compoſitionem quoque ingreditur; cum vero brevi ranceſcat, præſtat, illud tum demum addere, cum actu pulvis in uſum vocatur.

*Commendatur lapſis, contuſis & ubicunque ſanguis reſolvendus eſt. An merito?*

*Doſis drachma dimidia ad ſcrupulos duos.*

## PULVIS CEPHALICUS ALBUS.

*REC.* Succini præparati,
Matris Perlarum præparatæ,
Smaragdi præparati ana unciam ſemis,
Ligni Aloës,
Radicis Pæoniæ ana drachmas duas,
Unicornu marini,
Viſci querni ana drachmam unam ſemis,
Sacchari perlati uncias duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Commendatur ad morbos capitis; ſed nonniſi ab illis, qui eum nervos confortare, & epilepticis ac convulſivis motibus reſiſtere credunt.*

*Doſis drachma ſemis ad ſcrupulos duos.*

## PULVIS CEPHALICUS CAMERARII, CUM SACCHARO.

*REC.* Cornu Alcis, ſine igne præparati,
Cervi, ſine igne præparati, ana drachmas tres,
Cranii humani præparati drachmas ſex,
Cryſtalli montanæ,
Succini præparati,
Ungulæ Alcis ana drachmam unam,
Cinnabaris nativæ drachmam ſemis,
Sacchari albi unciam unam ſemis.

Miſce, fiat pulvis.

*Ad ſpaſmodicos dolores capitis, hemicra-*

*craniam & epilepſiam, tam adultis, quam pueris, ab Autore dabatur.*
*Doſis ſcrupulus ſemis ad ſcrupulos tres.*

## PULVIS CEPHALICUS WINTERI.

*REC.* Radicis Pæoniæ drachmas ſex,
Seminis ejusdem excorticati drachmam unam ſemis,
Viſci querni drachmas duas,
Ungulæ Alcis ſcrupulos duos,
Cornu cervi philoſophice præparati drachmam unam ſemis,
Unicornu foſſilis,
Dentium Hippopotami ana drachmam ſemis,
Cranii humani drachmam unam,
Cinnabaris nativæ,
Succini albi ana drachmam ſemis,
Coralliorum rubrorum ſcrupulos duos,
Chryſolithi,
Smaragdi,
Margaritarum præparatarum ana ſcrupulos duos,
Foliorum auri numero duo.
Fiat pulvis.
*Cum pulvere epileptico rubro convenit, & easdem habet virtutes.*
*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## PULVIS CERVINUS CAMERARII.

*REC.* Oſſium cervi uncias quinque drachmas tres,
Cornu cervi, philoſophice præparati uncias duas drachmam unam,
Cornu cervi uſti unciam unam drachmas duas ſemis.
Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.
*Vires Autori videbantur bezoardicæ & cordiales, atque in febribus malignis & dyſenteria commendabatur.*
*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam dimidiam.*



## PULVIS E CHELIS CANCRORUM COMPOSITUS MINUS PRETIOSUS.

*REC.* Matris Perlarum præparatæ,
Oculorum Cancrorum,
Coralliorum rubrorum,
Succini albiſſimi,
Cornu cervi, philoſophice præparati, ana unciam ſemis,
Chelarum cancrorum uncias duas ſemis,
Miſce, fiat pulvis.
*Locum habet, ubi abſorbentia conducunt.*
*Doſis drachma ſemis.*

## PULVIS E CHELIS CANCRORUM PRETIOSUS.

*REC.* Lapidis Bezoar Orientalis,
Margaritarum Orientalium,
Coralliorum rubrorum,
Succini albi,
Cornu cervi, ſine igne præparati,
Lapidum cancrorum ana unciam ſemis,
Chelarum cancrorum uncias tres.
Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.
*Laudabatur in morbis acutis, febribus malignis, variolis & morbillis, ſed a priori parum differt.*
*Doſis ſcrupulus ad drachmam dimidiam.*

## PULVIS ANTI-COLICUS CAMERARII.

*REC.* Raſuræ eboris uncias duas,
Cornu cervi uſti præparati drachmas ſex,
Cryſtalli montanæ præparatæ unciam ſemis,
Salis Chamomillæ,
Abſinthii ana drachmas tres,
Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.
*In colica, ab acrimonia bilioſa, & acido in primis viis, orta, nec non ad infantum diarrhœam bilioſam, commendabatur ab Autore.*

*Doſis*

*Dosis in adultis a scrupulo uno ad duos; infantibus scrupulus semis.*

## PULVIS CONFORTANS CAMERARII.

*REC.* Boli Armenæ præparatæ drachmam unam,
Terræ sigillatæ Silesiacæ,
Turcicæ rubræ ana drachmam semis,
Lapidum Carneoli præparati,
Granati,
Hyacinthi,
Sapphiri,
Smaragdi ana scrupulos duos, grana quinque,
Succini præparati,
Coralliorum alborum,
rubrorum,
Margaritarum Orientalium,
Lapidis Bezoar Occidentalis,
Orientalis ana drachmam unam,
Cornu cervi philosophice calcinati drachmas quatuor semis,
Ungularum Alcis,
Dentium apri,
Cornu cervi aurati,
Pulveris Solaris ana drachmam semis,
Cinnabaris nativæ drachmam unam.

Misce, fiat omnium pulvis subtilissimus.

*Vires præsumtivæ e titulo patent.*
*Dosis scrupulus unus, vel drachma semis.*

## PULVIS CONTRAYERVÆ COMPOSITUS.

*REC.* Cornu cervi usti præparati,
Coralliorum rubrorum,
Margaritarum,
Lapidum cancrorum,
Succini albi ana drachmas duas,
Croci drachmam semis,
Cochinellæ drachmam unam,
Serpentariæ Virginianæ drachmam unam semis,
Chelarum cancrorum drachmas tres,
Radic. Contrayervæ unciam dimidiam.

Misce, fiat pulvis.

*Viribus cum Pulvere bezoardico Anglico convenit, viliori tamen pretio constat.*

*Dosis scrupulus unus ad drachmam dimidiam.*

## PULVIS CORDIALIS CELLENSIS.

*REC.* Sacchari candi albi uncias duas.
Cinnabaris nativæ Hungaricæ drachmas sex,
Olei Cinnamomi scrupulos duos;

Fiat pulvis.

*Eximias possidet virtutes analepticas, cordiales & stomachicas.*
*Adhibetur cuspidatim.*

## PULVIS CORNACHINUS, sive COMITIS DE WARWICK.

*REC.* Diacrydii sulphurati uncias duas,
Antimonii diaphoretici unciam unam semis,
Cremoris Tartari crystallini unciam semis.

Fiat pulvis.

*Est purgans, quod in febribus, aliisque morbis, ad primas vias a vitiosis humoribus purgandas, exhiberi potest.*

*Dosis a scrupulo uno ad scrupulos duos.*

## PULVIS COSMETICUS AD MANUS.

*REC.* Amygdalarum dulcium excorticatarum libras duas,
Oryzæ,
Iridis Florentinæ ana uncias quatuor,
Benzoës,
Salis Tartari,

Spermatis ceti ana unciam unam,
Olei deſtill. ligni Rhodii,
Lavendulæ,
Caryophyllorum
ana guttas triginta.
Fiat omnium pulvis.

*Uſus patet ex nomine.*

## PULVIS DENTIFRICIUS.

*REC.* Laccæ pictoriæ in globulis,
Oſſium Sepiæ,
Radicis Iridis Florentinæ ana unciam unam,
Cremoris Tartari drachmas ſex,
Caryophyllorum aromaticorum,
Myrrhæ,
Maſtiches ana drachmas duas.
Miſce, fiat pulvis.

*Mundat & firmat dentes, quotidie fricandos.*

## PULVIS DIGESTIVUS.

*REC.* Concharum præparatarum unciam unam,
Tartari vitriolati uncias duas.
Miſce, fiat pulvis.

*Corrigit cruditates acidas, et incidit viſcidas in primis viis. Commode laxantibus præmittitur.*
*Doſis ſcrupulus unus, ad duos.*

## PULVIS DYSENTERICUS.

*REC.* Radicum Contrayervæ unciam ſemis,
Tormentillæ,
Cornu cervi uſti præparati,
Terræ Lemniæ ana drachmas tres,
Gummi Arabici,
Maſtiches ana drachmas duas.
Miſce, fiat pulvis.

*Adſtringens quidem eſt hic pulvis, in dyſenteria tamen epidemica circumſpectus ejus uſus non infelicem edere poteſt effectum. Dari etiam poteſt in diarrhœis, & ubi adſtrictione opus eſt.*
*Doſis drachma ſemis.*

## PULVIS AD DYSURIAM, ſive MITIGANS WEPFERI.

*REC.* Radicum Altheæ unciam unam,
Liquiritiæ unciam ſemis,
Seminum Bombacis,
Papaveris albi,
Portulacæ ana drachmas duas,
Hordei,
Boli Armenæ præparatæ ana unciam ſemis,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ albæ ana drachmam unam,
Sacchari albi unciam dimidiam.
Miſce, fiat pulvis.

*Demulcet, & non ſolum dyſuria vexatis, ſed & tuſſi ſicca, a materia acri, laborantibus prodeſt.*
*Doſis drachma dimidia ad integram.*

## PULVIS EPILEPTICUS CELLARII CUM CASTOREO.

*REC.* Radicis Pæoniæ,
Seminis ejusdem ana unciam ſemis,
Unicornu marini,
Margaritarum ana drachmas duas,
Lapidum quinque pretioſorum ana grana quadraginta quinque,
Caſtorei,
Viſci querni,
Ungulæ Alcis,
Coralliorum rubrorum ana drachmas duas,
Cranii humani præparati drachmam unam ſemis,
Pulveris Viperarum drachmam unam.
Miſce, fiat pulvis.

*Commendatur ad epilepſiam, aliosque motus convulſivos, præcipue hyſtericos.*

Da-

*Datur à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.*

## PULVIS EPILEPTICUS AD GUTTETAM RIVERII.

*REC.* Radicum Pæoniæ,
Dictamni albi,
Viſci querni ana unciam ſemis,
Seminum Atriplicis drachmas duas,
Pæoniæ,
Ungulæ alcis unciam ſemis,
Cranii humani præparati unciam unam,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Hyacinthi ana drachmam unam ſemis;
Omnibus optime tritis adde
Foliorum auri numero quinquaginta.

*Ad convulſiones & epilepticos motus puerorum multum laudatur.*
*Doſis ſcrupulus ſemis ad drachmam ſemis.*

## PULVIS EPILEPTICUS HOLSATICUS.

*REC.* Radicum Pæoniæ,
Gentianæ ana uncias duas,
Herbæ Betonicæ,
Chamædryos,
Pentaphylli,
Florum Pæoniæ,
Liliorum convallium,
Violarum,
Tiliæ, ana unciam unam,
Seminum Coriandri,
Pæoniæ excorticatorum.
Viſci querni ana unciam ſemis,
Raſuræ ungulæ Alcis uncias duas,
Aſini drachmas quinque,
Cornu cervi,
Cornu cervi, ſine igne præparati, ana unciam unam,
Cranii humani præparati drachmas ſex,
Coralliorum rubror. præpar.
albor.
Margaritar. Oriental. præpar. ana unciam ſemis,
Foliorum auri Nro. viginti quatuor.
Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

*Cum antecedente convenit; commendatur nimirum ad convulſivos & epilepticos motus, atque merito aliis hujus generis pulveribus, ex lapidibus pretioſis compoſitis, præfertur.*
*Doſis ſcrupulus ſemis ad drachmam dimidiam.*

## PULVIS EPILEPTICUS MARCHIONIS.

*REC.* Radicum Pæoniæ uncias tres,
Viſci querni,
Raſuræ eboris,
Ungulæ alcis,
Cornu cervi,
Spodii,
Coralliorum rubrorum,
alborum,
Margaritarum præparatarum ana drachmas ſex,
Foliorum auri puri numero viginti,
Fiat pulvis ſubtiliſſimus.

*Pulvis hic longo uſu receptus non ſolum pueris, ab epilepticis, convulſivis motibus & pavoribus divexatis, datur, ſed etiam adultis porrigitur; lene præbet anodynum & antiſpaſmodicum, in doloribus rhevmaticis, arthriticis & cephalalgia commode ac utiliter, cum pulvere nitroſo temperante, exhibetur.*
*Doſis grana decem ad drachmam ſemis.*

## PULVIS EPILEPTICUS MIRABILIS MYNSICHTI.

*REC.* Cranii humani, ſine igne præparati, unciam ſemis,
Viſci querni,
Cinnabaris factitiæ,

Ungulæ alcis ana drachmas duas.

Fiat pulvis.

*Pulvis ob efficaciam mirabilem antepilepticam ab Autore ita dicitur.*

*Pueris ſtatim poſt paroxyſmum ſcrupulus ſemis, adultis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis exhibetur.*

## PULVIS EPILEPTICUS NIGER VIENNENSIS.

*REC.* Radicum Pæoniæ drachmas decem,
Dictamni albi,
Viſci querni ana drachmas quinque,
Ligni Aloës,
Seminis Pæoniæ ana drachmas tres,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Matris perlarum ana unciam ſemis,
Ungulæ alcis drachmas tres,
Succini albi præparati,
Unicornu marini ana drachmas duas,
Carbonum Tiliæ unciam unam ſemis.

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus; addantur
Foliorum auri numero viginti.

*Virtutes ex nomine cognoſcuntur; adhiberi vero etiam ſolet ad tormina infantum convulſiva, in terrore repentino &c.*

*Doſis in tenellis grana quinque, ad ſcrupulum ſemis, in adultioribus drachma ſemis.*

## PULVIS EPILEPTICUS RUBER.

*REC.* Radicum Pæoniæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana uncias duas,
Unicornu marini,
Cinnabaris nativæ,
Succini præparati ana unciam unam.

Fiat pulvis ſubtiliſſimus.



*Ad epilepſiam, motus convulſivos & ſpaſticos commendatur.*

*Drachma ſemis hujus pulveris fere grana quatuor Cinnabaris habet.*

*Doſis a ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.*

## PULVIS ERYSIPELATODES MYNSICHTI.

*REC.* Farinæ volatilis e molendinis uncias ſex,
Plumbi uſti,
Boli rubræ ana uncias duas,
Maſtiches electæ,
Olibani,
Ceruſſæ ana unciam unam.

Miſce, fiat pulvis omnium ſubtiliſſimus.

*Uſus eſt externus, inſpergitur, & cum charta cærulea imponitur; quod tamen, propter adſtringentia & repellentia, cum cautione fieri debet.*

## PULVIS AD FLATUS.

*REC.* Seminum Coriandri,
Carvi,
Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Corticum aurantiorum,
Zinziberis ana drachmas ſex,
Lapidum cancrorum præparatorum unciam ſemis,
Macis drachmam unam,
Sacchari albi uncias ſex.

Miſce, fiat pulvis.

*Vires ex nomine patent.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam usque.*

## PULVIS FUMALIS ODORATUS.

*REC.* Florum Lavendulæ,
Roſarum rubrarum ana drachmas duas,
Caryophyllorum aromaticorum unciam unam,
Benzoës uncias duas,

Sty-

Styracis uncias quatuor,
Succini uncias ſex,
Olibani, ſive Thuris uncias octo,
Maſtiches uncias viginti.

Miſce, fiat pulvis groſſus.

*Ad ſuffimenta inſervit, & odore ſuavi grato ſe commendat.*

## PULVIS FUMALIS HAUGII.

*REC.* Radicum Cyperi rotundi,
Iridis Florentinæ,
Herbæ Rorismarini ana uncias quatuor,
Florum Roſarum rubrarum uncias ſex,
Lavendulæ uncias duas,
Seminis coriandri drachmas ſex,
Baccarum Juniperi libras duas,
Ligni Aloës unciam unam ſemis,
Sandali citrini uncias quatuor,
Juniperi libras duas,
Corticis Thymiamatis uncias quatuor,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi ana unciam unam,
Benzoës,
Styracis ana uncias quatuor,
Olibani libram dimidiam,
Maſtiches libram unam,
Raſuræ Succini libras duas,
Elemi,
Sandaracæ,
Ladani ana uncias tres.

Miſce, & groſſo modo inciſa ſerventur.

*A longo tempore uſus eſt apud nos, & in affectibus catarrhalibus & rheumaticis, humida tempeſtate contractis, hoc pulvere ſuffumigata lintea parti dolenti imponunt.*

## PULVIS GALACTOPOEUS.

*REC.* Seminum Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Nigellæ,
Lactis Lunæ,
Oculorum cancrorum præparatorum,
Matris perlarum præparatæ ana drachmas tres,
Lumbricorum terreſtrium præparatorum drachmas duas,
Sacchari albi uncias duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Datur lactantibus, ad augendum lac; acidum abſorbet in primis viis, & chylificationem adjuvat, ac diſcutit flatus.*

*Doſis ad drachmam unam, quotidie bis ſumendus.*

## PULVIS HALY, CONTRA PHTHISIN.

*REC.* Seminum Papaveris albi drachmas duas,
Portulacæ,
Cydoniorum,
Malvæ,
Bombacis ana drachmam unam ſemis,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Amyli ana drachmas duas,
Cornu cervi uſti,
Raſuræ eboris,
Cicerum rubrorum ana drachmam ſemis,
Liquiritiæ drachmas duas,
Sacchari penidii uncias duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Cum pulvere anonymo convenit, & eadem doſi exhibetur.*

## PULVIS HEPATICUS RUBER.

*REC.* Cremoris Tartari uncias quatuor,
Sandali rubri,
Roſarum rubrarum ana unciam ſemis,
Spiritus Vitrioli drachmas duas.

Flores roſarum, ſubtiliſſime triti, irrorantur ſpiritu vitrioli; probe mixtis additur Pulvis Sandali & Cremo-

moris Tartari; pulvis ruber in vitro aſſervatur.

*Fervorem nimium ſanguinis temperat, & appetitum excitat.*

*Doſis ſcrupuli duo ad drachmam unam.*

## PULVIS HYSTERICUS.

*REC.* Radicum Fraxinellæ,
Pæoniæ ana unciam ſemis,
Radicum Zedoariæ,
Corticum citri,
Succini,
Matris perlarum ana drachmas duas,
Caſtorei drachmam unam,
Anthophyllorum,
Croci ana ſcrupulum unum ſemis.

Miſce, fiat omnium pulvis.

*Ad hyſtericam paſſionem, menſes & ſecundinas pellendas, atque dolores demulcendos inſervit.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## PULVIS INCIDENS STAHLII.

*REC.* Lapidum cancrorum, acido citri ſaturatorum, uncias quatuor,
Radicum Ari præparatarum uncias duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Reſolvit pituitoſos & mucoſos humores, atque digeſtionem promovet; præmitti poteſt, loco digeſtivi, laxantibus.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## PULVIS LENITIVUS TARTARISATUS.

*REC.* Cremoris Tartari,
Foliorum Sennæ electorum ana uncias duas,
Cinnamomi acuti,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana drachmas quinque.

Miſce, fiat pulvis, qui pro lubitu ſaccharo edulcorari poteſt.

*Leniter alvum ſiccam & tardiorem ſolvit, flatus pellit; hypochondriacis & alvi obſtructione laborantibus commendatur.*

*Ante prandium, vel cœnam, ad drachmam unam ſumendus.*

## PULVIS MANTUANUS.

*REC.* Radicum Contrayervæ,
Radicum Scorzoneræ ana drachmas duas,
Terræ ſigillatæ griſeæ,
Boli Armenæ,
Lapidum quinque pretioſorum,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Margaritarum præparatarum,
Cornu Rhinocerotis ana drachmam unam,
Lapidis Bezoar Orientalis,
Occidentalis ana drachmas duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Cum Pulvere bezoardico Sennerti multum convenit, & ejusdem eſt uſus.*

## PULVIS MARTIALIS ANGLICUS.

*REC.* Limaturæ Martis in alcohol redactæ drachmas ſex,
Caſſiæ ligneæ,
Nucum moſchatarum, ana unciam ſemis,
Caryophyllorum,
Macis ana drachmas duas,
Sacchari albi uncias duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Cum Pulvere cachectico Quercetani multum convenit, atque in cachexia & febri alba, ex obſtructione menſium, laudatur.*

*Doſis drachma una, quæ circiter ſextam partem martis habet.*

## PULVIS AD MORSUM CANIS RABIDI.

*REC.* Foliorum Rutæ,

Fo-

Foliorum Verbenæ,
Salviæ,
Plantaginis,
Polypodii,
Abſinthii vulgaris,
Menthæ,
Meliſſophylli,
Betonicæ,
Hyperici,
Centaurii minoris ana unciam ſemis.

Legantur ſingula eo tempore, quo viribus pollent maximis, papyro ſeorſim incluſa, in umbra ſiccentur, & in pulverem terantur.

*Autor eſt Julius Palmarius, Medicus Pariſienſis, atque de illo perhibet, quod inſigni virtute, & nulli ſecunda, rabiem arceat, vulnera a cane rabioſo inflicta ſanet, & terrificum illud ſymptoma, quo miſelli reformidant aquas, impediat.*

*Doſis drachma ſemis ad drachmas duas.*

## PULVIS NEPHRITICUS PRETIOSUS.

*REC.* Lapidum cancrorum, acido citri ſaturatorum,
Lapidis Judaici præparati ana unciam unam,
Lyncis præparati,
Margaritarum Orientalium præparatarum,
Operculorum cochlearum ana drachmam unam.

Miſceantur, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

*Commendatur nephritide & calculo veſicæ laborantibus, atque non ſine fructu adhibetur.*

*Doſis ſcrupulus unus.*

## PULVIS PANNONICUS, MINUS PRETIOSUS.

*REC.* Boli Armenæ præparatæ,
Terræ Lemniæ ana unciam unam,
Corallii utriusque,
Spodii,



Cornu cervi, philoſophice præparati,
Raſuræ eboris ana drachmas ſex,
Matris perlarum, acido citri ſaturatæ, uncias duas,
Radicis Contrayervæ unciam unam,
Croci Orientalis drachmam unam.

Miſce, fiat pulvis.

*Vires, quæ ſequentis.*

## PULVIS PANNONICUS RUBER ORDINARIUS.

*REC.* Boli Armenæ præparatæ uncias tres,
Terræ Lemniæ uncias duas,
Coralliorum alborum præparatorum drachmas ſex,
rubrorum præparatorum drachmas quatuor,
Margaritarum præparatarum drachmas quinque,
Lapidum Hyacinthi,
Smaragdi,
Rubini,
Sapphiri,
Cornu cervi, philoſophice præparati, ana unciam ſemis,
Raſuræ eboris drachmas tres,
Spodii drachmas quinque,
Cinnamomi drachmas duas,
Caryophyllorum,
Croci ana drachmam unam,
Seminis Acetoſæ,
Sandali rubri ana drachmas duas,
albi,
Corticum citri ana drachmam unam ſemis,
Folia auri numero viginti quatuor.

Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

*A longo tempore pulveris hujus uſus receptus.*

*ceptus eſt. Videtur autem Autor incognitus eum præcipue febribus caſtrenſibus, quæ in Hungaria frequenter, cum dyſenteria, graſſantur, accommodare voluiſſe.*

*Sunt adhuc apud nos, qui illum præſcribunt in variolis & morbillis, febribus continuis & dyſenteriis malignis. Pueris ac infantibus mulierculæ vulgo contra convulſiones & in febribus, e dentitione ortis, propinare ſolent, non diſtinguentes vocabulum germanicum* Gift *a* Gicht, *quo priori venenum, poſteriori autem convulſionem & epilepſiam ſignificamus.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

Proſtat in officinis noſtris etiam INCOMPLETUS, demptis ſcilicet *Margaritis, Lapidibus pretioſis* atque *Foliis auri.*

## PULVIS AD PARTUM.

*REC.* Boracis unciam ſemis,
Caſtorei veri,
Croci ana drachmam unam ſemis,
Olei Cinnamomi guttas octo,
Succini guttas ſex.
Miſce, fiat pulvis.

*Ad partum facilitandum, fœtum vivum & mortuum expellendum, datur.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## PULVIS PECTORALIS BALSAMICUS WEDELII.

*REC.* Radicis Liquiritiæ unciam unam,
Iridis Florentinæ drachmas duas,
Florum Sulphuris unciam ſemis,
Benzoës ſcrupulum unum,
Sacchari canti albi uncias duas.
Olei Aniſi,
Fœniculi ana guttas decem.
Miſce, fiat pulvis.

*Demulcet & reſolvit.*

*Doſis ſcrupulus unus ad duos.*

## PULVIS PECTORALIS RESOLVENS WEDELII.

*REC.* Radicis Ari,
Iridis Florentinæ,
Antimonii diaphoretici,
Florum ſulphuris,
Cinnabaris nativæ,
Oculorum Cancrorum ana unciam ſemis.
Miſce, fiat pulvis.

*Lentos, pulmonibus impactos, humores reſolvit & excutit.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## PULVIS PLEURITICUS.

*REC.* Mandibularum lucii piſcis,
Dentium apri, ſine igne præparatorum,
Lapidum percarum,
Talorum leporum ana unciam ſemis,
Oculorum cancrorum præparatorum unciam unam,
Seminis Cardui benedicti drachmas duas.
Miſce, fiat pulvis.

## PULVIS PLEURITICUS ALIUS, SECUNDUM MYNSICHTUM.

*REC.* Florum Sulphuris unciam ſemis,
Dentium Apri,
Mandibularum Lucii piſcis ana unciam unam,
Florum papaveris unciam ſemis.
Miſce, fiat pulvis.

*Pleuriticis offeruntur ex aqua Cardui benedicti, vel alia diapnoica, & ad miraculum poſteriorem nonnunquam, brevi tempore, dolores mitigaſſe, compertum eſt. Dari etiam in aliis affectibus inflammatoriis poſſunt.*

*Doſis utriusque ſcrupulus unus vel drachma ſemis.*

## PULVIS PRÆCIPITANS STAHLII.

*REC.* Concharum marinarum præparatarum,

Ma-

Matris perlarum præparatæ,
Cornu cervi uſti præparati,
Oculorum cancrorum præparatorum ana unciam ſemis,
Antimonii diaphoretici drachmam unam,
Cinnabaris nativæ præparatæ drachmam ſemis.

Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

*Eſt abſorbens, & conducit illis, quibus ventriculus acido oneratus eſt; loco temperantis pulveris etiam præſcribitur illis, qui ſalia & nitrum ferre nequeunt.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## PULVIS PURPUREUS ANGLICUS.

*REC.* Cornu cervi ſine igne præparati,
Succini albi,
Coralliorum rubrorum,
Matris perlarum ana unciam unam,
Oculorum cancrorum,
Chelarum cancrorum ana uncias duas,
Croci ſcrupulum ſemis,
Coccionellæ ſcrupulos duos.

Coccionella & crocus, aceto vel ſucco citri trita, reliquis præparatis, vel in pulverem ſubtiliſſimum tritis, admiſceantur.

*Laudatur in variolis & morbillis.*

*Doſis ſcrupulus unus vel drachma ſemis.*

## PULVIS RESOLVENS STAHLII.

*REC.* Concharum ſine igne præparatarum,
Antimonii diaphoretici,
Nitri crudi puriſſimi ana uncias duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Conducit ad humores lenteſcentes reſolvendos, in ipſis febribus, quin multis pulveribus ſic dictis bezoardicis, inprimis ex lapidibus pretioſis compoſitis, præſtat.*





## PULVIS RESOLVENS COMPOSITUS.

*REC.* Pulveris præcedentis reſolventis uncias tres,
Extracti Chacarillæ unciam unam.

Miſce.

*In morbis pectoris, peripneumonia, pleuritide, egregias reſolvendi vires poſſidet; ſic etiam in diarrhœis febrium acutarum, & dyſenteria omnibus aliis palmam præripit.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis & ultra.*

## PULVIS SCILLÆ COMPOSITUS STAHLII.

*REC.* Radicis Scillæ recentis libram unam,
Vincetoxici, ſive Hirundinariæ pulveriſatæ uncias quatuor.

Scilla recens in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, in pultem contundenda, cui additur Vincetoxici radix ſiccata & recens pulveriſata, impaſtentur; poſtea leni calore exſiccata rurſus pulveriſentur.

*Eſt hic pulvis reſolvens præſtantiſſimum in aſthmate humido, catarrho ſuffocativo, œdematibus & cachexia.*

*Dantur pauca grana, tria, vel quatuor, ad ſummum quinque. Poteſt pilulis laxantibus commode miſceri, celeberrimum Stahlium clyſteribus etiam indidiſſe, clariſſimus Schulzius perhibet.*

## PULVIS STERNUTATORIUS.

*REC.* Radicis Liquiritiæ drachmas tres,
Ellebori albi drachmas duas,
Herbarum Majoranæ,
Baſilici,
Foliorum Nicotianæ,
Florum Lavendulæ,

Liliorum convallium ana unciam ſemis,
Cinnamomi drachmas tres,
Styracis drachmas duas;
Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui adde
Olei deſtill. Lavendulæ,
Ligni Rhodii ana guttas duodecim,
Caryophyllorum guttas octo,
Sacchari albi unciam unam,
Coloris cœrulei Indici drachmam ſemis,
Moſchi, in aqua Roſarum ſoluti, grana quinque.

*Uſus omnibus notiſſimus.*

## PULVIS STERNUTATORIUS ALBUS, ſive ELÆOSACCHARUM CEPHALICUM CAMERARII.

*REC.* Olei deſtill. Majoranæ,
Caryophyllorum,
Ligni Rhodii ana guttas tres,
Cinnamomi,
Citri,
Fœniculi,
Lavendulæ ana guttas duas,
Moſchi grana tria,
Sacchari albiſſimi uncias tres ſemis.

Miſceantur exactiſſime, & in vitro ſerventur.

*Uſus eſt ſequentis.*

## PULVIS STERNUTATORIUS ALBUS, vel ELÆOSACCHARUM CEPHALICUM GMELINI.

*REC.* Sacchari albiſſimi uncias duodecim,
Ambræ griſeæ,
Moſchi ana ſcrupulum ſemis,



Olei deſtill. Cinnamomi,
Caryophyllorum ana guttas quindecim,
Aniſi,
Anthos,
Lavendulæ,
Majoranæ ana drachmam ſemis,
Ligni Rhodii,
Succini ana ſcrupulum unum.

Ambra diſſolvitur in oleis; Moſchus vero in parva quantitate aquæ roſarum, quæ poſtea ſaccharo commiſcentur.

*Non ſolum naribus, loco pulveris ſternutatorii, attrahi poteſt, ſed etiam in affectibus ſpaſmodicis ac paralyticis linguæ adhiberi.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## PULVIS STERNUTATORIUS NOPSII.

*REC.* Radicum Caryophyllatæ,
Iridis Florentinæ ana ſcrupulos duos,
Ellebori nigri ſcrupulum unum,
Herbæ Baſilici ſcrupulos octo,
Betonicæ,
Rorismarini ana drachmam unam,
Salviæ hortenſis drachmas duas,
Florum Anthos,
Betonicæ,
Salviæ ana ſcrupulum unum,
Lavendulæ ſcrupulos quatuor,
Liliorum convallium drachmas tres,
Roſarum rubrarum ſcrupulos ſeptem,
Seminis Aniſi,
Erucæ ana ſcrupulos quinque,
Pæoniæ ſcrupulos duos,

Ca-

Caryophyllorum aromaticorum drachmas ſex,
Cubebarum drachmas tres,
Cardamomi minoris drachmam unam.
Miſceantur, & fiat omnium pulvis tenerrimus, addantur
Succini albi præparati ſcrupuli quatuor,
Olei deſtill. Caryophyllorum,
Majoranæ,
Aniſi ana guttæ decem,
Moſchi grana ſedecim.

*A longo tempore in noſtris officinis in uſu eſt. Vires ex nomine patent.*

## PULVIS STERNUTATORIUS VARIEGATUS.

*REC.* Radicum Cyperi rotundi,
Iridis Florentinæ ana drachmas tres,
Foliorum Nicotianæ drachmas ſex,
Herbæ Majoranæ,
Florum Calendulæ,
Cyani ana drachmas duas,
Liliorum convallium,
Roſarum rubrarum ana drachmas tres.
Minutiſſime inciſis adde
Olei Caryophyllorum,
Lavendulæ,
Ligni Rhodii ana guttas triginta.
Miſce, atque pro lubitu addantur
Moſchi in aqua roſarum ſoluti grana tria.

*Tam oculis ob colorem varium, quam naribus ob odoris ſuavitatem, gratus eſt.*

## PULVIS STOMACHICUS BIRCKMANNI.

*REC.* Radicum Ari præparatarum uncias duas,
Acori vulgaris,
Pimpinellæ ana unciam unam,
Oculorum cancri unciam ſemis,
Cinnamomi drachmas tres,
Salis Abſinthii,
Juniperi ana drachmam unam,
Sacchari roſati ad pondus omnium.
Miſceantur, & in pulverem rediganturtur.

*Magnis encomiis pulverem hunc laudat Quercetanus: Exhibetur, inquit, non tantum ad ventriculum roborandum, cui proprie convenit, ſed etiam ad capitis affectus, ad hemicranias acutiſſimas, vertiginem, melancholiam hypochondriacam, cachexiam & ſimiles affectus; ad calculum etiam & febrem quartanam porrigitur, habet enim facultatem deoppilandi hepar lienem & meſenterium, & diſſolvendi & liquefaciendi tartarum glutinoſum, qui plurimorum morborum cauſa exiſtit.*

*Doſis drachma una ad drachmas duas, & ultra.*

## PULVIS AD STRUMAS.

*REC.* Spongiarum combuſtarum uncias novem,
Arcani duplicati uncias duas,
Radicis Vincetoxici unciam unam,
Cinnamomi drachmas duas.
Pulveriſata miſceantur.

*Ad ſtrumas et ſcrophulas abigendas probatæ eſt virtutis, et ob ſecuritatem palmam præripit aliis ejusmodi pulveribus, quos aromata acriora ingredi ſolent.*

*Doſis ſcrupulus unus vel duo. Pro lubitu miſceri poteſt cum ſaccharo, vel cum ſyrupo in Electuarium redigi.*

*Sumitur matutino tempore et ante ſomnum, luna decreſcente.*

## PULVIS TEMPERANS.

*REC.* Lapidum cancrorum, ſubtiliſſime pulveriſatorum,

Coralliorum rubrorum præparatorum ana uncias duas,
Matris Perlarum præparatæ,
Tartari vitriolati ana uncias quatuor,
Nitri puriſſimi cryſtalliſati uncias octo,
Cinnabaris factitiæ puriſſimæ, in alcohol redactæ, unciam unam & drachmas duas.

Miſce, fiat pulvis.

Variæ circumferuntur deſcriptiones hujus pulveris; omnes vero, vel plurimæ, cum hac noſtra conveniunt, tam reſpectu quantitatis nitri, quam abſorbentium & cinnabaris. Nonnullæ tamen loco Tartari vitriolati, Arcanum duplicatum præſcribunt, atque coralliis & matri perlarum, antimonium diaphoreticum & conchas ſubſtituunt. Cinnabaris in his facit partem decimam quartam, in aliis decimam quintam.

Vix tamen notabilis intercedit, intuitu virium, differentia; igitur hanc, quam in priori editione hujus libri dedimus deſcriptionem, utpote in plurimis noſtris officinis jam uſitatam, ſervare maluimus, quam præter neceſſitatem immutare.

*Ad ſanguinis æſtum temperandum & vitioſos humores, in primis viis, corrigendos, utiliter datur.*

*Doſis ſcrupulus unus ad ſcrupulos duos.*

## PULVIS AD TORMINA INFANTUM.

*REC.* Pulveris epileptici Marchionis,
Radicum Iridis Florentinæ,
Liquiritiæ ana drachmas ſex,
Seminum Aniſi,
Lycopodii,
Fœniculi ana drachmas duas,
Croci Auſtriaci ſcrupulum unum.

In pulverem trita ſerventur.

*Ad infantum morbos ab acido in primis viis, flatibus, torminibus, & urinæ retentione atque ardore commendatur.*

*Doſis ſcrupulus ſemis ad ſcrupulum unum.*

## PULVIS TUNCHINENSIS.

*REC.* Moſchi optimi grana ſedecim,
Cinnabaris Antimonii nativæ, præparatæ ana grana duodecim.

Miſce pro una doſi ordinaria.

*Primaria ejus virtus laudatur adverſus effectus morſus rabidi canis, manias et melancholias, febres malignas & exanthematicas varias; ſudorem copioſum excitando. vid. Prof. Gmelini Diſſert. Tubingæ A. 1750. edita.*

*Circa uſum autem hujus pulveris ſcrupulum maxime movere poteſt infida Moſchi pretioſi, mangonio obnoxii, qualitas.*

## PULVIS CONTRA VERMES.

*REC.* Radicum Filicis fœminæ ramoſæ,
Rhabarbari veri,
Seminis cynæ,
Muſci corallini ana unciam unam.

Miſce, fiat pulvis.

*Lumbricos expellit.*

*Doſis eſt ſcrupulus unus ad drachmam ſemis: repetitis vicibus dari debet, & pro lubitu, atque neceſſitate, vel Mercurio dulci, vel Æthiope minerali, nec non Diacrydio acui poteſt.*

## PULVIS VIENNENSIS ALBUS VIRGINEUS, DIAPHORETICUS.

*REC* Glaciei Mariæ libram unam,
Lapidis ſpecularis libras duas.

A ſordibus optime purgata in crucibulo calcinentur, poſtea ſuper porphyritem terantur, denique, affuſa co-

copiosa aqua, pars subtilior, per inclinationem, separetur, quæ siccata usui servetur.

*Pulvis hic falso a nonnullis pro terra alcalina, acidum absorbente, habetur, cum potius sit gypsea. Sunt tamen qui utilem credunt esse in nimio æstu febrili, ad bilem infringendam, calorem minuendum, & sitim levandam.*

*Dosis scrupulus unus.*

## PULVIS VITÆ IMPERATORIS.

*REC.* Radicum Zedoariæ,
Enulæ,
Calami aromatici,
Pimpinellæ,
Galangæ,
Caryophyllatæ,
Liquiritiæ ana drachmas duas,
Herbarum Scolopendrii,
Veronicæ,
Cardui benedicti,
Florum Centaurii minoris ana drachmam unam,
Foliorum Sennæ electorum unciam unam semis,
Seminum Anisi,
Fœniculi,
Carvi,
Petroselini ana drachmam unam semis,
Baccarum Juniperi drachmas tres,
Cinnamomi ana drachmam unam,
Cubebarum,
Cardamomi ana scrupulos quatuor,
Macis,
Cornu cervi usti ana drachmas duas,
Rhapontici veri unciam semis,
Rhabarbari electi drachmam unam semis,
Cremoris Tartari drachmas tres,
Sacchari candi albi uncias quatuor semis.

Misce, fiat pulvis.

*Ad ventriculum roborandum, flatus pellendos, nec non ad tussim senum, ab indigestione ortam, commode adhibetur.*

*Datur a drachma una ad drachmas duas.*

## RADICIS ARI PRÆPARATIO.

Colligenda est radix primo vere, dum germinare incipit, mundata, & cultello eburneo in orbiculos dissecta, infundatur vino albo, & maceretur in loco frigido, per viginti quatuor horas, quibus elapsis, vinum per inclinationem separetur, & radix, in furno vel clibano siccata, in pulverem teratur, & usui asservetur.

*Incidit & resolvit; ad* Pulverem stomachicum Birckmanni *requiritur, & fæculis longe præferenda est.*

*Dosis grana decem ad scrupulum unum.*

## REGULUS ANTIMONII MARTIALIS.

*REC.* Clavorum ferreorum purgatorum uncias octo,
Candefactis in crucibulo injice successive
Antimonii Hungarici uncias sedecim,
optime fusis adde
Nitri uncias tres.

Hæc probe, per horæ quadrantem & ultra, igne sat forti, ad instar aquæ, fusa, fluentia cono fusorio, sevo illito, infundantur, conum in ipsa fusione continuo percutiendo, & promovendo reguli subsidentiam & separationem. Refrigeratis omnibus, eximatur tota massa, cui in fundo adhærebit regulus, superiore sui parte jamdum stellam obscure ferens, qui, a scoriis separatus, denuo secunda & tertia vice, additis semper

Nitri duabus, vel tribus unciis, fundi, & calici fusorio immitti potest; post singulas administrationes, scorias separando; sic mox, secunda aut tertia fusione peracta, in

parte ſuperiore reguli, ſtella accurate conformata, & quaſi ad normam exacta, deprehendetur.

*Uſibus chymicis potius, quam medicis, inſervit, & ad ſcyphos vomitorios, addito duplo ſtanni pondere, in quibus vinum infuſum emeticum evadit.*

## REGULUS ANTIMONII MEDICINALIS.

*REC.* Antimonii crudi optimi uncias quinque,
Salis communis uncias quatuor,
Tartari unciam unam.

Trita in pulverem tenuem exacte miſce, ac in crucibulo candenti inſtitue fuſionem, ut fluant per horæ quadrantem, inſtar aquæ; exemtum poſtea igne crucibulum quieſcat et refrigeretur. Fracto crucibulo ea portio, quæ ſub hoc labore præ altera copioſiore ſale referta eſt, et ſuperiora occupat, ſcoriarum nomine ſeparetur; inferior portio picei coloris, ſplendens, quæ (licet impropriè) *Regulus* dicitur, ſubtiliſſime ſupra Porphyritem teratur, atque pulvis, colorem puniceum jam referens, vaſe optime clauſo in loco ſicco ſervetur.

*Laudatur ad febres intermittentes*, & Febriſugum Cranii *vocatur. Ingreditur porro* Pulverem alexipharmacum Rollwagii *dictum. In lymphæ vitiis, ſcabie, artbritide, hydrope, præſertim anaſarca, cum Mercurio dulci adminiſtratus, optime eveniſſe viſus eſt.*

*Notandum autem venit, regulum hunc ſemper in loco calido ſicco aſſervandum eſſe, alias facile vomitum in ſenſibilioribus, illius uſu, excitari, deprehenſum eſt.*

*Doſis grana decem, quindecim, ad grana viginti quinque.*

## REGULUS ANTIMONII SIMPLEX.

*REC.* Antimonii electi libras duas,
Tartari libram unam ſemis,
Nitri uncias ſedecim.

Miſceantur, & in crucibulo ignito detonentur, poſtea, igne vehementiore adhibito, fundantur, fuſa in conum fuſorium, calefactum & ſebo illitum, effundantur, conum, ut in fundum abeat regulus, concutiendo; tandem ſcoriæ ab eo ſeparentur, & regulus aqua abluatur.

E ſcoriis, aqua ſolutis, per præcipitationem, SULPHUR AURATUM parari poteſt.

*Variis laboribus chemicis inſervit hic regulus.*

## RESINA GIALAPPÆ.

*REC.* Radicum Gialappæ, quantum libet.

Craſſiuſcule contuſis affundatur Spiritus vini optime rectificatus, ut tres vel quatuor digitos ſuperemineat. Stent infuſæ in loco calido, per aliquot dies, poſtea colentur, cum forti expreſſione, extractionem hanc toties repetendo, quousque Spiritus vini non amplius tingatur; tandem conjunctis & filtratis extractionibus affundatur aqua fontana, qua ad fundum præcipitatur reſina, *Magiſterii* nomen inde nacta, & ſpiritus vini deſtillando ſeparetur. Reſinoſa ſubſtantia Gialappæ, in fundo cucurbitæ hærens, aqua clara aliquoties lavetur, & in vaſe, in aquam ferventem immiſſo, ad piceam conſiſtentiam redigatur, atque, in cylindros contortos efformata, ſervetur.

*Eſt purgans univerſale & præcipue pilulis laxantibus pro ſtimulo additur. Nunquam ſola dari debet, inteſtinis enim adhæret, & non ſolum tormina & hypercatharſes, verum etiam funeſtas inflammationes excitare poteſt. Optima methodus exhibendi eſt in pilulis, ubi extractis jungitur, & particulæ reſinoſæ diſgregantur. Amygdalis*

*dalis vel Pineis trita, ab oleosa earum substantia quidem dissolvitur, verum ita vehiculo frigido assumi debet, ne resina rursus coaguletur. Pessimus modus est, illam exhibendi, si in spiritu soluta, absque syrupi additione, datur; mox enim, e spiritu præcipitata, pristinam piceam substantiam induit.*

*Dosis in pilulis grana quatuor, sex, vel septem; in forma pulveris, cum Amygdalis triti, usque ad scrupulum semis, in robustioribus, ad grana duodecim ascendere licet.*

## RESINA SCAMMONII.

Pari opera & methodo, qua Gialappæ resina sive magisterium, conficitur.

*Easdem habet vires, & eadem exhibetur dosi & modo.*

## ROOB BERBERUM.

*REC.* Succi berberum depurati libras quatuor,
Sacchari albi libram unam.

Coquantur in vase figulino, ad mellis consistentiam.

*Additur julapiis & electuariis. Refrigerat, sitim sedat, & bilem refrænat.*

## ROOB CERASORUM, MORORUM, RIBIUM, RUBI IDÆI.

*Pari modo parantur, atque easdem habent virtutes.*

## ROOB CYDONIORUM.

*REC.* Succi Cydoniorum depurati libras sex,
Sacchari albi libram unam.

Coque ad mellis spissitudinem.

*Leniter adstringit, ventriculum roborat, sitim sedat, atque præprimis biliosis convenit.*

*Dosis uncia semis ad drachmas sex.*

## ROOB CYNOSBATI.

*REC.* Pulpæ fructuum Cynosbati maturorum libras tres,
Sacchari albi libras duas.

Evaporentur, ad justam consistentiam, igne lento.

*Leniter adstringit, & ad nephritidem calculosam commendatur.*

## ROOB CORNORUM.

Eodem modo, quo proxime præcedens, paratur.

## ROOB EBULI.

Fit, Succi granorum Ebuli depurati libram unam, cum
Sacchari unciis duabus,
ad mellis consistentiam, igne moderato, inspissando.

*Est alexipharmacum atque diureticum; datur hydropicis, ubi per alvum & urinam vires exserit.*

*Dosis uncia semis ad integram.*

## ROOB JUNIPERI.

*REC.* Baccarum Juniperi maturarum, recentium, conquassatarum, libras octo.

Coquantur in aqua communi, decoctum per setaceum coletur, & ad consistentiam mellis, cum
Sacchari libra una,
lento igne redigatur.

*In ventriculi morbis, flatibus pellendis, ad urinam & sudorem movendum, commendatur; hydropicis etiam conducit, & a nonnullis rusticorum panacea & theriaca vocatur.*

## ROOB NUCUM.

*REC.* Succi, e nucibus viridibus, circa festum Baptistæ extracti,
Mellis despumati ana libram unam.

Coquantur ad justam consistentiam.

*Commendatur ad ulcera oris & linguæ, item*

*item in angina & tonſillis tumefactis, gargariſmis additur.*

## ROOB SAMBUCI.

*REC.* Succi baccarum Sambuci maturarum partes ſex,
Sacchari albi partem unam.

Coque igne moderato, cavendo empyrevma, ad conſuetam conſiſtentiam.

*Gratius eſt, virtute vero cum ebulino convenit.*

## ROTULÆ BERBERUM.

*REC.* Sacchari albiſſimi libram unam.
In pulverem redactum, leni admodum igne, incaleſcat, cui tum adde
Succi berberum, per ſubſidentiam optime depurati, uncias duas.

Sicque, absque omni coctione, in conſiſtentiam tabulati reduc, ac in rotulas, ut artis eſt, effunde.

*Cum ſyrupo conveniunt, ad ſitim & ſiccitatem oris, in febribus inprimis, commendantur.*

## ROTULÆ DIAIREOS.

*REC.* Specierum Diaireos ſimplicium unciam unam,
Sacchari albiſſimi, in ſufficienti quantitate Aquæ Violarum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, uncias duodecim.

Miſce, fiant lege artis rotulæ.

*Sunt pectorales; materiam acrem tenuem incraſſant, & expectorationem adjuvant.*

## ROTULÆ MANUS CHRISTI, ſive SACCHARUM PERLATUM.

*REC.* Sacchari albiſſimi libram unam,
Aquæ roſarum, quantum ſatis, pro ſacchari ſolutione.

Coquantur ad tabulati conſiſtentiam, & addatur
Matris perlarum præparatæ uncia ſemis.

Effundatur in rotulas.

*Pulveribus analepticis & emulſionibus addi ſolet.*

## ROTULÆ CONTRA VERMES.

*REC.* Seminis Cynæ,
Corallini muſci,
Cinnamomi,
Æthiopis mineralis ana ſcrupulos duos,
Sacchari albi, in aqua roſarum ſoluti & ad conſiſtentiam tabulati cocti, uncias quatuor.

Fiant lege artis rotulæ.

*Uncia continet Æthiopis mineralis ſcrupulum ſemis.*

*Dari poſſunt a drachmis duabus ad drachmas ſex.*

## SACCHARUM CLARIFICATUM.

Fit, libras duas ſacchari albi in libra una aquæ puræ fontanæ ſolvendo, atque percolando.

*Adhibetur electuariis, conditis, &c.*

## SACCHARUM LACTIS.

*REC.* Lactis recentis vaccini libras decem.

Reponantur per viginti quatuor horas, auferatur cremor, & reſiduum lac lento igni exponatur, ut caſeoſum præcipitetur. Serum, per colatorium ſeparatum, & per chartam bibulam filtratum, in vaſe figulino vitreato, lento igne, ad ſextæ partis remanentiam, evaporetur, atque ad cryſtalliſationem reponatur. Cryſtalli collectæ aqua frigida abluantur, & in loco tepido, inter chartas, ſiccentur, atque loco ſicco, temperato, in vitro aſſerventur.

*Antiſpaſmodicum, demulcens, anodynum & antarthriticum eſt; ſcorbuticis, hecticis & nephriticis convenit. Caven-*

*vendum vero eſt, ne ſit rancidum, ſed recens paratum.*

*Doſis drachma una ad drachmas duas.*

## SACCHARUM ROSATUM TABULATUM.

*REC.* Pulveris florum Roſarum rubrarum drachmas duas,
Sacchari albi, in aqua Roſarum diſſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, uncias quatuor.

Fiat confectio in tabulis.

*Pulveribus, ſaporis gratia, additur.*

## SACCHARUM SATURNI CRYSTALLISATUM.

*REC.* Minii, aut Lithargyrii, quantum vis.

Affunde, in vaſe vitreo, aceti deſtillati acerrimi, quantum ſufficit, ad eminentiam quatuor ad minimum digitorum, digere in loco moderate calido, ſæpius, ab initio præſertim, bacillo aut ſpatula lignea, ne nimium in fundo concreſcat, per unum alterumve diem, agitando, donec acetum a Saturno ſaturatum, flaveſcat, & ſapore dulceſcat. Deinde ſolutionem decanta, ac novum acetum deſtillatum affunde, ut denuo aliquot digitos ſupereminеat, idque toties reitera, novum acetum deſtillatum affundendo, donec dulceſcat. Extractiones omnes conjunge, atque in vaſe figulino, leni igne, evapora ad cuticulam, & ad cryſtalliſandum repone. Cryſtallos leni calore exſicca.

Lithargyrium ſemper cupro inquinatum eſt; hinc præſtat ſaccharum ſaturni, vel ex plumbo puro crudo, vel minio præparare; breviori etiam manu, ac citius, leni decoctione, quam digeſtione, ſal extrahitur, & plumbum ſolvitur; decoctio vero, uti ſupra diximus, in vaſe figulino, vitreato, inſtituenda. Reſiduum, quod in cryſtallos abire recuſat, leni igne evaporatur, atque ſiccatum, in pulverem tritum, ſervatur.

*Externi tantum uſus eſt; refrigerat, mundificat, adſtringit & ſiccat; in collyriis, ad oculorum inflammationem, adhibetur. Sunt, qui interne, ad epilepſiam, gonorrhœam & venerem extinguendam, dant, quod tamen ſumma circumſpectione fieri debet.*

## SAL ABSINTHII, SAL HERBARUM.

*REC.* Abſinthii ſicci, vel Herbæ cujuslibet, quantum vis.

In ſartagine ferrea ſuper carbones juſto calore caleſacta, redigatur lente et ſucceſſive, novam ſemper Herbæ portionem addendo, in carbonem. Violentia autem ignis et flamma arcentur, impoſito ſartagini operculo. In fine combuſtionis virga ferrea movendi ſunt cineres, ut æqualiter calcinentur, atque omnes carbones in cineres albos abeant; qui aqua frigida elixiventur, novam adjiciendo aquam, usque dum ultima a cineribus redeat inſipida. Lixivium leni calore evaporando, ſal alcalinum fixum, ulteriori in aqua ſolutione, filtratione et evaporatione album, et methodo hac Tacheniana per lentam incinerationem non adeo acre remanet, fuſione autem, qua quicquid carbonacei ſali adhæſit comburitur, fortius reddendum.

*Not: Caveant Pharmacopœi cineres, vel ſal ipſum cum ſulphure, pro more, calcinare, vel acidum quoddam addere, eo fine, ut ſal in cryſtallos evaporando concreſcat; ſiquidem tali modo non ſal alcalinum incineratione Herbarum obtinent, ſed neutrum, tartaro vitriolato ſimile. Hæc ſalia alcalina, cum non prius ex vegetabilibus obtineantur, quam ubi ignis omnem eo-*

*rum reſolvit mixtionem, non ſunt educta, ſed igne producta; nec ſpecificas plantæ virtutes retinent. Neque conſultum eſſe cenſemus, variorum in poſterum ſalium nomina, in pharmacopoliis venditari, et impoſturæ pretii locum relinqui. Ex quocunque fuerint vegetabili parata, inprimis ſi ab oleo empyrevmatico fuerint depurata, vix differunt inter ſe ſcopo medico, licet leviſſimæ quædam diverſitates ſubeſſe poſſint. Omnia acidum infringunt, humores craſſos reſolvunt, attenuant, incidunt, urinam & alvum cient. Raro per ſe ſolum herbarum ſal, ſed plerumque cum aliis mixtum, præſcribitur. Illuſtris Bærhave ad drachmam unam & ultra, in copioſa aqua diſſoluta, ad febres intermittentes pertinaces expugnandas, adhibere juſſit.*

*Salva igitur conſcientia exulare poſſent ex Taxa et ſyllabo Medicamentorum ſalia numeroſa ex ſingulis vegetabilibus per incinerationem paranda; quibus omnibus vel ſal Abſinthii unicum, vel ex pluribus plantis, prout lubet, multo principio ſalino fætis, mixtim ſumtis, per incinerationem* Sal Herbarum *ſubſtitui, et viliori pretio, genuinum, alcalinum exigi poteſt.*

## SAL ARMONIACUM DEPURATUM.

*REC.* Salis Armoniaci, quantum vis; ſolvatur in aqua calida, ſolutio filtretur; poſtea in locum frigidum reponatur, & ſal in liquore ſubſidens exſiccetur; liquor vero remanens, pro ulteriori ſalis collectione, per exhalationem concentretur.

Depuratio quoque fieri poteſt per novam ſublimationem, et tum FLORUM SALIS ARMONIACI nomine venit.

*Dantur, ſcopo reſolvendi, in viſcerum obſtructionibus, præcipue ad febres intermittentes, a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam, imo integram.*

## SAL ALCALI VOLATILE EX SALE ARMONIACO.

*REC.* Salis Armoniaci albiſſimi, optime exſiccati uncias quatuor,
Cretæ puriſſimæ, pulveriſatæ, leni calore pariter optime ſiccatæ uncias quinque.

Mixtis invicem et retortæ prius immiſſis, quam humidum ex aëre iterum attraxerint, adaptato recipiente, et juncturis clauſis, inſtituatur ex arena ſublimatio, igne ab initio lento, ſub finem fortiori. Ita ſublimatur in collum retortæ, (quod breve et amplum eſto) et vas recipiens ſal alcali album, purum; alias non niſi iterata ſublimatione obtinendum. Sal hoc urinoſum omnis olei empyrevmatici, quod alias ex deſtillatione, ſalibus urinoſis, Cornu Cervi, Lumbricorum &c. adhæret, et diverſitatem eorum aliqualem conſtituit, expers eſt, et tanquam puriſſimum reliquis, ob oleum empyrevmaticum, magis exæſtuantibus præferendum, minori identidem pretio parandum.

## SAL VOLATILE ANGLICUM SICCUM.

*REC.* Salis Tartari uncias duas,
Ammoniaci uncias ſex.
Terantur ſeorſim, atque immittantur cucurbitæ vitreæ, addantur
Olei deſtillati Lavendulæ drachmæ tres,
Spiritus vini rectificatiſſimi uncia una.

Superimponatur ſtatim alembicus, atque leniſſimo igne ſublimetur ſal, quod vitris parvis incluſum, atque operculis vitreis obturatis, ſervetur.

Ex tempore parari poteſt, ſi
Salis Ammoniaci partes duæ,
Salis Tartari pars una, additis,
Olei Lavendulæ, vel alius odorati, guttis aliquot, miſceantur.

*Ad olfaciendum offertur hyſtericis, & a cephalalgia vexatis.*

## SAL CORALLIORUM.

Solutio Coralliorum, aceto deſtillato facta, in vaſe figulino evaporatur, materiæ reſiduæ ſalinæ, ut odore aceti privetur, aquæ fontanæ portio ſuperfunditur, atque denuo, leni coctione, ad ſiccitatem perducitur. Pari modo etiam parantur

## SAL MARGARITARUM, MATRIS PERLARUM, OCULORUM CANCRORUM.

*Salia hæc ſunt ſolutiones, & virtute omnia gaudent reſolvente, diuretica & ſudorifera.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam dimidiam.*

## SAL CORNU CERVI VOLATILE.

E cervi cornibus, in ſegmenta mediocria diſſectis, igne aperto, e retorta capaci, recipiente amplo adaptato, & juncturis optime clauſis, una cum ſpiritu & oleo, elicitur, atque agitatione a lateribus recipientis elotum, ab olei parte potiori ſegregatur, rectificatione poſtmodum, e cucurbita vitrea, arenæ igne admodum leni, a ſpiritu quoque ac phlegmate ſeparatur, & oſſium calcinatorum, vel cretæ albæ quadruplo mixtum, ſublimatur, itaque ad puritatem deſideratam & candorem gratum deducitur.

*Salia volatilia animalia ſunt alcalinæ naturæ, inſigni gaudent penetrabilitate, reſolvunt, tonum excitant, ſicque ſecretiones omnis generis promovent, atque opem adferre poſſunt, ubi motus excitandi ſunt; e contra ab uſu eorum abſtinendum, ubi jam per ſe nimis intenſi.*

*Dantur a granis tribus ad grana duodecim; largiori vero doſi dari poſſunt, ſi ab oleo empyreumatico liberata ſunt; facilius etiam ſenes, quam juvenes, phlegmaticos, quam ſanguineos & plethoricos perferre, expertum eſt.*

## SAL ESSENTIALE ACETOSÆ ET ACETOSELLÆ.

Herbarum Acetoſæ, vel Acetoſellæ copiam ingentem conciſam, & in mortario lapideo contuſam, inter lintea pura, prelo fortiter exprime. Succum expreſſum ſæpius per manicam Hippocratis cola, donec limpidus, purus & tenuis tranſeat. Liquorem ita depuratum e vitreis vaſis, vel figulinis probe vitreatis, leni ebullitione inſpiſſa, ad conſiſtentiam fere Cremoris lactis recentiſſimi; inſpiſſatum hoc liquidum infunde vitro cylindrico, vel, quod præſtat, urinali, ut usque intra collum plenum ſit; ſuperaffunde parum Olei olivarum, & in cellam, per ſeptem, octo, vel plures menſes repone. Ita ſub oleo, quod fermentationem & mucilaginis generationem prohibet, præcipitatur ſal, ſpeciem Tartari referens, qui, per inclinationem, a liquore ſeparatus, & ſubita aquæ frigidæ affuſione, paulum ablutus quam ocyſſime a fæce, leniterque exſiccatus, verum exhibet ſal plantarum nativum.

Citius etiam hoc ſal parari poteſt, ſuccum acetoſellæ, vel per ſubſidentiam, vel addito albumine ovi, per ebullitionem clarificando, in vitro vel olla vitreata, ad tertiæ vel quartæ partis remanentiam, leniſſimo igne evaporando, atque in locum frigidum reponendo: ſic plerumque ſpatio viginti quatuor horarum, ſal concreſcit, & ad fundum vaſis deſcendit, quod vel ſiccari, vel in aqua fontana rurſus diſſolvi, coagulari, & tali modo depurari poteſt.

Acidum gratum eſt; hinc julapiis refrigerantibus additur, maxime vero apud nos in uſu ad maculas atramentoſas linteorum delendas.

Adulteratur interdum per cremorem Tartari, cujus admixtio difficiliori in aqua ſolutione detegitur. Sunt etiam qui aciditatem ſpiritu Vitrioli vel Nitri augent.

## SAL FEBRIFUGUM SYLVII.

*REC.* Reſiduum a deſtillatione ſpiritus ſalis Ammoniaci, qui cum ſale alcalino præparatus eſt, ſolvitur in aquæ communis puræ ferventis ſufficiente quantitate. Solutio filtratur per chartam, & evaporatur in olla terrea vitreata, ad ſiccitatem usque, agitando ſpatula, donec ſal relictum fuerit ſiccum & albiſſimum.

*Vires ſunt attenuantes, incidentes & reſolventes. Prodeſt in febribus quartanis, nec non tertianis, diaphoreſin & urinam movet, refrigerat, & ad ſcrupulum unum dari poteſt.*

## SAL HERBARUM, vide SAL ABSINTHII.

## SAL MIRABILE GLAUBERI.

Reſiduum ſal, quod, in paratione ſpiritus Salis Glauberiani, in fundo retortæ vel cucurbitæ reperitur, eximitur, aqua fontana fervida diſſolvitur, ſolutio filtratur atque evaporatur, donec pelliculam formare incipit. Tum quietum in loco frigido reponitur, ubi in maſſam glacialem coire ſolet. In fundo manebit liquor corroſivus, a cryſtallis ſeparandus. Si vero ſal ille, ex alcali Salis communis et acido Vitrioli conſtans, in aquæ fervidæ ſextuplo ſolvitur, ſolutio parum inſpiſſatur, & in vitro magno reponitur, tum concreſcit in pulcherrimas cryſtallos, ſingularis formæ, ſatis magnas, in aëre non deliquescentes, et calore in pulverem album fatiſcentes. Facta in aqua ſolutione ſalis, ſi purum fuerit, addito lixivio alcalino, nihil terræ alcalinæ præcipitatur; ſi impurum, ope lixivii alcalini depurari poteſt, denuo cryſtalliſando.

*Sal vite paratus & in pollinem redactus, triplo aceti, cereviſiæ, vini, vel aquæ mixtus & repoſitus, ea conglaciat. Addito carbonum pulvere & in crucibulo fuſus, ſine ſulphuris additione, maſſam exhibet, Hepar ſulphuris dictam, ex qua verum ſulphur minerale præcipitari poteſt. Interne leniter incidendo, detergendo, ſtimulando, urinam pellendo, alvum movendo, reſolvendo, laudem meretur.*

## SAL LUMBRICORUM VOLATILE.

Ad normam Salis cornu cervi paratur.

*Viribus etiam cum illo convenit.*

*Datur & eadem doſi.*

*Sunt, qui vim magis antiſpaſmodicam adſcribunt, quam cæteris ſalibus volatilibus.*

## SAL POLYCHRESTUM E NITRO ET SULPHURE.

*REC.* Nitri puri, ſicciſſimi,
Sulphuris ana partes æquales.

Terantur invicem, mixtum per exiguas portiones ingeratur crucibulo candenti, ea lege, ut nova portio non ingeratur, antequam prior penitus ceſſaverit detonare. Omnis maſſa ſalina adhuc per dimidiam circiter horam detineatur in crucibulo candente, et crebro agitetur, ut, ſi quid ſulphuris ignis actionem non eſſet expertum, adhuc deflagretur. Poſt refrigerationem ſal aqua fervida ſolvitur, filtratur, et evaporatione debita in cryſtallos redigitur.

*Ex*

*Ex alcali nitri et acido ſulphuris ſic formatur ſal medium, Arcano duplicato analogum, licet facilius in aqua ſolubile.*

*Earundem cum illo virium.*

## SAL POLYCHRESTUM DE SEIGNETTE.

*REC.* Sodæ Hiſpanicæ, quæ eſt ſal e planta Kali paratum, libram unam,

Diſſolvatur in

Aquæ fontanæ ferventis libris tribus.

Solutio per chartam filtretur, & in vaſe figulino ebulliat, inter bulliendum inſpergatur

Cryſtallorum Tartari, in pulverem tritarum, quantum lixivium Sodæ capere poteſt; ſufficiunt plerumque unciæ ſex, vel ſeptem.

Mox, poſt additionem cryſtallorum Tartari, oritur efferveſcentia, quæ per intervalla ceſſat & renaſcitur. Tandem præcipitatur pulvis levis, cineritii coloris. Liquor ſupernatans, per chartam filtratus, ad tertias lento igne evaporatur, atque ad cryſtalliſationem reponitur.

Vix determinari poteſt pondus certum cryſtallorum tartari. Soda enim non eadem ſemper eſt, & vel majorem, vel minorem quantitatem Salis Alkali continet. Cryſtallorum Tartari igitur tantum addere neceſſe eſt, usque dum efferveſcentia ceſſet, quod ſignum eſt ſaturationis.

*Cum tartaro ſolubili, vel tartariſato convenit, & easdem vires habet. Loco Salis Anglici cathartici, a drachmis duabus ad ſex, in aqua ſolutus, dari poteſt. Urinam ciet, & alvum movet, absque ulla moleſtia.*

## SAL SEDATIVUM HOMBERGII.

*REC.* Boracis pulveriſatæ uncias quatuor;

Solve in ſufficiente aquæ fervidæ quantitate, affunde

Olei Vitrioli concentrati drachmas decem,

vel eam quantitatem, quæ ſufficit, ut mixtum ſyrupi violarum colorem cæruleum non mutet.

Leni igne, usque dum ſpicula ſalina conſpiciuntur, evaporatur liquor, qui refrigeratus largietur cryſtallos tenues, leves. Remanens liquor denuo, ad abigendam humiditatem, igni admovetur, et frigori exponitur, donec omnes ejusmodi cryſtalli ſeceſſerint. Subquadruplum ponderis Boracis ad laborem recepti æquare ſolet ſal deſideratum, *Cryſtalliſationis* ope hoc modo obtentum.

Obtinetur quoque ſal ejusmodi ſedativum, tenerrimum, minori autem quantitate, et majori pretio per *ſublimationem*; ſi mixtum ſupra dictum Retortæ ingeritur, et ex arena, lento primum calore abſtrahitur, tum igne per gradus aucto ſal ſiccum evehitur.

Utrumque difficulter in aqua eſt ſolubile, alcohol ſubit, et, ut viridi flamma ardeat, efficit. Si cum ſale Sodæ unitur, denuo borax ſurgit. Reſiduum autem cryſtalliſationis largitur ſal mirabile Glauberi, ex acido vitriolico et alcali ſalis communis conſtans.

*Sali ſedativo, quod etiam SAL VITRIOLI NARCOTICUM dicitur, adſcribuntur vires narcoticæ et temperantes, in febribus acutis, cephalalgia, ſpaſmis dolorificis.*

*Doſis grana tria, ad decem.*

## SAL SUCCINI VOLATILE.

*REC.* Raſuræ Succini quantum lubet;

Immittatur Retortæ, cui ea eſt amplitudo, ut ejus non niſi trientem ſuccinum repleat, jungitur ipſi ope veſicæ bubulæ excipulum; inſtitui-

tur deſtillatio ex balneo arenæ primo lento et ſucceſſive aucto ignis gradu. Primo prodit phlegma acidulum, quod ſequitur oleum flavum, deinde rubrum, & cum illo & ſubſequente oleo nigro, ſal volatile. Excipulum crebro evacuetur. Sal, quod cum oleo flavo ſublimatur, et faciliori negotio colligi poteſt, a parietibus vitri auferatur; quod vero cum oleo rubro et nigro prodit, phlegmate prægreſſo ſolvatur, per chartam emporeticam antea madefactam ab oleo ſeparetur, et leni evaporatione in cryſtallos cogatur, quæ ab adhærente oleo badio colore tinctæ eſſe ſolent. Salis ſexageſima circiter pars ex ſuccino obtinetur. Ob caritatem pretii quandoque vel ſale ammoniaco, vel cremore tartari, vel aliis ſalibus mediis & oleo ſuccini adulteratum deprehenditur. In priori caſu terendo cum ſapone madefacto aut alcali fixo, urinoſum ſpirat; in poſteriori ſuper ignem detentum non totum volatile avolat. Depurari poteſt ſal ſuſpectum ſolutione in aqua calida, filtratione, evaporatione & tandem cryſtalliſatione.

*Non ſolum ad Liquoris cornu cervi ſuccinati præparationem inſervit; ſed & per ſe in affectibus hyſtericis, catarrhalibus & nervinis utiliter adhibetur; egregium etiam eſt diureticum, & penetrans aperitivum; ob oleum vero, quod illi adhæret, motus excitat.*

*Datur a granis tribus ad ſcrupulum ſemis, &, ſi probe ab oleo depuratum, ad ſcrupulum integrum aſcendere licet.*

## SAL TARTARI FIXUM.

Tartarus in vaſe terreo non vitreato reverberatur, ad albedinem usque; tum, aqua communi ſolutus, filtratur, & in ſal coagulatur, quod, repetita ſolutione & coagulatione, purius redditur.

*Eſt ſalium alcalinorum omnium optimum ac puriſſimum. In Medicina non minus quam ad chymicos labores inſervit.*

*Purgantium debiliorum, utpote rhabarbari, & foliorum ſennæ, vires excitat.*

## SAL TARTARI VOLATILE.

Fæces vini in umbra, ſuper aſſeres effuſæ, ſiccantur, ex retorta vitrea per gradus, ſicut ſpiritus Tartari, deſtillantur; ſic prodit, una cum oleo & ſpiritu, ſal volatile, quod aqua fontana calida diſſolvitur, atque ab oleo extrahitur & ſeparatur, e cucurbita ſublimatur & depuratur.

*Eſt ſal alcali cum oleo empyreumatico intime mixtum.*

*Vires diaphoreticæ & diureticæ partim oleo huic empyreumatico ſunt adſcribendæ; igitur cum eadem cautela adhibendum, qua ſalia volatilia animalium propinare juſſimus.*

## SAL TARTARI VOLATILE TACKENII.

*REC.* Salis volatilis urinæ uncias duas,
Aceti deſtillati fortiſſimi uncias octo.

Digerantur leni calore, per aliquot dies; poſtea leni igne acetum, per deſtillationem, evocetur, atque
Aceti nova quantitas ſuperfundatur, & poſt digeſtionem abſtrahatur. Sali relicto
Salis tartari quartam partem ſucceſſive adde;

Miſceantur exacte, tum cucurbitæ immiſſa ſublimentur; ſublimato reſiduum in cucurbita adde, tere, & denuo ſublima, atque hanc cohobationem aliquoties repete, donec omnem ſalis tartari quantitatem ſublimatam eſſe obſerves.

*Vires ſunt reſolventes, aperientes & diureticæ.*

*Doſis grana decem ad ſcrupulum unum.*

Sal

## SAL VIPERARUM VOLATILE.

Eadem, qua cornu cervi, encheireſi, e viperis exenteratis & ſiccatis, conficiendum eſt.

*Cum reliquis ſalibus volatilibus animalium convenit, & eadem doſi exhibetur.*

## SAL VOLATILE OLEOSUM.

*REC.* Cinnamomi electi unciam unam,
Macis,
Nucis moſchatæ ana drachmas ſex,
Caryophyllorum aromaticorum drachmas duas ſemis,
Corticum recent. Aurantiorum, Citri ana uncias duas,
Cardamomi minoris,
Cubebarum ana drachmas duas,
Spiritus vini rectificati libras tres.

Stent per triduum, poſtea adde, ſeorſim in pulverem redactorum,
Salis ammoniaci uncias quatuor,
Cinerum clavellatorum uncias ſex,
Aquæ fontanæ libram unam.

Deſtillentur, lento igne, ad remanentiam libræ unius ſemis.

*Ventriculi & inteſtinorum atoniam corrigit, flatus diſſipat, & hyemali ac pluvioſo tempore ſumtum, tranſpirationem inſenſibilem promovet, atque a morbis præſervat.*

*Doſis guttæ viginti quinque ad quadraginta.*

## SAL VOLATILE OLEOSUM ANGELICÆ BOERHAVE.

*REC.* Radicum Angelicæ recentium tenuium, menſe Februario effoſſarum, & minutim inciſarum uncias duas,
Salis ammoniaci, in pulverem triti, unciam unam,
Tartari drachmas tres,
Spiritus vini bonæ notæ, libras duas.

Fiat ſtatim, arcte agglutinato excipulo, deſtillatio leni igne.

Spiritui prolecto denuo
Radicis angelicæ unciam
adde, atque rurſus deſtilla, & in vaſe arctiſſime clauſo repone.

*Celebratur ab auctore, cardiacum, ſtomachicum, ſudoriferum, diureticum, antiparalyticum, antiſpaſmodicum, &c.*

*Doſis guttæ viginti quatuor, triginta, ad quadraginta in vehiculo aquoſo.*

## SAL VOLATILE OLEOSUM, ſive LIQUOR OLEOSUS SYLVII.

*REC.* Olei deſtill. Aniſi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi ana drachmam ſemis,
Macis ſcrupulum unum,
Zedoariæ,
Succini ana ſcrupulum ſemis,
Spiritus ſalis ammoniaci volatilis, vinoſi, uncias novem.

Digerantur in vaſe optime clauſo, & ſerventur.

*Vires ſunt carminativæ, ſtomachicæ & aperitivæ.*

*Doſis guttæ triginta ad quadraginta quinque.*

## SAL VOLATILE URINÆ.

Urinæ juvenum, vel puerorum magna quantitas, in vaſe terreo ad mellis conſiſtentiam evaporetur. Magma hoc vel e cucurbita, vel retorta leni igne deſtilletur; ſic prodit, una cum ſpiritu & oleo fœtido, ſal urinæ, quod, uti in ſalis cornu cervi præparatione docuimus, ab oleo & ſpiritu ſeparandum atque depurandum eſt.

*Cum ſale cornu cervi per omnia convenit: igitur, quæ ibi diximus, repetere ſupervacaneum foret.*

## SANGUIS HIRCI PRÆPARATUS.

Sanguis excipitur, atque, in clibano ſiccatus, ſervatur.

*Ab Helmontio ad pleuritidem tanquam ſpecificum, commendatur, apud plebejos uſus eſt, quoties lapſi, aut aliam contuſionem, vel ſubluxationem, paſſi ſunt.*

*Doſis drachma ſemis ad integram.*

## SAPO CHYMICUS. vid. MIXTURA TOPICA.

## SAPO MEDICATUS.

*REC.* Calcis vivæ recentis ſolidæ libras duas,
committantur ollæ magnæ, atque ſuperponantur
Cinerum clavellatorum libræ quatuor;
ita, ut calx cineribus clavellatis undique tecta ſit, reponantur, linteo leviter tecta, tam diu, donec calx incipit fiſſa dehiſcere, tum demum permiſceantur, atque addantur
Aquæ fontanæ calidæ libræ viginti quatuor.
Coquantur in ferreo vaſe, ad tertiæ vel quartæ partis conſumtionem, transcolentur per linteum denſum. Lixivium ita paratum ovum recens injectum ſuſtinere debet, & a ſaponariis Magiſtra, Meiſter-Lauge appellatur; aqua magis dilutum, ſic, quod in illo ovum recens ad fundum ſubmergatur, ſecundarium vocatur.

*REC.* Hujus lixivii ſecundarii,
Olei olivarum puri & recentis ana libras tres;
Miſceantur accuratiſſime atque leni igne, ſub perpetua agitatione coquantur, donec, evaporata maxima parte humiditatis, quam optime inter ſe coire inceperunt; tum affundantur
Lixivii prioris, ſive Magiſtræ, circiter libræ novem.

Coquantur leniſſimo igne, continuata agitatione, usque dum mixtura pellucida, & quaſi mucilaginoſa ſit, atque gelatinæ inſtar, frigefacta, concreſcat. Tum aliquot uncias ſalis communis adjice, atque coctio continuetur, donec portiuncula hujus mixturæ ſaponaceæ, diſco inſtillata, lixivium a ſapore coagulato, prompte ſecedat. Removeatur ignis, & ſapo, lixivium ſuper natans, mediante cochleari in formas ligneas perforatas, quibus linteum, ut lixivium tranſtillare poſſit, immitti debet, effundatur; Refrigeratus ſapo eximatur, atque in partes diſſectus exſiccetur. Signa laboris bene peracti & ſaponis perfecti ſunt, ſi in frigore ſciſſili duritie conſtet, in aqua perfecte ſolvatur, ad linguam non alcalino-acris ſit, & in aëre non liqueſcat.

Acrem alcalinum ſaporem ſi exhibet, ſignum eſt, alcali abundare, & tum olei parum addi & coctio continuari debet; ſi, ſapone in aqua ſoluto, olei nota apparet, tunc lixivii fortis portio addatur, & ulterius coquantur, donec æquabiliter diſſolvatur in aqua ſapo ita confectus.

*A celeberrimis hujus ſeculi Medicis, & inprimis Bærhavio, in uſum medicum internum vocari cæpit ſapo, & quidem optimo cum ſucceſſu. Ut igitur purus proſtet, præparationis methodum adponere lubuit. Faſtidioſum quidem atque nauſeoſum eſt medicamentum, at virtute egregie aperiente, attenuante, reſolvente & diſſolvente nulli cedit. Aqua ſolutus, calore, motu & contritu tam gummoſa, quam reſi-*

*reſinoſa, oleoſa & pinguia diſſolvit, reddítque ſaponacea, atque in aqua diſſolubilia. Obſtat acido, coagulationem chyli & lactis impedit, imo coagulata reſolvit; inveteratas obſtructiones reſerat, vias permeabiles reddit, calculoſis convenit, & vires novi medicamenti lithontriptici Anglicani inprimis ſaponi ſunt adſcribendæ. In partu difficili bono cum ſucceſſu etiam adhiberi poſſe compertum eſt.*

*Uſus eſt, in aqua ſolutus & probe dilutus.*

*Doſis drachma una, vel duæ; largiorem quidem alii commendant, præſtat vero minori doſi & repetitis vicibus exhibere, ſimulque motum corporis ſubjungere ſufficientem.*

*In morbis vero putredinoſis ejus uſus exulet.*

## SAPO TARTAREUS, ſive CORRECTOR STARCKEY.

*REC.* Salis Tartari puriſſimi, vel potius ſalis, ex lixivio Magiſtra prioris proceſſus per evaporationem obtinendi, libram ſemis.

Fluat in crucibulo, forti igne, per horam unam aut alteram, ſicut pro paranda tinctura tartari fieri ſolet, ut igneus quaſi ac acerrimus fiat. Hunc ſalem effunde in mortarium ferreum, probe calefactum, & piſtillo pari modo calente in pulverem tenuem tere, quem, ab igne adhuc ferventem & tantum non candentem, immitte in purum, ſiccum, calidiſſimum vitrum, urinale vulgo dictum, in loco calido & ſicco, die ſereno; ipſo momento, quo ſal fervidus in vitri fundo collectus hæret, inſtillatur oleum Terebinthinæ deſtillatum, puriſſimum ac æthereum, nullo modo adulteratum, pariter calefactum, guttatim, ita, ut gutta guttam trudat, in mediam partem ſalis ferventis, tum, ingenti cum ſumo & ſibilo ſtrepente, trahetur illapſum oleum illico in ſalem ſiticuloſum, ad intima usque, & diffundet ſe per totam maſſam ſalinam. Inſtillatio continuatur ocyſſime, donec tantum olei in ſalem attractum ſit, ut purum ſupernatet, ſicque omnem acceſſum aëris a ſuperficie ſalis arceat, impediatque. Reponitur vitrum in locum ſubterraneum, charta tectum, brevi oleum diſparebit, unitum ſali alcalino; affunditur tum iterum aliquid olei calidi ejusdem, & baculo ligneo miſcetur priori maſſæ. Reponitur, ut prius, ſicque pergitur, donec triplum fere olei ſali ſic adunatum ſit; eritque maſſa ſaponacea, æquabilis, mire penetrabilis. Quæ, quo magis conteritur & movetur, eo citius & felicius perficietur.

Cognoſcimus bene abſolutum eſſe opus, quando hic ſapo aquæ miſcetur, ſine olei nota.

*Corrector vocatur, quod ſi opio, vel alii vegetabili, ob vehementiam alias nocuo, exempli gratia Elleboro additur, eum corrigat & ſalutarem reddat.*

*Additur hic ſapo pilulis polychreſtis Starckeyanis, ſuo loco deſcriptis.*

*Abſtergit, aperit, diureticus & balſamicus eſt, atque in gonorrhœa & hydrope feliciter adhibetur.*

*Doſis grana octo, ad undecim, in vehiculo aquoſo.*

## SCILLÆ PRÆPARATIO.

Scilla integra paſtæ e farina & aqua, ex qua panis pinſi ſolet, involvitur, poſtea in clibano cocta, eburneo vel ligneo cultello ſquamæ a ſe invicem ſeparantur, & filo trajectæ, in umbra ſiccantur.

*Attenuat, incidit & reſolvit potenter, in affectibus pectoris, a viſcida, craſſa, materia ortis, hydrope & cachexia commendatur.*

*Dosis in infuso scrupulus, vel drachma semis; in substantia vel pulvere grana tria, vel quinque.*

## SECUNDINARUM HUMANARUM PRÆPARATIO.

*REC.* Placentam uterinam humanam, demtis membranis & funiculo, mundetur & lavetur in vini sufficiente quantitate, atque, in frusta discissa, leniterque siccata, loco tepido asservetur.

*Usus est in pulveribus, ad partum difficilem.*

*Dosis scrupulus unus ad drachmam semis.*

## SERICUM TOSTUM.

Eadem methodo, qua Spongiæ, torretur.

*Species cordiales ingreditur, & pro antepileptico habetur.*

*Dosis scrupulus unus.*

## SIEF ALBUM.

*REC.* Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Amyli ana unciam semis,
Cerussæ drachmas sex,
Sarcocollæ drachmas tres.

Misce, fiat pulvis, servetur.

*Additur collyriis, adversus ophthalmiam, a sero acri ortam.*

Si SIEF CUM OPIO expetitur, addatur scrupulo granum dimidium Opii.

## SOLUTIO CORALLIORUM.

Coralliorum rubrorum pulveri subtilissimo aceti destillati quantitatem sufficientem affunde, eoque soluto, acetum per chartam emporeticam colatum, leni igne, evapora, & siccatam solutionem serva.

Eodem recidit cum sale coralliorum prætensio.

## SOLUTIO MATRIS PERLARUM, OCULORUM CANCRORUM,

eodem parantur modo, quo Coralliorum.

*Sunt quasi sal medius, ex alcali terreorum & acido aceti. Aperiunt, urinam movent, & cum aqua commode dilui possunt; in febribus, vulnerariis præsertim, feliciter adhibentur.*

## SPARADRAP sive TELA GUALTH.

*REC.* Emplastri Diapalmæ,
Diachyl. s. ana libram unam,
Albi cocti libram dimidiam.

Liquatis admisce
Pulveris radic. Iridis Flor. unciam unam semis.

Immitte lintea, sive telas vetustate detritas. F. Sparadrap.

*Commendatur ad ulcera inveterata, excoriationes a longo decubitu ortas, nec non ad fonticulos.*

## SPECIES DIAMBRÆ.

*REC.* Doronici,
Galangæ ana drachmas tres,
Zinziberis drachmam unam semis,
Spicæ Indicæ drachmam unam,
Ligni Aloës,
Sandali citrini,
Piperis longi ana drachmas duas,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ,
Macis ana drachmas tres,
Cardamomi majoris,
minoris ana drachmam unam,
Cinnamomi drachmas tres.

Fiat pulvis, quem completum reddimus addendo
Ambræ drachmam unam,
Moschi drachmam semis.

Cale-

*Calefaciunt, caput & ventriculum roborant, concoctionem adjuvant, & in affectibus a causa frigida ortis inserviunt.*

*Dantur in trageis & morsulis.*

*Dosis scrupulus unus ad drachmam semis.*

## SPECIES DIANISI.

*REC.* Pyrethri drachmas duas,
Zinziberis,
Galangæ ana drachmas quinque,
Spicæ Indicæ drachmam unam semis,
Glycyrrhizæ rasæ unciam unam,
Calaminthæ drachmas duas,
Seminum Anisi uncias duas semis,
Carvi,
Fœniculi ana drachmas quinque,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum,
Cubebarum ana drachmam unam semis,
Piperum trium ana drachmas duas,
Cinnamomi drachmas quinque,
Cassiæ ligneæ veræ drachmas duas,
Macis drachmas quinque,
Croci drachmam unam semis,
Mastiches unciam unam.

Misce, fiat pulvis.

*Roborant ventriculum, flatus dissipant, atque tussi stomachicæ subveniunt.*

*Dantur in trageis, a scrupulis duobus ad drachmam unam.*

## SPECIES DIANTHOS.

*REC.* Radicum Liquiritiæ drachmas sex,
Zinziberis,
Zedoariæ,
Galangæ,
Ligni Aloës,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Cardamomi minoris,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Spicæ Indicæ ana scrupulos quatuor,
Florum Rorismarini unciam unam,
Rosarum,
Violarum ana drachmas sex,
Seminum Anethi,
Fœniculi ana scrupulos quatuor.

Misce, fiat pulvis.

*Sunt cephalicæ, stomachicæ, carminativæ; dantur melancholicis & animo languentibus.*

*Dosis drachma semis ad scrupulos tres.*

## SPECIES CONTRA APOPLEXIAM.

*REC.* Succini præparati,
Cornu cervi sine igne præparati,
Ligni Aloës,
Radicis Pæoniæ ana unciam semis,
Corticum citri drachmam unam,
Sacchari perlati uncias tres,
Olei destillati Cinnamomi guttas sedecim.

Redigantur in pulverem, in vitro asservandum.

Completus efficitur, si
Ambræ scrupulus semis,
Moschi grana quinque adduntur.

*Ad dolores capitis etiam chronicos laudantur; Vertigini, atque apoplecticis & epilepticis insultibus præcavendis destinantur. Ita olim credebatur.*

*Dosis drachma dimidia ad scrupulos duos.*

## SPECIES AROMATICÆ CARYOPHYLLATÆ.

*REC* Glycyrrhizæ drachmas duas,
Zedoariæ,
Galangæ,
Ligni Aloës,

Sandali citrini,
Cinnamomi,
Macis,
Piperis longi,
Cardamomi ana drachmam unam,
Cubebarum ſcrupulos duos,
Florum roſarum unciam ſemis,
Caryophyllorum aromaticorum unciam unam.

Fiat pulvis.

Completæ redduntur, ſi unciæ harum ſpecierum adduntur
Ambræ griſeæ grana octo,
Moſchi granum ſemis.

*Vires ſunt ventriculum roborandi, flatus diſcutiendi; phlegmaticis præcipue conveniunt, quibus etiam in cephalalgia & affectibus catarrhalibus, a copioſo ſero, conducunt.*

*Dantur in trageis, a ſcrupulo uno ad duos.*

## SPECIES AROMATICÆ ROSATÆ.

*REC.* Glycyrrhizæ drachmas ſeptem,
Galangæ drachmam unam,
Ligni Aloës,
Sandali citrini ana drachmas duas,
Cinnamomi acuti drachmas ſex,
Caryophyllorum aromaticorum,
Macis ana drachmas duas ſemis,
Nucis moſchatæ,
Cardamomi minoris ana drachmam unam,
Florum Roſarum uncias duas.

Fiat pulvis.

Completæ redduntur, ſi unciis duabus adduntur
Ambræ griſeæ grana octo,
Moſchi grana tria.

*Sunt roborantes, leniter adſtringentes, cephalicæ & carminativæ. In trageis vel confectionibus exhibentur.*

*Doſis ſcrupulus unus ad duos.*

## SPECIES DIABORACIS.

*REC.* Boracis Venetæ unciam ſemis,



Caſſiæ ligneæ,
Croci Orientalis ana drachmam unam,
Raſuræ ligni Sabinæ,
Succini albi præparati ana drachmam ſemis,
Oſſium de cordibus cervi,
Viſci querni,
Florum Cheiri ana ſcrupulum unum.

Miſceantur, fiat pulvis.

*Commendantur ab auctore Mynſicht o ad partum difficilem, fœtum mortuum & ſecundinas pellendas.*

*Doſis ſcrupulus unus, vel drachma ſemis.*

## SPECIES DIACINNAMOMI.

*REC.* Radicum Enulæ unciam ſemis,
Galangæ unciam unam,
Zinziberis,
Caryophyllorum,
Cardamomi utriusque,
Piperis longi,
Macis,
Nucis moſchatæ,
Ligni Aloës ana drachmas tres,
Croci drachmam unam,
Caſſiæ ligneæ unciam ſemis,
Cinnamomi acuti uncias duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Digeſtionem promovet, & cum Saccharo, inſtar trageæ, ſumitur.*

*Doſis drachma ſemis.*

## SPECIES CORDIALES TEMPERATÆ.

*REC.* Serici crudi toſti,
Spodii ex ebore,
Coralliorum alborum, rubrorum ana unciam ſemis,
Margaritarum præparatarum unciam unam ſemis,
Radicum Doronici,
Radicum Been albi & rubri ana drachmas tres,
Ligni Aloës unciam ſemis,
Cinnamomi,

Caryo-

Caryophyllorum,
Offium e cordibus cervi ana drachmas tres,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Sapphiri ana drachmam unam,
Croci ſcrupulos duos.

Fiat omnium pulvis tenerrimus, cui addantur

Foliorum Auri &
Argenti pro lubitu.

*Vires ſunt roborantes, & ad febres malignas, ad palpitationem cordis, lipothymias, a terrore excitatas, commendantur.*

*Doſis a ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.*

## SPECIES DIACRETÆ MYNSICHTI.

*REC.* Cretæ albæ, aqua Roſarum præparatæ, unciam unam ſemis,
Nucum moſchatarum drachmas ſex,
Glycyrrhizæ,
Seminis cydoniorum ana unciam ſemis,
Boli rubræ Orientalis præparatæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana drachmas duas,
Lapidum carpionum,
Macis,
Maſtiches electæ,
Croci Orientalis ana ſcrupulos quatuor,
Sacchari albiſſimi libram unam.

Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

*Acidum in primis viis abſorbent, ad ardorem ſtomachi, quem Sodam vocant, fluxiones & diarrhœam commendantur.*

*Doſis drachma una ad duas.*





## SPECIES DIACRETÆ CAMERARII.

*REC.* Cretæ præparatæ Anglicæ,
Nucum moſchatarum,
Lapidum cancrorum ana unciam unam ſemis,
Liquiritiæ,
Seminis cydoniorum ana unciam unam,
Boli Armenæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana unciam ſemis,
Lapidum carpionum,
Macis,
Maſtiches electæ ana ſcrupulos octo,
Sacchari albi uncias viginti quatuor.

Miſce, fiat pulvis.

*Cum præcedentibus conveniunt.*

## SPECIES DE GEMMIS FRIGIDÆ.

*REC.* Eboris ſpagyrice præparati unciam unam,
Margaritarum Occidentalium præparatarum drachmas ſex,
Corallii utriusque ana unciam ſemis,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Sapphiri,
Sardæ,
Granati,
Sandali albi,
citrini,
rubri ana drachmas tres,
Florum Borraginis,
Bugloſſæ,
Nympheæ ana drachmas duas,
Roſarum drachmas tres.

Miſce, fiat pulvis, addantur
Foliorum Auri nro. viginti.

*Creduntur analepticæ, & tabe consumtis, nec non sudoribus nocturnis vexatis præscribuntur.*

*Dosis scrupulus unus ad drachmam semis.*

## SPECIES HIERÆ PICRÆ.

*REC.* Radicum Asari,
Spicæ Indicæ,
Cinnamomi,
Cubebarum,
Mastichis,
Croci ana drachmas sex,
Aloës Succotrinæ libram unam.

Fiat pulvis.

*Sunt alvum laxantes, & ob addita aromata, ventriculum roborant.*

*Paratur ex his speciebus, addito mellis triplo, electuarium, quod clysteribus admiscetur. Raro interne in forma pulveris, sed in pilulari exhibentur.*

*Dosis grana quindecim ad scrupulum unum.*

## SPECIES DE HYACINTHO.

*REC.* Hyacinthi præparati,
Boli Armenæ,
Terræ Lemniæ veræ, aut Strigensis sigillatæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana drachmam unam semis,
Margaritarum occidentalium præparatarum,
Smaragdi præparati ana drachmam unam,
Cornu cervi præparati,
Eboris rasuræ præparatæ,
Ossium de cordibus cervorum præparatorum,
Radicum Dictamni albi,
Tormentillæ,
Sandalorum omnium,
Rosarum rubrarum,
Granorum Kermes,
Seminum Acetosæ,
Citri decorticati,
Portulacæ,
Croci optimi,
Myrrhæ electæ ana scrupulos quatuor.

Misce, fiat pulvis.

*Leniter adstringunt, ad fluxiones & hæmorrhagias nimias moderandas, pulveribus temperantibus nitrosis utiliter admiscentur.*

*Ex illis, cum syrupo citri, paratur confectio.*

*Dosis a scrupulo semis ad unum.*

## SPECIES DIAJALAPPÆ MYNSICHTI.

*REC.* Radicis Jalappæ resinosæ uncias duas semis,
Cremoris Tartari scrupulos undecim,
Olei Cinnamomi scrupulum unum.

Misce.

*Sine molestia per inferiora purgant.*

*Dosis a scrupulo uno ad drachmam unam.*

## SPECIES IMPERATORIS.

*REC.* Cinnamomi optimi drachmas decem,
Zinziberis,
Caryophyllorum ana unciam semis,
Galangæ,
Macis,
Nucis moschatæ ana drachmas duas.

Misce.

*Ventriculum roborant, & morsulis ac trageis stomachicis adduntur; pro morsulis conficiendis incidendæ, pro trageis pulverisandæ sunt.*

## SPECIES DIAIREOS SIMPLICES.

*REC.* Ireos Florentinæ,
Sacchari candi albi,
Specierum Diatragacanthæ frigidarum ana drachmas sex.

Misce,

Miſce, fiat pulvis.

*Serum acre ad fauces deſtillans demulcent, atque in tuſſi ſicca commendantur.*

*Doſis drachma ſemis ad ſcrupulos duos.*

## SPECIES LÆTIFICANTES RHASIS.

*REC.* Radicum Been albi,
rubri,
Zedoariæ,
Doronici,
Herbæ Meliſſæ,
Seminum Cymi caryophyllati,
Pæoniæ,
Croci,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cardamomi minoris,
Cinnamomi,
Corticum citri,
Maſtiches ana unciam ſemis.

Miſce, fiat pulvis, qui completus redditur additione
Galliæ moſchatæ unciæ ſemis,
Moſchi ſcrupuli unius.

*Attribuuntur vires cordiales, cephalicæ, ſtomachicæ & lætificantes.*

*Dantur incompletæ a drachma ſemis ad unam; completæ a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.*

## SPECIES DIAMARGARITÆ CALIDÆ.

*REC.* Zinziberis unciam ſemis,
Doronici,
Zedoariæ,
Been utriusque ana drachmas tres,
Pyrethri drachmam unam,
Seminis Apii,
Cardamomi utriusque,
Nucum moſchatarum,
Macis,
Piperis longi,
nigri ana drachmas tres,
Cinnamomi drachmas quinque,
Maſtiches,
Margaritarum Orientalium ana unciam ſemis.

Miſce, fiat pulvis.

*Ad ventriculi inflationes, morbos nervorum, a cauſa frigida ortos, in trageis dantur.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## SPECIES DIAMARGARITÆ FRIGIDÆ.

*REC.* Margaritarum Orientalium drachmas ſex,
Corallii albi,
rubri,
Florum Borraginis,
Nymphææ albæ,
Roſarum rubrarum,
Granorum Kermes,
Ligni Aloës,
Sandali albi,
citrini ana drachmas duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Sunt analepticæ, tabidis & a morbis malignis reconvaleſcentibus dantur.*

*Doſis ſcrupulus unus ad duos.*

## SPECIES DIARRHODON ABBATIS.

*REC.* Florum Roſarum rubrarum uncias duas,
Radicis Liquiritiæ drachmas duas,
Spicæ Indicæ,
Rhabarbari ana drachmam unam,
Sandali albi,
rubri ana unciam ſemis,
Seminum Aniſi drachmas duas,
Baſilici,
Cinnamomi,
Croci Auſtriaci,
Maſtiches,

Matris perlarum præparatæ,
Raſuræ eboris,
Cornu cervi philoſophice præparati ana drachmam unam.

Miſce, fiat pulvis.

*Roborantes ſunt, concoctionem & chylificationem adjuvant; in ictero, cardialgia, & cœliaca paſſione proſunt.*

*Dantur a drachma ſemis ad ſcrupulos duos.*

## SPECIES TABACI, PRO FUMO, CAMERARII.

*REC.* Styracis,
Maſtiches,
Benzoës,
Succini ana unciam ſemis,
Olibani,
Seminis Fœniculi,
Aniſi ana drachmas duas,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum ana drachmas tres,
Foliorum Tabaci uncias octo,
Majoranæ unciam unam,
Florum Calendulæ,
Cyani,
Roſarum rubrarum Damaſcenarum,
Lavendulæ ana unciam ſemis,
Liliorum convallium drachmas duas.

Incidantur groſſo modo.

*Commendantur ad dentium dolores & defluxiones rheumaticas.*

*Hauritur fumus fiſtula.*

## SPECIES TABACI, PRO FUMO, OFFICINALES.

*REC.* Foliorum Tabaci uncias ſedecim,
Majoranæ,
Baſilici ana unciam ſemis,



Florum Roſarum,
Lavendulæ,
Liliorum convallium ana drachmas duas,
Seminis Aniſi uncias quatuor,
Fœniculi unciam unam,
Styracis,
Aiæ dulcis ana drachmas quinque,
Ligni Rhodii,
Sandali citrini,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum ana drachmas tres.

Incidantur & contundantur groſſo modo.

*Commendantur, cum præcedentibus, ad eosdem affectus.*

## SPECIES DIATRION SANDALON.

*REC.* Trium Sandalorum ana drachmas duas & ſcrupulos duos,
Florum Roſarum uncias tres,
drachmas tres,
Violarum unciam ſemis,
Rhabarbari,
Seminis Portulacæ,
Spodii ex ebore,
Succi Glycyrrhizæ ana drachmas duas,
Amyli,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ ana ſcrupulos quatuor.

Miſce. Cui camphora arridet, illius ſcrupulum unum admiſcere poterit.

*Veteres perſuaſi, ſandala calorem hepatis præternaturalem corrigere, exhibuerunt has ſpecies, febribus lentis, ictero & hydrope laborantibus, a drachma dimidia ad integram.*

## SPECIES DIATRAGACANTHÆ FRIGIDÆ.

*REC.* Gummi Tragacanthæ albæ uncias duas,
Arabici drachmas decem,

Amyli

Amyli unciam ſemis,
Glycyrrhizæ drachmas duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Serum acre demulcent; ſalutariter exhibentur tuſſientibus, cum calore lento exſiccativo, & in diarrhœa, a ſero acri orta, bonum effectum præſtant.*

*Doſis drachma ſemis & ultra.*

NB. Semina frigida ſunt omiſſa, quoniam brevi tempore rancore inficiunt ſpecies. Hinc conſultius eſt, ſi opus ſit ſeminibus hiſce, illa demum ſub quolibet uſu addere.

## SPECIES DIATURBITH, CUM RHABARBARO.

*REC.* Rhabarbari,
Turbith ana unciam unam,
Hermodactylorum unciam ſemis,
Diacrydii,
Cremoris Tartari,
Seminis Violarum ana drachmas duas,
Olei Cinnamomi guttas quinque.

Miſce, fiat pulvis.

*Serum & bilem educunt, arthriticis & hydropicis conveniunt, lumbricos expellunt.*

*Doſis ſcrupulus unus ad ſcrupulos duos.*

## SPECIES DECOCTI ANTINEPHRITICI, ſive NEPHROCATHARCTICUM FORESTI.

*REC.* Radicum Liquiritiæ unciam unam ſemis,
Petroſelini,
Fœniculi ana uncias duas,
Ireos Florentinæ unciam unam ſemis,
Florum Malvæ,
Altheæ ana drachmas ſex,
Seminum Fœniculi,
Saxifragiæ ana drachmas ſex,
Cicerum rubrorum confractorum uncias ſex.
Jujubarum,
Caricarum ana numero triginta,
Hordei mundati & prius loti uncias tres.

Inciſa & contuſa craſſiuſcule ſerventur ad uſum.

*In nephritide, ad urinæ ardorem mitigandum & calculum pellendum, utiliter decoctum adhibetur.*

*Ad libram unam aquæ, ſpecierum uncia una ſemis requiritur.*

## SPECIES DECOCTI ANTIPODAGRICI VIENNENSIS.

*REC.* Radicis Polypodii querni,
Chinæ ponderoſæ,
Sarſaparillæ,
Hermodactylorum ana uncias quatuor,
Ligni Guajaci uncias ſex.

Conciſa coquantur cum aquæ libris triginta duabus & vini libris octo, lento igne, ad quartæ partis conſumtionem. (Alii decoctum quoque ſecundarium cum aqua & vino ex iisdem ſpeciebus parant.) Decocti hujus, quod ſtatim ab initio inſultus podagrici inchoandum eſt, uſus tam larga quantitate commendatur, ut intra triduum libræ viginti quatuor conſumantur, ſingulis per diem horis octo circiter uncias bibendo. Diætam ſimul ſtrictam obſervando.

*Serum vitioſum hoc modo per diaphoreſin & diureſin evacuando dolores primo ſtatim die mitigari, & curam triduo vel quatriduo abſolvi, experientia docuit; laſſitudine tamen artuum inſigni plerumque remanente. Con-*

*ſultum ducitur, laxante congruo curæ finem imponere.*

*Alii ſcopo præſervativo verno æque ac autumnali tempore per quatuordecim dies Decoctum ſuadent, doſi duarum quotidie triumve librarum, conjunctis lenibus laxantibus.*

## SPECIES PRO DECOCTO AVENÆ, ſive BROMIO.

*REC.* Avenæ albæ electæ, ſæpius lotæ & iterum ſiccatæ, uncias ſex,
Ligni Sandali rubri unciam unam,
Radicum Cichorii ſylveſtris unciam ſemis.

Miſce.

Paratur ex his ſpeciebus celeberrimum illud Decoctum Lowerianum: præſcriptam quantitatem in
Aquæ fontanæ libris duodecim, ad tertiæ partis conſumtionem coquendo, & poſt repetitam colaturam,
Nitri antimoniati unciam dimidiam,
Sacchari uncias duas
addendo.

*Commendatur ad defluxiones acres, ſalinas, ſcorbutum, arthritidem, hypochondriacum malum, nephritidem, hecticam; humorum acrimoniam demulcet, humectat, & partes nimium conſtrictas relaxat.*

*Doſis unciæ ſex, vel octo, quotidie, frigide vel calide, mane & veſperi hauſtæ, uſu per aliquot ſeptimanas continuato.*

## SPECIES DECOCTI CARMINATIVI.

*REC.* Seminum Aniſi,
Dauci,
Cumini,
Carvi,
Fœniculi ana uncias duas,
Glycyrrhizæ,
Florum Chamæmeli vulgaris ana drachmas ſex,
Paſſularum uncias ſex.

Inciſa miſceantur.

*Decocti uſus eſt in clyſteribus, tormina a flatibus orta mitigat, alvum aperit, & flatus educit; prodeſt etiam, cum decocto ſpecierum emollientium, nephriticis.*

*Pro adulto ſpecierum unciæ duæ, in aquæ uncias quindecim coquuntur, ad libræ remanentiam, pro clyſmate.*

## SPECIES CEPHALICÆ, PRO CUCUPHIS.

*REC.* Radicum Cyperi rotundi,
Iridis Florentinæ ana unciam ſemis,
Florum Lavendulæ,
Rorismarini,
Roſarum ana drachmas ſex,
Ligni Rhodii,
Sandali citrini,
Aloës ana unciam ſemis,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi,
Nucis moſchatæ,
Succini citrini,
Styracis ana drachmas tres.

Miſce.

Inciſa & contuſa groſſo modo ſerventur, quibus pro lubitu addi poteſt una aut altera gutta
Olei ligni Rhodii,
Lavendulæ,
Majoranæ.

*Uſum docet titulus. Vires ſunt cephalicæ, nervinæ, roborantes.*

## SPECIES CEPHALICÆ, PRO EPITHEMATE.

*REC.* Herbar. & ſummitat. Betonicæ,
Hyſſopi,
Her-

Herbar. & ſummitat. Lavendulæ,
Majoranæ,
Origani,
Rorismarini,
Rutæ,
Salviæ,
Serpilli,
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Roſarum,
Sambuci,
Foliorum Lauri ana unciam unam,
Salis Ammoniaci unciam ſemis.

Inciſa reponuntur.

*A Chirurgis pro fomentatione, in capitis & aliarum partium contuſione, expetuntur.*

*Applicantur in ſacculis vel epithematibus, cum vino calido.*

## SPECIES EMOLLIENTES.

*REC.* Radicum Altheæ uncias quatuor,
Herbarum quinque emollientium ana uncias duas,
Florum Chamomillæ vulgaris uncias tres.

Inciſa & contuſa miſceantur.

*Inſerviunt pro clyſteribus, emolliunt alvum, & leniunt dolores, a materia acri in inteſtinis hærente profectos.*

*Coquitur uncia una & dimidia in aquæ libra una ſemis, ut reſtet libra una, pro clyſmate, adulto una vice injiciendo.*

*In pulverem tritæ, etiam cataplaſmati conficiendo aptæ ſunt.*

## SPECIES PRO EPITHEMATE CORDIS ET PULSUUM.

*REC.* Herbarum Rorismarini,
Majoranæ,
Meliſſæ,
Florum Cheiri,
Tunicæ ana unciam ſemis,
Florum Lavendulæ,
Roſarum ana drachmas ſex,
Macis,
Nucis moſchatæ,
Ligni Aloës,
Rhodii ana drachmas ſex,
Cinnamomi drachmas ſex,
Corticum Citri,
Aurantiorum ana drachmas tres.

Inciſa & contuſa groſſo modo miſce.

*Uſus ex nomine patet; applicantur in ſacculis, aqua carbunculi vel aceto madefactæ.*

## SPECIES DECOCTI FLORUM ET FRUCTUUM.

*REC.* Radicum Liquiritiæ uncias duas,
Herbarum Capillorum Veneris,
Endiviæ ana drachmas duas,
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum,
Roſarum ana drachmam unam,
Lupuli drachmas duas,
Jujubarum,
Siliquarum dulcium,
Prunorum Damaſcenorum ana uncias duas,
Tamarindorum unciam unam.

Incidantur groſſo modo & miſceantur.

*Sunt pectorales, & pro decocto ordinario inſervire poſſunt.*

*Sumitur ſpecierum uncia una, pro decocti libra una. Pro decocto dilutiore vero requiruntur ad libras quatuor aquæ, ſpecierum unciæ duæ, ad conſumtionem quartæ partis.*

## SPECIES PRO DECOCTO AD GANGRÆNAM.

*REC.* Herbæ Milleſolii,
Abſinthii ana drachmas ſex,

Herbæ Scordii,
Salviæ,
Hyſſopi,
Rutæ,
Florum Sambuci,
Hyperici ana unciam ſemis,
Roſarum unciam unam,
Myrrhæ drachmas ſex,
Aloës,
Aſæ fœtidæ ana unciam ſemis,
Lithargyrii uncias ſex.

Inciſa & contuſa ſerventur.

*Non ſolum in gangræna & ſphacelo nondum confirmato, ſed etiam in inflammationibus, a contuſionibus vel alia violenta cauſa ortis, & gangrænam minantibus, bono cum ſucceſſu adhibetur decoctum harum ſpecierum cum*

*Aquæ calcis vivæ libris quinque, &*

*Aceti vini libris duabus paratum, atque linteis quadruplicatis, ſingulis duabus vel tribus horis, calide applicatum. Addi poſſunt, ante applicationem,*

*Spiritus vini camphorati unciæ quatuor, vel ſex.*

## SPECIES DECOCTI PRO GARGARISMATE ADSTRINGENTE.

*REC.* Herbarum Plantaginis,
Prunellæ ana uncias quatuor,
Salviæ nobilis uncias duas,
Florum Roſarum rubrarum,
Liguſtri,
Balauſtiorum ana unciam unam.

Inciſa miſceantur.

*Virtutes ex nomine patent.*

## SPECIES DECOCTI PRO GARGARISMATE EMOLLIENTE.

*REC.* Radicum Altheæ,
Herbæ Malvæ,
Florum Papaveris erratici,
Malvæ arboreæ,
Sambuci ana unciam unam ſemis,
Seminis Pſyllii unciam ſemis,
Caricarum pinguium uncias duas.

Inciſa & contuſa groſſo modo ſerventur.

*Uſum titulus docet.*

## SPECIES DECOCTI LIGNORUM.

*REC.* Ligni Guajaci libram unam ſemis,
Saſſafras uncias ſex,
Juniperini, uncias quatuor,
Radicum Sarſaparillæ,
Chinæ ana uncias duas,
Liquiritiæ unciam unam ſemis,
Seminum Anniſi,
Fœniculi ana unciam ſemis.

Inciſa & contuſa ſerventur.

*Ad luem veneream, ſcabiem, aliosque lymphæ morbos conducit.*

*Doſis eſt diverſa, pro diverſitate morborum.*

## SPECIES DECOCTI NIGRI.

*REC.* Radicum Tormentillæ unciam unam ſemis,
Herbarum Sabinæ,
Rutæ hortenſis,
Scordii,
Salviæ,
Abſinthii,
Foliorum Quercus ana drachmas ſex,
Corticum Granatorum,
Gallarum Turcicarum ana uncias duas ſemis,
Aluminis crudi uncias quatuor,

Vitrio-

Vitrioli viridis uncias duas,
Viridis æris,
Tartari rubri crudi ana unciam unam.

Miſce, inciſa & contuſa ſerventur.

*Sumuntur harum ſpecierum, ad libram unam aquæ fontanæ & libram vini, unciæ ſex; decocto, pro intentione Chirurgi & circumſtantia morbi, ſpiritus vini additur.*

*Uſus externus ad ulcera deſiccanda inveterata, utplurimum autem ad profundas inflammationes, & gangrænam.*

## SPECIES DECOCTI PECTORALIS.

*REC.* Paſſularum minorum mundatarum unciam unam,
Siliquæ dulcis,
Jujubarum ana drachmas ſex,
Dactylorum uncias duas,
Caricarum pinguium,
Hordei mundi ana unciam unam,
Glycyrrhizæ,
Capillorum Veneris ana unciam ſemis,
Hyſſopi drachmas duas.

Incidantur & miſceantur.

*Decoctum pectorale, lenta, molli, blandaque dulcedine dotatum, partim ſerum incraſſando, acre corrigendo, partim phlegma pulmonibus impactum maturando, bronchia & tracheam demulcendo, humectando, & lubricando, egregie tuſſientibus convenit; ſic etiam in pleuritide, nephritide & variolis, cum fructu adhibetur.*

*Ad libras duas aquæ fontanæ, ſpecierum uncia una ſemis additur, & ad quartæ partis conſumtionem coquitur.*

## SPECIES DECOCTI PRO POTU INFANTUM.

*REC.* Raſuræ Cornu cervi libras duas,
Eboris,
Radicum Liquiritiæ,
Polypodii ana libram ſemis,
Caricarum pinguium,
Siliquæ dulcis ana libram unam,
Seminum Fœniculi,
Aniſi ana libram ſemis,
Florum Tiliæ uncias quatuor,
Cornu cervi uſti libram unam.

Miſce, incidantur.

*Uſus cognoſcitur e titulo. Inſervit ſcilicet decoctum harum ſpecierum pro potu ordinario infantum.*

*Sumitur uncia una ad libras quatuor vel quinque aquæ fontanæ, & poſt unam aut alteram ebullitionem, colatur.*

## SPECIES PRO DECOCTO VULNERARIO.

*REC.* Radicum Enulæ,
Symphyti majoris,
Tormentillæ,
Hirundinariæ ana unciam ſemis,
Liquiritiæ drachmas ſex,
Herbarum Alchimillæ,
Saniculæ,
Plantaginis,
Auriculæ muris,
Hyperici,
Agrimoniæ,
Pimpinellæ,
Bugulæ,
Virgæ aureæ,
Florum Bellidis ana unciam ſemis,
Seminis Fœniculi drachmas ſex.

Inciſa ſerventur.

*Sumuntur loco infuſi Theæ, in vulneribus tam internis, quam externis.*

## SPECIES PRO DECOCTO VULNERARIO PARACELSI CORRECTÆ.

*REC.* Radicum Pimpinellæ albæ,
Ari, ana unciam unam,

Herbarum Saniculæ,
Pyrolæ,
Hederæ terreſtris,
Veronicæ,
Summitatum Centaurii minoris ana unciam ſemis.

Conciſa miſceantur.

*Herbæ hæ vulnerariæ ulcera, ſecundum Paracelſum, ab intra purgant. Quarum effectum adhuc ſecuriorem & notabiliorem experti ſunt Medici practici additis radicibus dictis reſolventibus, iisdem virtutem adſtringentem corrigendo.*

*Drachmæ tres vel uncia ſemis Specierum leniter decoquuntur cum Aquæ libra una, pro uſu interno.*

## SPECIFICUM ANTATROPHUM WEPFERI.

*REC.* Sacchari candi albi uncias quatuor,
Fuliginis e camino ſplendentis unciam unam,
Radicum Ireos Florentinæ unciam ſemis,
Ari præparatarum,
Diaphoretici Jovialis,
Martialis,
Lapidum cancrorum præparatorum ana drachmas duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Commendatur ad atrophiam & rhachitidem, tam puerorum, quam adultorum; acidum inprimis abſorbet, obſtructiones reſerat, atque alvum apertam ſervat.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam unam.*

## SPECIFICUM ANTIFEBRILE CROLLII.

*REC.* Teſtarum concharum oblongarum acuminatarum, quæ in ſtagnis aut lacubus reperiuntur, quantum placet.

Macerentur in aceto forti, ut ab impuritatibus mundari queant, quas, aqua fontana lotas & rurſus exſiccatas, in pulverem ſubtiliſſimum redige.

Crollius conchas calcinare & ita in veram calcem redigere jubet.

*Acidum in primis viis potenter abſorbet, ſudorem & urinam movet; calcinatas vero conchas, in majori doſi exhibitas, cardialgiam nonnunquam excitaſſe compertum eſt.*

*Datur a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam, ante febrium intermittentium paroxyſmum.*

## SPECIFICUM CEPHALICUM MICHAELIS.

*REC.* Cinnabaris nativæ ſublimatæ uncias tres,
Radicis Pæoniæ unciam unam ſemis,
Cranii humani,
Ungularum Alcis,
Cornu Cervi ſine igne præparati,
Smaragdi præparati,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana drachmas duas,
Margaritarum Occidentalium præparatarum,
Unicornu marini,
Succini præparati ana drachmam ſemis.

Miſce, fiat longa trituratione pulvis ſubtiliſſimus.

*Eſt medicamentum longo uſu comprobatum, antiſpaſmodicum & antepilepticum. Commendatur in cephalalgia, hemicrania, epilepſia, aliisque nervorum affectibus.*

*Doſis a granis decem ad viginti quatuor Dimidiam partem cinnabaris conſtituit.*

## SPECIFICUM FEBRIFUGUM CRAANII.

Videatur REGULUS ANTIMONII MEDICINALIS.

SPE-

## SPECIFICUM JALAPPINUM.

*REC.* Magiſterii Jalappæ,
Scammonii ana drachmas tres,
Pulveris Jalappæ unciam unam ſemis,
Cremoris Tartari,
Tartari vitriolati ana unciam unam,
Olei Cinnamomi ſcrupulum unum.

Magiſteria optime cum
Amygdalarum dulcium drachmis duabus,
terantur, quibus additur pulvis Jalappæ, ſalia, & tandem oleum Cinnamomi.

*Purgat ſatis commode.*

*Doſis a ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum, usque ad drachmam ſemis. Drachma una continet grana quinque Magiſterii Jalappæ & totidem Scammonii.*

## SPECIFICUM TARTARI PHARYNGICUM ZOBELII.

*REC.* Acidi ſive cryſtallorum Tartari uncias quatuor,
Aluminis crudi,
Nitri cryſtalliſati ana uncias tres,
Aceti vini deſtillati libras quatuor.

Solvantur & rurſus coagulentur.

*Magnis laudibus ab Auctore pro more ſuo evehitur, præſertim vero ad affectus pharyngis, anginam, uvulæ & gingivarum laxitatem commendatur.*

*Præſcribit unciam ſemis, in Aquæ Plantaginis vel Prunellæ unciis octo ſolutam, pro gargarizatione, & collutione faucium & oris.*

## SPERNIOLA CROLLII.

*REC.* Myrrhæ electæ,
Olibani electi ana uncias duas,
Croci optimi unciam ſemis.

Miſceantur, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui in patina vitrea aqua ſpermatis ranarum, per ſaccum deſtillata, vicies & tricies irroretur & exſiccetur, tandem addantur
Camphoræ drachmæ tres,
& exacte mixta aſſerventur.

*Uſus eſt externus, ad hæmorrhagias & inflammationes compeſcendas.*

*Commendatur etiam ad vulnera a morſu canis rabidi.*

## SPIRITUS ÆRUGINIS ſive VIRIDIS ÆRIS ET VENERIS.

*REC.* Æruginis, ſive viridis æris libram unam.

In pulverem trita immittatur retortæ vitreæ, inſtituatur deſtillatio ex arena, per gradus, in fine ad incandeſcentiam retortæ usque ignem augendo. Prodit liquor acidus, haud ingrati ſaporis; rectificetur per retortam, & ſervetur.

*A venere nihil participat, ſed eſt acetum deſtillatum concentratum; interne ad excitandum appetitum & bilem frænandam, ſitimque mitigandam, a guttis octo ad quindecim, in vehiculo aquoſo datur.*

*Uſibus autem plurimum chemicis inſervit, & idoneum præbet menſtruum, ad ſolvenda corpora terrea, & extrahendas tincturas.*

Nota: Majorem quantitatem purioris ſpiritus, Ærugo in aceto deſtillato ſoluta, & rurſus leni igne coagulata largitur.

## SPIRITUS ANGELICÆ.

*REC.* Radicum Angelicæ uncias quatuor,
Spiritus vini rectificati libras duas,
Aquæ fontanæ libram unam.

Deſtillentur.

*Alexipharmacus eſt, & carminativus ha-*

*habetur, & ad drachmam unam, quin duas commendatur.*

## SPIRITUS ANISI.

*REC.* Seminis Aniſi contuſi libram ſemis,
Spiritus vini libras quatuor & ſemis.
Macerentur per octiduum, & lege artis ſpiritus eliciatur.

*Eſt pectoralis & carminativus; aqua & ſaccharo temperatus bibitur.*

## SPIRITUS ANTHOS.

*REC.* Florum Rorismarini recens collectorum uncias ſex.
Macerentur & deſtillentur cum Spiritus vini rectificati libris duabus.

*Eſt cephalicus & nervinus; interne raro, externe ſæpius ad odoratum exhibetur.*

## SPIRITUS APERITIVUS PENOTI.

*REC.* Vitrioli Hungarici, ad albedinem calcinati, libras quatuor,
Tartari albi, ſolutione & cryſtalliſatione depurati, libram unam ſemis.

Pulveriſata & mixta cellæ humidæ exponantur, ut paululum deliqueſcant, tum igne arenæ e retorta deſtillentur, & ſpiritus ſervetur.

*Eſt Spiritus Tartari vitriolatus; laudatur ad obſtructiones hepatis, lienis, & meſenterii reſerandas. Sudoriferum & diureticum præbet.*

*Doſis eſt ſcrupulus unus ad drachmam ſemis, in vehiculo aquoſo.*

## SPIRITUS BALSAMICUS vel BALSAMUM VITÆ ALBUM.

*REC.* Olibani,
Myrrhæ,
Galbani ana uncias tres,
Ligni Aloës,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Nucum moſchatarum,
Galangæ,
Zedoariæ,
Zinziberis ana unciam unam,
Baccarum lauri uncias quatuor,
Terebinthinæ Venetæ uncias duodecim,
Spiritus vini rectificati libras duodecim.

M. deſtillentur poſt ſufficientem digeſtionem ex Balneo.

*Æquiparatur balſamo illi celebri Auguſtanorum. Vires ſunt ſtomachicæ, diureticæ, carminativæ, nervinæ. Tam externe quam interne adhibetur.*
*Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.*

## SPIRITUS BALSAMI PERUVIANI.

*REC.* Balſami Peruviani nigri uncias tres,
Salis Tartari ficciſſimi unciam unam.

Terantur ſimul, & probe mixtis ſuperaffundantur
Spiritus vini rectificatiſſimi unciæ quindecim;

Poſt digeſtionem per triduum, deſtillentur lento igne, e balneo, & ſpiritus prolectus fragrantiſſimus ſervetur.

*Virtute gaudet analeptica & roborante; ſudorem & urinam movet.*
*Tranſit, cum Julepo roſato mixtus, in ſyrupum balſamicum, ſi nimirum ſcrupulus unus ſpiritus hujus addatur unciæ uni julepi.*

## SPIRITUS BEZOARDICUS BUSSII.

*REC.* Spiritus cornu cervi volatilis, vel eboris uncias duas,
Salis Ammoniaci uncias quatuor,
Cinerum clavellatorum uncias duodecim,

Suc-

Succini flavi pulverisati uncias sex,
Olei de Cedro drachmas duas;
Misceatur Sal Ammoniacum cum succino & oleo, quibus adde Cineres clavellatos, in libra una aquæ fontanæ solutos;
Spiritus vini rectificati libras tres,
his adjunge Spiritum cornu cervi, & per ignem arenæ, e cucurbita luto probe munita, destilla.

*Potenter sudorem atque urinam movet, antispasmodica virtute pollet, & sicut reliqua alcalina, acidum infringit.*

*Dosis guttæ triginta ad quinquaginta.*

## SPIRITUS CARMINATIVUS SYLVII.

*REC.* Radicum Angelicæ drachmam unam,
Imperatoriæ,
Galangæ ana drachmam unam semis,
Foliorum Rorismarini,
Majoranæ,
Rutæ hortensis,
Basilici,
Summitatum Centaurii minoris ana drachmas duas,
Baccarum Lauri drachmas tres,
Seminum Angelicæ,
Levistici,
Anisi ana unciam semis,
Zinziberis,
Nucum moschatarum,
Macis ana drachmam unam semis,
Cinnamomi drachmas sex,
Caryophyllorum,
Corticum Aurantiorum ana drachmam unam.

Concisis & contusis affunde
Vini albi generosi libras quatuor,
Spiritus vini rectificati libram unam.

Digerantur per biduum in Mariæ balneo, hinc destillentur ad dimidias, & spiritus egressus servetur.

*Commendatur ab auctore ad nauseam, vomitus & ructationes, cum Aqua Menthæ, vel Fœniculi & Saccharo mixtus, cachecticis adhibetur.*

## SPIRITUS CARMINATIVUS DE TRIBUS.

*REC.* Nitri crudi crystallini,
Tartari albi puri ana libras duas.

Misce, & per retortam tubulatam in adaptatum magnum recipientem, cui spiritus vini rectificati libræ duæ antea infusæ fuerunt, destilla; hac tamen cautione: ut nunquam ultra drachmæ duæ, vel tres, una vice injiciantur per tubulum, hocque non nisi finita detonatione, repetatur. Peracta destillatione, spiritum in recipiente collectum, & ex cucurbita vitrea humili rectificatum, serva.

Sunt, qui spiritum residuo in retorta affundere & rursus abstrahere jubent; cum vero hoc modo nihil præter spiritum vini, oleo tartari imprægnatum, producant, præstat sine ulla additione ex cucurbita humili rectificationem instituere.

*Vires titulus indicat. Sunt vero non solum carminativæ, sed & antispasmodicæ, diaphoreticæ & diureticæ, atque hypochondriacis & hystericis commendari meretur.*

*Dosis guttæ triginta ad sexaginta usque.*

## SPIRITUS CASTOREI COMPOSITUS LONDIN.

*REC.* Castorei unciam unam,
Florum Lavendulæ drachmas sex,
Salviæ,
Rorismarini ana drachmas tres,
Cinnamomi drachmas duas,
Macis,

Caryophyllorum ana drachmam unam,
Spiritus vini rectificati libram unam ſemis,
Aquæ Lavendulæ libram ſemis,
Salis Ammoniaci uncias duas,
Tartari, vel Cinerum clavellatorum uncias tres.

Miſce, & poſt digeſtionem per triduum, deſtillentur, & ſpiritus unciæ quindecim proliciantur, quibus adde
Camphoræ drachmas duas,
Olei deſtillati Rutæ,
Succini ana guttas viginti.

*Uſus eſt tam internus, quam externus; naribus admovetur in affectibus hyſtericis.*

*Datur interne in motibus convulſivis, colica hyſterica & torminibus, a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis, ex aqua Meliſſæ, vel alio vehiculo.*

## SPIRITUS CERASORUM NIGRORUM.

*REC.* Ceraſorum nigrorum, maturorum, quantum vis.

Contundantur una cum nucleis, & doliolo querno, ad id accommodato, ſatisque capaci, indita, loco tepido, pauxillo fæcum cereviſiæ addito, ſtent, donec fermentando acidiuſculum, aut vinoſum ſpirare cœperint odorem; tum e veſica deſtillentur, & ſpiritus inde natus rectificetur.

*A nucleis vim quandam diureticam, de reliquo vix alias, quam ſpiritus vini, virtutes habet.*

Simili modo parantur, etiam per fermentationem,

## SPIRITUS CYDONIORUM, EBULI, SAMBUCI,

& aliorum fructuum.



## SPIRITUS COCHLEARIÆ.

*REC.* Herbæ Cochleariæ florentis libras ſex,
Contunde, ac veſicæ immiſſæ, affunde
Spiritus vini non rectificati libras quatuor,
Aquæ fontanæ libram unam.

Juncturis probe clauſis ac munitis, deſtilla igne moderato ſpiritum, quem, recenti herbæ rurſus affuſum, iterum deſtilla, rectifica, ac in vitro probe obturato ſerva.

*Magnæ efficaciæ eſt adverſus ſcorbutum; pollet etiam virtute carminativa & diuretica, atque ad ulcera oris & gingivas exulceratas, melle roſato mixtus convenit.*

*Datur interne a drachma ſemis ad unam, aqua dilutus.*

Per fermentationem quoque paratur, minoris vero efficaciæ ac gratiæ.

## SPIRITUS CORNU CERVI.

Uno eodemque labore, quo Sal volatile cornu cervi, obtinetur, & ab oleo empyrevmatico ſeparari & rectificari debet.

Inter merces nundinales pharmacevticas genuinus vix haberi dicitur ſpiritus C. C. quum partim non ex C. C. ſed ex Oſſibus quibuscunque, vilioris pretii cauſa, deſtillatus ſit; partim rectificatione ſuper calcem vivam acrimoniam, quam præ ſe fert, acquiſiverit, ut majorem ſalis urinoſi quantitatem mentiatur.

*Eſt antiſpaſmodicum longo uſu probatum, aperitivum, diaphoreticum ac diureticum.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis usque.*

## SPIRITUS CORNU CERVI AD USUS EXTERNOS.

*REC.* Olei cornu cervi fœtidi unciam unam,

Ci-

Cinerum clavellatorum uncias duas.

Miſceantur & affundantur

Spiritus vini non rectificati libræ octo,

deſtilletur ſpiritus ex cucurbita vitrea ad dimidias, & ſervetur in vaſe probe clauſo.

*Uſus, uti ex titulo patet, eſt externus ad membra paralytica. Interne ſumtus, ſudorem & urinam movet; verum, ob oleum empyrevmaticum ſanguinem exæſtuat: hinc parciori doſi, i. e. ad guttas viginti vel triginta, exhibendus.*

Qui ex ſale volatili C. C. mediante ſpiritu vini rectificato, oleum extrahunt, ut ſalem puriorem habeant, eodem labore ſpiritum, oleo cornu cervi imprægnatum, nanciſcuntur, qui addita ſalis alcali portione rectificari poteſt.

## SPIRITUS CORTICUM AURANTIORUM.

*REC.* Corticum Aurantiorum recentium libram unam ſemis,

Spiritus vini rectificati libras octo,

Aquæ fontanæ libras duas.

Deſtillentur e veſica, lento igne, & ſpiritus vini libræ octo proliciantur, qui, aqua fontana dilutus & ſaccharo edulcoratus, ſervetur.

*Ad ventriculum confortandum, & flatus pellendos, ſumitur. Non dilutus nec edulcoratus inſervit pro menſtruo Tincturæ corticum aurantiorum.*

## SPIRITUS CORTICUM CITRI.

Ad normam ſpiritus corticum Aurantiorum, ſuperius modo deſcripti, conficitur.

*Easdem virtutes habet, & menſtruum præbet, pro eſſentia carminativa.*

## SPIRITUS CROCI.

*REC.* Croci Orientalis uncias duas,

Spiritus vini rectificati libras duas,

Aquæ fontanæ libram ſemis.

Miſceantur & ſtent per aliquot dies in digeſtione, poſtea deſtillentur, leni igne, e cucurbita vitrea, atque ſpiritus unciæ viginti eliciantur. Ex reſiduo Extractum Croci parari poteſt.

*Raro in uſum venit, niſi ad Elixir croci anticolicum parandum. Externe, cum aliis ſpirituoſis applicatus, virtute paregorica ſe commendat.*

## SPIRITUS FORMICARUM.

*REC.* Formicarum, menſibus Junio vel Julio captarum, libram unam,

Spiritus vini rectificati libras duas.

Miſce. Deſtillentur ex Mariæ balneo ad ſiccitatem.

*Adſcribuntur virtutes aphrodiſiacæ, antapoplecticæ, analepticæ & diureticæ. Interne ad drachmam unam, usque ad duas exhibetur. Externe commendatur ad rhevmaticos & arthriticos dolores; paralyticis membris conducit.*

Sunt, qui ex formicis, ſine additione ſpiritus vini, per retortam ſpiritum deſtillant volatilem, qui tamen, præ aliis ejusmodi ſpiritibus empyrevmaticis, ex animalibus deſtillatis, vix ullam prærogativam habet. Ad externos uſus ejusmodi ſpiritus cum ſpiritu vini maritantur, uti de ſpiritu C. C. ſuo loco diximus.

## SPIRITUS FULIGINIS.

*REC.* Fuliginis nigerrimæ, compactæ & ſplendentis, quantum vis.

Deſtilletur e retorta, juncturis optime clauſis, igne arenæ, initio leni, poſtea gradatim aucto, ſpiritum prolectum ab oleo ſepara at rectifica.

*Egregium eſt ſudoriferum & diureti-*

*cum. Laudatur etiam ab Hartmanno ad epilepſiam, morbos ſoporoſos & hyſtericos.*

*Doſis guttæ triginta ad quinquaginta.*

## SPIRITUS JUNIPERI.

*REC.* Baccarum Juniperi conquaſſatarum libras quatuor,
Spiritus vini non dephlegmati libras octo.

Deſtillentur ad dimidias.

*Remedium eſt carminativum, diureticum & ſudoriferum; uſus eſt tam internus, quam externus, in affectibus colicis & rhevmaticis.*

## SPIRITUS LAVENDULÆ.

*REC.* Florum Lavendulæ libram unam,
Spiritus vini non rectificati libras quatuor.

Digeſtione per triduum facta, deſtillentur ad dimidias.

*Raro interne eo utimur; externe ad membra paralytica confortanda, fugillationes reſolvendas, & ad odoratum adhibetur.*

## SPIRITUS LIGNI GUAJACI.

Impleatur retorta ſcobe ligni ſancti vel Guajaci, & igne arenæ deſtilletur, ſic prodit primo phlegma, quod ſequitur ſpiritus, & tandem oleum nigrum empyrevmaticum.

*Viribus cum ſpiritu fuliginis convenit, & eadem doſi dari poſſet.*

## SPIRITUS LILIORUM CONVALLIUM.

*REC.* Florum Liliorum convallium libram unam,
affunde
Vini generoſi albi libras decem,
Spiritus vini rectificati libram unam ſemis,

Ad dimidias e cucurbita deſtilla, prolectam aquam ſpirituoſam novis affunde floribus, & deſtilla iterum ad dimidias atque ſpiritum ſerva.

*Aquarum antapoplecticarum & epilepticarum ingrediens ſunt lilia convallium. Adſcribitur illis vis ſpecifica, cordialis & nervina, ac memoriam confortans. Raro tamen ſpiritus interne datur; externe ad convulſiones, luxationes & dolores rhevmaticos utiliter adhibetur; naribus attractus, adverſus odontalgiam laudatur.*

## SPIRITUS LUMBRICORUM VINOSUS.

*REC.* Lumbricorum terreſtrium vivorum libras duas;
Superfunde
Spiritus vini phlegmatici libras quinque ſemis.

Poſt digeſtionem per biduum, deſtillentur, leni igne, ad dimidias, e veſica.

*Uſus eſt externus, & ad rhevmaticos & arthriticos dolores laudatur.*

## SPIRITUS LUMBRICORUM VOLATILIS.

*REC.* Lumbricorum terreſtrium exſiccatorum libras tres, vel quantum placet.

Committantur retortæ vitreæ, & ex arena, per ſucceſſivos ignis gradus, deſtillentur; ſic prodeunt ſpiritus, ſal volatile & oleum empyrevmaticum fœtidum, quæ refrigerata ſeparentur, & ſal, ut ab oleo fœtido liberetur, oſſium calcinatorum triplo vel quadruplo miſceatur, & ſublimetur; quæ ſublimatio bis vel ter repetenda, donec ſatis albus & ab oleo liberatus exiſtat; ſpiritus vero, ab oleo empyrevmatico, ope chartæ bibulæ madefactæ, ſeparatus, rectificetur.

*Vires habet ſal volatilis & ſpiritus, cum ſpiritu & ſale volatili cornu cervi communes; a nonnullis magis diuretici & antarthritici deprædicantur.*

Spi-

*Spiritus adhiberi etiam ſolet externe in rhevmatiſmis, contuſionibus, luxationibus & paralyſi.*

*Rectificatus datur interne ad guttas triginta, & ſal volatile ad grana ſex vel octo.*

## SPIRITUS MASTICHINUS.

*REC.* Maſtiches uncias quatuor,
Cinnamomi unciam ſemis,
Caryophyllorum,
Nucis moſchatæ ana drachmas tres,
Zinziberis,
Galangæ,
Cardamomi minoris,
Corticis Winterani ana drachmas duas.
Pulveriſata infundantur in
Spiritus Vini rectificati libris decem.
Stent per aliquot dies in digeſtione, poſtea, additis
Aquæ fontanæ libris duabus, e veſica deſtillentur.
Quod ſi
Spiritus hujus prolecti libris duabus,
Aquæ fontanæ, in qua Sacchari unciæ decem ſolutæ ſunt, libra una
additur, nominatur

ELIXIR MASTICHINUM,

quod loco aquæ vitæ haurire ſolent.

*In morbis ventriculi, a cauſa frigida ortis, colica flatulenta & ructibus, cum inſigni fructu datur.*

*Doſis aqua diluti & edulcorati, eſt uncia ſemis ad integram.*

## SPIRITUS MATRICALIS.

*REC.* Maſtiches,
Myrrhæ,
Thuris,
Succini ana unciam unam ſemis,
Spiritus vini rectificati libras quatuor.
Deſtillentur e balneo, ad ſiccitatem.

*Ad luxationes, ſugillationes, & ubi paregorica, ſpirituoſa locum inveniunt, adhiberi poteſt.*

## SPIRITUS MELISSÆ.

Paratur, ut ſpiritus Lavendulæ.

*Nervinus, carminativus, ſtomachicus & uterinus eſt, & pro menſtruo, ad Tincturam Caſtorei extrahendam, inſervit.*

## SPIRITUS MELLIS.

*REC.* Mellis puri libras duas,
Arenæ mundæ libras tres.
Miſceantur, & e retorta, arenæ igne, per gradus fiat deſtillatio. Liquor prolectus ab oleo ſeparetur, atque rectificetur, phlegmate prius prodeunte, & dein ſpiritu ſubſequente.

*Eſt acidus, & empyrevma olet.*

*Specifica huic ſpiritui attribuitur vis diuretica; aperitivus & diaphoreticus etiam eſt, quod oleo, quo imbutus, empyrevmatico tribuendum.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## SPIRITUS MENTHÆ.

Cum ſpiritu vini, ad normam Lavendulæ ſpiritus, conficitur.

*Vires ſunt ſtomachicæ, nervinæ & carminativæ.*

## SPIRITUS MINDERERI.

*REC.* Aceti deſtillati fortiſſimi, quantum lubet;
adde, per vices,
Salis alcali volatilis, ex ſale ammoniaco parati, quamdiu efferveſcentia exinde oritur, ut tandem ſaturatio obtineatur.

*Liquor eſt ſalinus, penetrantiſſimus, aperiens, attenuans, diaphoreticus. Extrin-*

*trinſecus fomenti inſtar appoſitus ſummum eſt diſcutiens & reſolvens in morbis ocularibus, ubi in cornea aut humore aqueo opaci quid hæret.*

## SPIRITUS NITRI ACIDUS.

*REC.* Nitri puriſſimi libram unam,
Terræ argillaceæ, vel Boli rubræ libras ſex.

Pulveriſata miſceantur exacte, humectentur ſufficiente quantitate aquæ fontanæ, atque e maſſa formentur globuli parvi, qui rurſus exſiccati immittantur retortæ lapideæ, aut vitreæ, probe loricatæ, & igne gradatim adminiſtrato, in receptaculum valde capax, cui libra ſemis aquæ ſimplicis antea immiſſa ſit, deſtillentur, donec rubri vapores ceſſent. Spiritus prolectus rectificetur, atque a phlegmate ſeparetur.

*Spiritus Nitri plurimum expetitur ad chemicos uſus; externe ad verrucas aliasque excreſcentias præternaturales auferendas Chirurgi eo utuntur.*

## SPIRITUS NITRI ANTICOLICUS.

*REC.* Spiritus Nitri acidi ordinarii libram ſemis,
Carminativi Sylvii libram unam,
Eſſentiæ carminativæ Wedelii uncias duas.

Miſceantur, & poſt digeſtionem per triduum filtrentur.

*In colica, a flatibus orta, bonam præſtat opem; vim habet carminativam & diureticam.*

*Doſis ſcrupulus unus vel drachma ſemis.*

## SPIRITUS NITRI CONCENTRATUS, ſive FUMANS.

*REC.* Nitri cryſtallini ficciſſimi, libras duas,
Olei Vitrioli libram unam.

Immittatur Nitrum pulveriſatum, & optime exſiccatum retortæ ſatis capaci, ſiccæ, antea caleſactæ; ſuperfunde Oleum vitrioli, & adaptato amplo recipiente ex arena deſtillationem inſtitue, vaſorum junĉturis probe clauſis, leni igne: ita ſpiritus ſub fumorum rubicundorum forma prodit, qui in vitro, epiſtomio vitreo clauſo, ſervandus. Si nitrum et oleum vitrioli in quantitate anatica ſumuntur, ſuperflua quantitas acidi vitriolici in retorta remanebit, vel adhibito igne fortiori ſpiritus cum nitroſo ſimul valde vitriolicus propelletur.

*Obtinetur ita acidum concentratum puriſſimum nitri; & ad ſpiritus nitri dulcis præparationem inſervit.*

*Curioſum eſt experimentum, quod cum oleo caryophyllorum genuino, terebinthinæ, aliisve inſtituitur: quando ſcilicet ſpiritui huic fumanti nitroſo inſtillantur guttæ aliquot prædictorum oleorum, flamma erumpit, citra acceſſum ignis elementaris, luculentiſſima.*

Si vaſi recipienti ante deſtillationem aqua fontana in ratione ſubquadrupla reſpectu ingredientium immittitur, ſpiritus nitri pro ſcopis docimaſticis ſatis adhuc generoſus obtinetur. Exploratur ſinceritas ſpiritus, addendo tantillum ſolutionis lunæ, utpote per quam acidum vitrioli vel ſalis communis, quod ſpiritui nitri admixtum eſſet, cum luna ad fundum præcipitatur, ſicque depuratur ſpiritus Nitri.

## SPIRITUS NITRI DULCIS.

*REC.* Spiritus Nitri fumantis unciam unam ſemis,
Vini rectificatiſſimi libram unam.

Spiritus Nitri ſucceſſive inſtilletur ſpiritui vini, & poſt digeſtionem aliquot dierum, in loco frigido, lento

lento igne e cucurbita vel retorta deſtillentur.

Criterium dulcificationis eſt, ſi ſpiritus cum inſtillato oleo Tartari per deliquium nullam excitet effervescentiam.

*Cum vehiculo aquoſo in colica flatulenta egregium effectum anodynum & carminativum exſerit.*

*Scopo diuretico etiam a guttis quadraginta ad ſexaginta, ſufficienti aqua dilutus, dari poteſt.*

## SPIRITUS PANIS.

*REC.* Panis triticei bis cocti, optime ſiccati, quantum placet.

Immittatur in fruſta confractus retortæ vitreæ, atque ex arena, leni igne per gradus aucto, deſtilletur. Spiritus, poſt deſtillationem ab oleo ſeparatus, rectificetur.

*Adſcribuntur vires ſtomachicæ, & appetitum confortantes.*

*Inprimis vero ad Coralliorum Tincturam extrahendam adhibetur.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.*

## SPIRITUS ROSARUM.

Pari ratione, ut Spiritus Liliorum convallium, deſtillatio peragitur.

## SPIRITUS ROSARUM, PER FERMENTATIONEM.

*REC.* Florum Roſarum, in mortario contuſorum, libras duodecim,
Sacchari libras duas,
Fermenti panis libram ſemis,
Aquæ fontanæ tepidæ libras triginta.

Stent in vaſe ligneo, donec fermentata odorem vinoſum ſpirent; deſtillentur poſtea e veſica, & ſpiritus rectificetur.

*Laudantur eædem virtutes, quæ Spiritus Liliorum convallium.*

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI ANISATUS.

*REC.* Salis Ammoniaci in pulverem triti libram ſemis,
Cinerum clavellatorum libram unam,
Seminis Aniſi uncias tres,
Spiritus vini non dephlegmati libras quatuor.

Miſceantur & deſtillentur ex cucurbita vitrea, atque proliciantur liquoris oleoſi volatilis libræ duæ ſemis.

Serventur in vitro probe clauſo.

*Pectoris infarctu pituitoſo reſolvendo, tonum pulmonum roborando, decubitum humorum prohibendo, & flatibus discutiendis, egregium eſt remedium.*

*Doſis guttæ decem ad quadraginta.*

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI AROMATICUS, PHARMACOP. EDINBURG.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Galangæ,
Summitatum Majoranæ,
Rorismarini,
Corticum Aurantiorum,
Citri,
Cinnamomi ana drachmas ſex,
Caryophyllorum,
Nucum moſchatarum,
Macis ana drachmas tres;

Inciſis & contuſis affunde
Spiritus vini non dephlegmati libras tres.

Digerantur per triduum, poſtea addantur cinerum clavellatorum,
Salis Ammoniaci ana unciæ quatuor.

Deſtillentur leni igne ex cucurbita vitrea ad dimidias.

*Vires celebrantur cephalicæ, ſtomachicæ, carminativæ, nervinæ. Externe etiam odoratui inſervit, & ſpiritibus nervinis, pro frictione membrorum paralyticorum, additur.*

*Dosis a guttis quindecim ad quadraginta in vehiculo aquoso.*

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI SIMPLEX.

*REC.* Salis ammoniaci,
Cinerum clavellatorum partes æquales.

Immittantur cucurbitæ vitreæ, atque affundatur quintuplum ponderis aquæ fontanæ. Alembico superimposito, et juncturis probe lutatis, leni igne instituatur destillatio, ut proliciatur spiritus, quousque fortis et sale probe impregnatus fuerit, qui seorsim servetur. Si mutato recipiente destillatio continuetur, quamdiu aliquid salis volatilis odore sese manifestat, posterior hic spiritus debilior novis ejusmodi præparationibus reservari potest.

*Vires sunt, sali volatili alcalino purissimo, ab omni oleo empyreumatico depurato, competentes.*

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI SUCCINATUS, sive ESSENTIA SUCCINI, SPIRITU SALIS AMMONIACI EXTRACTA.

*REC.* Succini flavi odorati uncias duas.

Pulverisato affunde
Spiritus salis Ammoniaci vinosi uncias sex.

Digerantur in vitro probe clauso, in loco tepido, per aliquod tempus; postea clarum a spisso, per inclinationem separetur & servetur.

*Nobile ac egregium est cephalicum, anticatarrhale, stomachicum, anthystericum & diureticum.*

*Dosis guttæ quindecim ad quadraginta.*

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS VINOSUS.

*REC.* Salis Ammoniaci in pulverem triti libram semis,
Cinerum clavellatorum libram unam.

Immittantur cucurbitæ vitreæ atque affundatur
Aquæ fontanæ libra semis,
Spiritus vini rectificati libra una.

Alembico superimposito, & juncturis probe lutatis, destillentur lento igne, ex arena, & spiritus volatilis prodeuntis circiter unciæ decem vel undecim colligantur.

*Est sal volatile liquidum, urinosum, purissimum, & in morbis partium solidarum, ab atonia ortis, scopo tonico, bonam præstat opem, egregium est diureticum & resolvens.*

*Datur interne a guttis viginti ad triginta; externe ad resolvendum, cum aliis nervinis spiritibus mixtus, dolentibus partibus illinitur.*

Additis oleis destillatis, varia salia volatilia, sic dicta oleosa, ex tempore parari possunt.

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS URINOSUS.

*REC.* Calcis vivæ recens calcinatæ uncias duodecim,
Salis ammoniaci uncias quatuor,
Aquæ fontanæ libras duas.

Calci vivæ & sali ammoniaco, singulis seorsim in pulverem redactis, & cucurbitæ vitreæ immissis, superfundatur aqua fontana, & juncturis, impositio alembico, probe lutatis, statim leni igne instituatur destillatio, & spiritus unciæ octo proliciantur, qui in vase optime clauso servandus.

Debilior, qui in destillatione sequitur, seorsim potest servari, & novæ destillationi, loco aquæ, addi.

*Penetrantior est illo, cum cineribus clavellatis destillato, & conservari vix potest.*

*Usus*

*Usus utplurimum est externus, ad excitandos sopore profundo sepultos; naribus epilepticorum etiam admovetur, sub ipso paroxysmo; additur spiritibus nervinis, ad membra paralytica fricanda.*

## SPIRITUS SALIS COAGULATUS.

*REC.* Salis Absinthii uncias duas,
Spiritus Salis unciam unam, vel quantum ad saturationem sufficit.

Evaporentur mixta in vitro, ad siccitatem.

*Ad Salis febrifugi Sylvii naturam accedit, & virtutes habet diureticas, resolventes.*

## SPIRITUS SALIS COMMUNIS ACIDUS.

*REC.* Salis communis decrepitati libras duas,
Terræ figulinæ libras sex.

Misceantur, addita aquæ sufficiente quantitate, ut globuli exinde formari possint, qui exsiccati retortæ loricatæ indantur, & igne gradatim adhibito in vas recipiens amplum destillatio instituatur, quousque nulli amplius spiritus, sub nebularum forma comparentes, egrediantur. Liquor destillatus rectificetur.

*Quæ de concentrato mox dicentur, hic etiam locum habent.*

## SPIRITUS SALIS COMMUNIS CONCENTRATUS, sive GLAUBERIANUS.

*REC.* Salis communis libram unam; humectetur
Aquæ fontanæ unciis tribus vel sex.

Immittatur cucurbitæ vitreæ, atque successive superaffundantur
Olei vitrioli unciæ sex vel septem.

Superimposito alembico & juncturis optime clausis, leni igne arenæ instituatur destillatio. Spiritus prolectus fumans, volatilis, e cucurbita rectificari potest, & in vitro, epistomio vitreo clauso, asservari.

*Genuinus hic spiritus salis est, & brevi compendio paratur, acidissimi saporis est, & subtilissimus, cum ex vitro aperto omnis exhalet, & conclave vapore albo repleat.*

*Virtute gaudet refrigerante & diuretica; additur julapiis, appetitum excitat, cruditates biliosas præcipitat, alvum & urinam movet. Pectori inimicus est, nec etiam, ubi suspicio ulceris renum adest, adhiberi debet.*

*Dari potest a guttis tribus ad octo, in vehiculo aquoso copioso.*

*Externe putredini potenter resistit, in pustulis oris gangrænosis, aqua dilutus, specificus est, penicillo applicandus. Cum spiritu vini rectificatissimo mixtus in ulceribus cancrosis multum valet.*

## SPIRITUS SALIS DULCIS.

*REC.* Spiritus Salis concentrati unciam unam & semis,
Vini rectificatissimi uncias duodecim.

Digerantur, postquam spiritus salis vini spiritui successive instillatus est, per aliquot dies, in vase probe clauso, & postea destillentur e cucurbita, atque aliquoties cohobentur.

Spiritus nitri & vitrioli, cum spiritu vini alembicum transcendunt, atque sic dulcificantur; spiritus salis vero cum spiritu vini quidem non evehitur, veruntamen illum notabili acido sapore inficit.

*Aperitivus, stomachicus & diureticus est.*

*Datur a guttis triginta ad quadraginta.*

## SPIRITUS SAMBUCI FLORUM.

Ad normam Spiritus Lavendulæ destillatur.

*Eſt bezoardicæ & anodynæ virtutis.*

*Datur a drachma una ad unciam ſemis.*

## SPIRITUS ANTISCORBUTICUS DRAWIZII.

*REC.* Vitrioli ad rubedinem calcinati libras duas,
ſuperfunde
Spiritus Tartari libram unam,
Cochleariæ uncias quatuor.

Digerantur per aliquot dies, poſtea deſtillentur e retorta, donec & ſpiritus vitrioli tranſierit. Spiritus prolectus, ſulphurei odoris & acidiuſculi ſaporis, ſervetur.

*Cum Spiritu aperitivo Penoti convenit. Laudatur ab Auctore in ſcorbuto; conducit etiam in hypochondriaco malo, calculo & arthritide.*

*Doſis guttæ triginta ad quadraginta.*

## SPIRITUS SERPILLI.

Paratur ad modum Spiritus Meliſſæ, Menthæ &c.

*Si ter, quaterve ſuper novas herbas cohobatur, virtute gaudet egregia roborante, diſcutiente, anodina, & utplurimum externe in affectibus rhevmaticis & arthriticis, item in cephalalgia commendatur.*

## SPIRITUS SULPHURIS PER CAMPANAM.

Funditur ſulphur citrinum, vel, ſi haberi poteſt, griſeum in olla figulina, tres pollices alta & quatuor lata; vaſculum hoc, ſulphure fuſo, ponatur ſub camino, qui fumum perfecte ſurſum dirigit, emittit. Incendatur ſulphur, atque ſtatim ſuperponatur campana magna vitrea, quæ antea ſupra vaporem aquæ calidæ fuit detenta, ut ſuperficies ejus interna ſubhumida ſit; campana vitrea formam habeat alembici, ut per ejus roſtrum ſpiritus in vas recipiens adpoſitum deſtillare poſſit, ita etiam diſponatur, ut lateribus in triangulum poſitis innitatur, & aëris tantum admittat, ut flamma non extinguatur. Tali modo, multiplicatis campanis, & novi ſulphuris repetita accenſione, colligitur liquor acidus flaveſcens. Melius ſuccedit operatio noctu & diebus frigidis, pluvioſis, quam ſereno tempore.

Nulla quidem inter ſpiritum ſulphuris & ſpiritum vitrioli eſt differentia, & plerumque ſpiritus vitrioli a deſtillatoribus pro ſulphuris ſpiritu venditur; deſtillatio per campanam etiam non ſolum tædioſa, ſed & pretioſa eſt, & magno cum ſulphuris diſpendio fit, libra integra enim vix ultra drachmas duas acidi concentrati exhibet; attamen, quia nonnulli vim quandam ſpecificam in ſpiritu ſulphuris quærunt, in eorum gratiam celeberrimus Stahlius aliam methodum faciliorem, & quæ copioſiorem ſpiritus quantitatem elargitur, tradit: jubet, eum in finem, lintea ſolutione ſaturata ſalis alcali madefieri, atque ſulphure incenſo, in vaſe ad hunc laborem adaptato, perfumare; ſic alcali acidum ſulphuris avide attrahit, & cum illo in ſal abit neutrum. Cui, mediante aqua fontana, e linteis extracto, & ad ſiccitatem fere inſpiſſato, ſuperfunditur oleum vitrioli, & per retortam, leni igne, ſpiritus volatilis ſulphuris expellitur; e reſiduo vero Tartarus vitriolatus parari poteſt.

*Inſervit ſpiritus ſulphuris uſibus chemicis; additur julapiis & potionibus, ut acido imbuantur ſapore, ad ſitim & calorem nimium temperandum.*

*Doſis guttæ tres vel plures, pro aciditate ſpiritus.*

## SPIRITUS TARTARI SIMPLEX.

*REC.* Tartari depurati, quantum vis.

Imple

Imple illo duas tertias retortæ, ac ex arena in recipientem ſatis capacem, probe adaptatum ac lutatum, primo moderato, poſtea gradatim aucto igne, ſpiritus omnes, una cum oleo fœtido, deſtilla; ſpiritum ab oleo, mediante charta emporetica duplicata, humectata, ſepara, ac utrumque per ſe, e cucurbita, rectifica.

Sal Tartari in reſiduo calcinato quære, &, ut artis eſt, ſolvendo elue, coagula & depura.

Multi rectificationem ſpiritus Tartari diſſuadent; quod vi ſua ex parte privetur: ſi vero oleum charta emporetica ab illo ſeparatur, & ſpiritus e retorta ad ſiccitatem abſtrahitur, fœtorem non ſolum deponit, absque ulla virium ſuarum jactura, ſed & penetrantior evadit.

*Incidit, attenuat, reſolvit, ſudorem atque urinam movet, in colica, menſibus retentis, paralyſi, ictero, & hydrope conducit.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad duos.*

*OLEUM TARTARI FOETIDUM, quod ſimul acquiritur, raro, ob fœtorem, in uſum vocatur; potens tamen eſt reſolvens, unguentis ad ſcabiem addi poteſt, mulieribus hyſtericis pro odoratu convenit.*

## SPIRITUS TARTARI VOLATILIS.

Videatur SAL VOLATILE TARTARI.

## SPIRITUS TEREBINTHINÆ.

*REC.* Terebinthinæ claræ libras duodecim.

Affuſis, in veſica cuprea,

Aquæ fontanæ libris quadraginta octo,

deſtillentur; ſic prodit, una cum aqua, oleum æthereum Terebinthinæ clarum, quod ab aqua ſeparandum, & propter ſubtilitatem, Spiritus Terebinthinæ vocatur.

Reſiduum in veſicam exhibet

TEREBINTHINAM COCTAM:

Vel ulteriori coctione, absque aqua, lento igne inſtituta, brunnum colorem induit, & tunc

COLOPHONIUM

nuncupari ſolet.

*Interne in gonorrhœa & ſcopo diuretico, ad paucas guttas, quinque vel duodecim, datur; externe ad puncturas nervorum, tendinum, vulnera, & hæmorrhagias ſiſtendas, calide applicatur.*

## SPIRITUS THERIACALIS.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Imperatoriæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Zedoariæ ana unciam unam,
Herbæ Scordii uncias duas,
Corticum Citri,
Baccarum Juniperi,
Myrrhæ rubræ ana unciam unam,
Croci Orientalis unciam ſemis,
Theriacæ Andromachi libram ſemis,
Spiritus vini ſimplicis libras ſeptem.

Radices, herba & reliqua, pulveriſata ſpiritu vini infuſa, digerantur Theriaca, & lento igne libræ quatuor ſpiritus abſtrahantur.

Cui, pro lubitu, ad unciam unam, camphoræ ſcrupulus unus additur, & tunc vocatur

## SPIRITUS THERIACALIS CAMPHORATUS.

*Eſt alexipharmacus, ſudorifer & anodinus.*

*Datur a guttis triginta ad ſeptuaginta quinque.*

*Ingreditur mixturam ſimplicem. Externe, ob pretium, raro adhibetur, cum ſpiritus vini camphoratus eadem præſtet.*

## SPIRITUS TRIFOLII FIBRINI.

Eodem modo parari poteſt, quo ſpiritus cochleariæ evocatus fuit.

*Eſt antiſcorbuticus, & pro conficienda eſſentia ſervatur.*

## SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

*REC.* Spiritus vini optime rectificati libram unam,
Camphoræ drachmas ſex.

Stent in digeſtione, paucarum horarum ſpatio, atque ſic a ſoluta camphora ſpiritum vini imprægnatum habebis.

*Uſus eſt externus, roborat, inflammationes, congeſtiones dolorificas diſſipat, & in affectibus ſpaſticis bonum edit effectum. Quibus cautionibus vero in ambuſtione, eryſipelate & lymphæ congeſtionibus adhiberi debeat, nimis longum foret, hic commemorare; igitur lectorem ad practicos ablegamus.*

## SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

E veſica cuprea, per alembicum ſtanneum, deſtillatur, & a phlegmate fœtido ſeparatur; & ſi delicatior, atque ab omni fœtore liber expetitur, denuo bis vel ter, addita tertia parte aquæ fontanæ, deſtillatio repetenda. Cui nihil phlegmatis aquoſi adeſt, *Spiritus rectificatiſſimus, Alcohol Vini*, vocatur.

*Spiritus vini rectificatus ad ambuſta, ſugillationes, luxationes, & ad hæmorrhagias externe adhibetur; inprimis inſervit ad eſſentias & tincturas parandas.*

## SPIRITUS VINI TARTARISATUS.

*REC.* Spiritus vini optime rectificati libras duas,
Salis Tartari probe depurati & ſiccati uncias quatuor,
Miſce, & e cucurbita vitrea, juncturis exacte munitis, igne arenæ moderato deſtilla.

*Inſervit extrahendis reſinoſis, Succini & Ambræ eſſentiis, nec non aliis uſibus chemicis & pharmaceuticis.*

## SPIRITUS VITRIOLI COAGULATUS.

Eadem methodo, qua ſpiritus ſalis coagulatus, paratur; loco ſpiritus ſalis, ſpiritum Vitrioli ſumendo.

*Cum tartaro vitriolato convenit, & virtutes habet aperientes, reſolventes, incidentes atque diureticas.*

## SPIRITUS VITRIOLI DULCIS.

Videatur LIQUOR ANODYNUS.

## SPIRITUS VITRIOLI PHILOSOPHICUS.

*REC.* Aquam a præcipitatione & edulcoratione Mercurii vitæ, bibula colatam; infunde retortæ vitreæ, ac calore leniſſimo, primum phlegma omne ſuperfluum evapora, donec guſtu perceperis ſpiritum ſatis acrem, linguam tentantem; tunc admoto ac adaptato recipiente, & lutatis juncturis, igne pedetentim aucto, omnem ſpiritum, ad ſiccitatem usque, evoca.

*Nihil minus, quam vitrioli ſpiritus eſt; potius ſpiritus ſalis communis vocandus eſſet: omnes enim ejus qualitates habet, & a ſale communi, quod in Mercurii ſublimati præparatione adhibitum fuit, ortum habet.*

## SPIRITUS VITRIOLI SIMPLEX.

Deſtillatur e vitriolo, ad albedinem calcinato, per retortam vitream loricatam, recipiente capaciſſimo munitam, cui aquæ quarta pars, reſpectu ponderis vitrioli, ad hoc opus aſſumti, inſit, igne aperto primum leni, tum aucto gradatim ac ſucces-

ceſſive igne ad candeſcentiam usque retortæ, donec omnes nebulæ ſimulque ſpiritus ceſſant. Tum recipientem caute ſepara, ocyſſime obtura; ſpiritus prolectos, e retorta vitrea, arenæ igne rectifica.

*Cum ſpiritu ſulphuris convenit, & iisdem uſibus deſtinatur.*

## SPIRITUS URINÆ.

Videatur SAL VOLATILE URINÆ, ubi ſimul modus, ſpiritum deſtillandi, docetur.

*Uſibus nonnullis chemicis inſervit; in medicina easdem virtutes, quas Spiritus cornu cervi, habet.*

*Doſis guttæ viginti quinque ad quinquaginta.*

## SPONGIARUM TOSTIO.

Fragmenta ſpongiarum in figulino vaſe, operculo tecto, igne aperto torrentur, atque toſta in pulverem teruntur.

*Expetuntur inprimis ad pulveres ſtrumales, quorum præcipuum ſunt ingrediens.*

## SUCCINUM PRÆPARATUM.

Succinum in ſubtiliſſimum teratur pulverem, atque, addita aqua fontana, ſuper marmore, ſicut reliqua præparata, lævigetur.

*Leniter adſtringit & calefacit; ad capitis & uteri affectus, catarrhos, & menſium vitia commendatur.*

*Doſis ſcrupulus unus ad duos.*

## SUCCUS ACETOSELLÆ, BERBERUM, CITRI, CYDONIORUM, MORORUM, RUBI IDÆI, &

alii deſæcati, in vitro, collo anguſtiori prædito, ſuperaffuſo oleo, in loco frigido aſſervantur.

*Pro ſyrupis parandis aſſervari ſolent.*

## SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Scoriæ Reguli Antimonii ſimplicis, vel reſiduum a tinctura Antimonii, affuſa aquæ ſimplicis fontanæ aut pluviæ ea quantitate, quæ ſufficere videtur, ſolvantur, & ſolutio per chartam emporeticam percoletur. Filtratæ huic ſolutioni ſeu lixivio, ex quo, ſub refrigeratione & mora aliquot dierum, ſulphur majori portione reguli fœtum ſponte jam ſubſedit, poſt cautam decantationem in vitro, aut olla munda debite vitreata, inſpergatur acetum vini, unde præcipitabitur ingens ſulphuris quantitas, quæ, ope chartæ bibulæ, a lixivio ſeparetur. Huic liquori vel lixivio denuo acetum inſpergatur, & demittetur inde alius pulvis, aurantii coloris, quem, a lixivio ſeparatum, ſeorſim ſerva. Denique eidem lixivio iterum novum & multum acetum adde, & præcipitabitur pulvis leviſſimus, aurantio-pallidi coloris, qui edulcorandus, & ſub inſcriptione SULPHURIS ANTIMONII TERTIÆ PRÆCIPITATIONIS, ſervandus.

*Primæ præcipitationis ſulphur vim plerumque habet emeticam, & hinc rarus ejus uſus eſt.*

*Secundæ præcipitationis autem adultioribus;*

*Tertiæ vero etiam teneræ ætati præberi poteſt.*

*Inſignes ſunt vires hujus ſulphuris aurati, bene præparati, ad contumaces & chronicas affectiones, præſertim quæ ex ſtagnatione & corruptione lymphæ proveniunt; ad pertinaces nimirum glandularum rebelles tumores, ulcera inveterata, aliosque cutaneos morbos, interpoſito decocto diluente & ſanguinem depurante; ad aſthma porro convulſivum, tuſſim ferinam infantum, peripneumoniam, affectus ſpaſmodicos, catarrhos ſuffocativos, hemi-*

*craniam, febres intermittentes pertinaces, ſcabiem malignam, quin & prava ex lue venerea incommoda hoc pharmaco profligata eſſe, celeberrimus Hoffmannus perhibet.*

*Augentur vires, ſi cum Mercurio dulci adminiſtratur; requiritur vero continuatus uſus, etiam ſi primis diebus nauſeam excitaſſe obſervatum ſit, tamen diebus ſubſequis nullam amplius ſtomacho moleſtiam faceſſit.*

*Doſis in tenera ætate, ſulphuris tertiæ præcipitationis, granum unum, duo, ad tria, in adultioribus ad grana ſex, vel ſcrupulum ſemis evehi poteſt.*

## SULPHUR AURATUM ANTIMONII LIQUIDUM.

*REC.* Solutionem ſcoriarum Reguli Antimonii;

Dimidiam ejus partem evaporationi ſubjice, donec ovum illi innatare poſſit; tum vero ſtatim admiſce æqualem quantitatem

Olei expreſſi Papaveris vel Amygdalarum,

& leniter coque, donec oleum non amplius conſpiciatur, & maſſa digito facillime obediens prodeat; poſtea alteram lixivii ſulphurati partem ſucceſſive affunde, coctionem continua, usque dum alcalini ſaporis nihil deprehendatur, nec oleum amplius ſibi relictum appareat. Puls hæc ſaponacea probe deſiccetur, & in mortario lapideo cum Tinctura Antimonii acri per abſtractionem ſpiritus ad dimidium redacta, ad eminentiam trium digitorum affuſa, per horas aliquot probe tere, poſtea cucurbitæ indita per viginti quatuor horas digere. Ita prodibit peramœna Tinctura, acredinis expers, quæ totum ſaponem una cum ſulphure Antimonii ſolutum ſiſtit, nullo in cucurbita reſiduo relicto.

*Virtus ejus reſolvens & ſanguinem purificans inſignis ex indole ſaponis medicati & ſulphuris Antimonii facile eluceſcit, eaque in forma ſoluta magis penetrans.*

*Doſis guttæ quadraginta cum Decocto conveniente.*

## SUPPOSITORIUM COMPOSITUM.

*REC.* Specierum Hieræ picræ unciam ſemis,

Salis Gemmæ ſcrupulum unum,

Mellis ad ſpiſſitudinem cocti uncias duas.

Miſce, & fiant ſuppoſitoria, variæ magnitudinis.

## SYRUPUS DE ABSINTHIO COMPOSITUS.

*REC.* Abſinthii pontici ſicci libram ſemis,

Florum Roſarum rubrarum uncias duas,

Nardi Indicæ drachmas tres.

Infundantur inciſa in

Vini albi &

Succi cydoniorum ana unciis octo;

Digerantur in loco calido per biduum, poſtea exprimantur;

Colaturæ unciis decem

adde

Sacchari albi uncias ſedecim.

Fiat ſyrupus, per pannum colandus.

*Ventriculi & aliorum viſcerum, a cauſa frigida ortis vitiis auxiliatur; cachecticis prodeſt, appetitum reſtaurat, flatus diſcutit, ictericis convenit.*

*Datur in potionibus & electuariis.*

## SYRUPUS ACACIARUM FLORUM.

*REC.* Florum Acaciarum recentium libras duas.

Infundantur in

Aquæ fontanæ ferventis libris duabus;

Stent in digeſtione per noctem, in vaſe figulino vitreato, probe tecto, mane leviter exprimantur & colentur.

Co-

Colaturæ unciis novendecim adde
Sacchari albi uncias triginta duas.

Fiat unica ebullitione ſyrupus, qui per linteum colatus ſervetur.

*Vires habent alvum laxandi; laudatur anthelminticus & antinephriticus; datur etiam in epilepſia & tuſſi.*

*Teneris a drachma una ad drachmas tres; adultioribus ad drachmas ſex, vel unciam unam exhibetur.*

## SYRUPUS ACETOSELLÆ ET ACETOSÆ.

E ſucci depurati unciis decem, & ſacchari unciis ſedecim,
ſemel ebulliendo, fiat ſyrupus.

*Commendatur biliosis, atque ad ſitim caloremque reſtinguendos.*

## SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI.

*REC.* Succi Citri uncias decem,
Sacchari albi uncias ſedecim.

Fiat unica ebullitione ſyrupus, in vaſe vitreo ſervandus.

*Julapiis & potionibus additur, ſitim & æſtum mitigat.*

## SYRUPUS DE AGRESTA.

*REC.* Agreſtæ, ſive ſucci uvarum, paulo antequam maturuerint, expreſſi, libram unam ſemis,
Sacchari albi libras duas.

Coquantur, in vaſe figulino vitreato, ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam.

*Uſus eſt in febribus malignis, & virtute cum ſyrupo citri convenit. Additur mixturis & julapiis.*

## SYRUPUS DE ALTHEA FERNELII.

*REC.* Radicum Altheæ,
Graminis,
Aſparagi,
Glycyrrhizæ,
Herbar. Altheæ,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianthi albi & nigri ana drachmas tres,
Uvarum paſſarum mundatarum ana unciam ſemis,
Cicerum rubrorum unciam unam.

Inciſa coquantur ex
Aquæ libris quatuor,
usque dum unciæ viginti octo ſuperſint, deinde cum
Sacchari albi libris quatuor
fiat ex arte ſyrupus.

*Commendatur ad urinæ ardorem in nephritide & tuſſi, a materia acri & ſalſa orta.*

*Additur vel decoctis, vel cochleatim ſumitur, ad unciam unam & ultra.*

## SYRUPUS DE AMMONIACO.

*REC.* Gummi ammoniaci electi uncias duas;
Solve in
Vini albi unciis decem.
Solutioni admiſce
Sacchari albi, ad conſiſtentiam tabulati cocti, uncias ſedecim;

Agitentur, usque dum refrigeſcant. Syrupus aſſervetur.

*Validiſſime incidit, detergit & purgat pulmones; eleganter confert inveteratis affectibus, a craſſa & lenta pituita ortis; in aſthmate ſpecifice conferre perhibetur.*

*Doſis per ſe uncia ſemis, drachmæ ſex, ad unciam unam.*

## SYRUPUS DE ARTEMISIA.

*REC.* Radicum Rubiæ tinctorum, Ruſci ana uncias duas,
Herbarum Artemiſiæ unciam unam,
Pulegii,

Herbarum Meliſſæ,
Dictamni Cretici,
Sabinæ ana drachmas tres,
Florum Hyperici drachmas duas,
Seminis Nigellæ unciam ſemis,
Caſſiæ ligneæ unciam unam.

Radices inciſas infunde in
Aquæ fontanæ libris tribus; macerentur per noctem, mane leniter ebulliant, ad colaturæ remanentiam librarum duarum, in qua infunde herbas & reliqua ingredientia, minutim inciſa; facta digeſtione per viginti quatuor horas, exprimantur; in
Colaturæ unciis novem diſſolve
Sacchari albi uncias ſedecim, & per pannum colatus
Syrupus ſervetur.

*Potionibus additur, ac in menſium ſuppreſſione, & lochiorum imminuto vel plane ſuppreſſo fluxu utimur.*

*Doſis drachmæ ſex ad unciam unam.*

## SYRUPUS BALSAMICUS.

*REC.* Julapii roſati libram unam, vel uncias duodecim,
addantur
Eſſentiæ Balſami Peruviani drachmæ quatuor.

Mixta ſerventur.

*Eſt ſtomachicus & vere balſamicus; prodeſt vulneratis, & ubicunque ſuſpicio ulceris interni eſt, ſine notabili tamen calore febrili; tuſſientibus & aſthmaticis conducit.*

*Doſis drachmæ tres.*

## SYRUPUS BELLIDIS E SUCCO.

*REC.* Succi e tota planta Bellidis minoris depurati, & ad dimidias evaporati, uncias novem,
Sacchari albi uncias ſedecim.



Fiat, ſaccharum unica ebullitione ſolvendo, ſyrupus, qui, per pannum colatus, ſervetur.

*Prodeſt tuſſientibus, vulneratis, ad ſanguinem coagulatum reſolvendum ab alto lapſis, &c.*

## SYRUPUS BERBERUM.

*REC.* Succi Berberum depurati uncias decem,
Sacchari albiſſimi uncias ſedecim.

Fiat ſyrupus.

*Refrigerans eſt, ſitim & æſtum mitigat, & calidis in febribus inprimis convenit.*

## SYRUPUS BETONICÆ.

*REC.* Herbæ Betonicæ recens ſiccatæ uncias quatuor.

Inciſa macerentur in
Aquæ Betonicæ deſtillatæ libra una;

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur, & in expreſſi unciis novem, diſſolve unica ebullitione
Sacchari albi uncias ſedecim.

Syrupus, colatus per pannum, ſervetur.

*Capiti dicata eſt betonica, vulneraria eſt & diuretica; leniter adſtringit, in calculo renum & veſicæ commendatur; ob vim adſtrictoriam & vulnerariam, etiam in lochiorum nimio, poſt partum, fluxu, adhibetur. Easdem virtutes etiam ſyrupus habet, & commode potionibus medicis additur.*

## SYRUPUS BORRAGINIS.

*REC.* Florum Borraginis recentium libram ſemis.

Infunde in
Aquæ fontanæ ferventis libra una;

Digerantur per noctem, exprimantur, & infuſi clarificati unciis novem, adde

Sac-

Sacchari albi uncias ſedecim.
Fiat ſyrupus.

*Adſcribuntur vires cor roborantes, antimelancholicæ & antimaniacæ.*

Pari modo paratur:

## SYRUPUS BUGLOSSI.

*Cui tribuuntur vires eædem.*

## SYRUPUS BRUNELLÆ.

*REC.* Succi herbæ Brunellæ depurati, & ad dimidias lento igne evaporati uncias novem,
Sacchari albi uncias ſedecim.
Fiat ſyrupus.

*Commendatur ad oris & faucium ulcera & inflammationes, aphthis medetur.*

Pari modo paratur:

## SYRUPUS PLANTAGINIS MAJORIS.

## SYRUPUS BRYONIÆ.

*REC.* Succi radicum Bryoniæ defæcati libram unam ſemis,
Sacchari uncias triginta duas.
Fiat, unica ebullitione, poſt ſacchari deſpumationem, ſyrupus.

*Serum expurgat, potenter reſolvit; hinc hydropicis & aſthmaticis commendandus; ob inſignem amaritiem etiam vermibus & aliis inſectis, atque beſtiolis, in corpore humano natis, adverſatur, menſtruum educit, & ad virginum morbos laudatur.*

*Doſis uncia ſemis ad unciam unam.*

## SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS SIMPLEX, MONSPELIENSIS.

*REC.* Capillorum Veneris, parum inciſorum, uncias tres.
Infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis libris tribus ſemis;
Stent in digeſtione per noctem, mane leniter coquantur ad ſeptimæ partis conſumtionem, colatura albumine ovorum clarificetur, & cum
Sacchari albi libris tribus,
fiat ſyrupus, cui pro lubitu addantur, vel
Aquæ Roſarum, vel
Naphæ uncia una aut duæ.

*Humores incidit, attenuat & reſolvit; loco ſacchari, pro edulcoratione infuſi Theæ utuntur, ad tuſſim & ad pectoris morbos, a materia viſcida ortos.*

## SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS COMPOSITUS.

*REC.* Capillorum Veneris uncias quinque,
Linguæ Cervinæ unciam ſemis,
Malvæ drachmas duas,
Radicum Aſparagi unciam unam,
Glycyrrhizæ uncias duas.
Macerentur in
Aquæ fontanæ ſimplicis libris duabus,
& digerantur loco calido per noctem. Mane coquantur ad conſumtionem circiter unciarum ſex. Reſiduo expreſſo, & albumine ovi clarificato, adde
Sacchari albi uncias triginta duas.
Fiat, unica ebullitione, ſyrupus.

*Vires non differunt a præcedentis.*

## SYRUPUS CARDIACUS.

*REC.* Vini generoſi uncias octo,
Aquæ Roſarum uncias duas ſemis,
Cinnamomi drachmas tres,
Caryophyllorum drachmam unam,
Zinziberis drachmam ſemis.
Infuſa digerantur, ac ſufficienti facta extractione exprimantur; in expreſſo ſolvantur

Sacchari unciæ ſex & decem.
Fiat ſyrupus.

*Eſt gratus, aromaticus, ventriculum roborans; additur electuariis.*

## SYRUPUS CARDUI BENEDICTI.

*REC.* Succi defecati, & ad dimidias evaporati, Cardui Benedicti, uncias octodecim,
Sacchari albi uncias triginta duas.
Fiat ſyrupus.

*Tribuuntur illi vires ſtomachicæ, alexipharmacæ, antifebriles; potionibus & electuariis additur.*

## SYRUPUS CENTAURII MINORIS.

*REC.* Florum Centaurii minoris recentium libram unam.
Inciſi infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis libra una;
Stent per noctem, mane exprimantur, & in expreſſo
Florum recentium libra una infundatur; poſt macerationem per noctem exprimantur,
Colaturæ, albumine ovi clarificatæ, unciis novem
adde
Sacchari albi uncias ſedecim.
Fiat ſyrupus.

*Auctor, qui commendat, Quercetanus, ait: hoc ſyrupo nunquam carere debent officinæ, ob ſummam ejus neceſſitatem ac utilitatem; febrium ex bile ortarum ferociam compeſcit, bilioſum illum ſuccum benigne educit, ictericis conducit; proprium in ſe continet Rhabarbarum Centaurium minus, fel terræ & febrifuga appellatur, electuariis additur.*

## SYRUPUS CERASORUM ACIDORUM.

*REC.* Succi Ceraſorum acidorum, per ſubſidentiam defecati, uncias viginti,
Sacchari albiſſimi uncias triginta duas.
Fiat ſyrupus.

*Convenit cum reliquis ſyrupis acidiuſculis, inprimis berberum.*

## SYRUPUS CHAMOMILLÆ.

*REC.* Florum Chamomillæ vulgaris recentium libram unam,
infunde in
Aquæ fontanæ ferventis libra una.
Stent in vaſe probe clauſo, per duodecim horas, poſtea exprimantur; infuſio repetatur,
Chamæmeli novam ſumendo libram,
poſt extractionem exprimatur & clarificetur infuſum, atque ex ejusdem unciis novem,
cum
Sacchari albi unciis ſedecim
fiat ſyrupus.

*Multum valet hic ſyrupus ad colicam, tam flatulentam, quam ſpaſmodicam, in febribus, quartana & tertiana, cum aliis permixtus, bonum edit effectum; adhibetur in potionibus, vel electuariis, additur etiam clyſteribus.*

## SYRUPUS CHENOPODII ſive ATRIPLICIS MEXICANÆ.

*REC.* Herbar. Chenopodii ſive Atriplicis ſuaveolentis Mexicanæ, manipulos quatuor,
Eryſimi,
Urticæ ana manipulos duos,
Farfaræ manipulum.
Infundantur in aquæ fontanæ bullientis libra una, & ſucci Raparum albarum libra ſemis, poſt ſufficientem extractionem exprimantur, expreſſo addantur
Sacchari albi libræ duæ.
Fiat ſyrupus.

*Pecto-*

*Pectoralis & diureticus eſt, atque in aſthmate & nephritide laudatur.*
*Doſis uncia dimidia vel drachmæ ſex.*

## SYRUPUS DE CICHORIO, CUM RHABARBARO.

*REC.* Radicum Cichorii uncias duas ſemis.
Coque in
Aquæ fontanæ libra una ſemis, ad remanentiam libræ unius, huic adde
Rhabarbari minutim inciſi unciam unam,
Salis Tartari grana viginti.
Ebulliant lento igne, exprimantur, in expreſſo diſſolve
Sacchari albi uncias ſedecim; clarificato & colato ſyrupo adde
Aquæ Cinnamomi ſpirituoſæ unciam unam.
Servetur.
*Bilem leniter ſubducit; pueris recens natis & infantibus a drachma una, ad drachmam unam ſemis, usque ad unciam ſemis, ad educendum meconium, & in torminibus, indeque ortis motibus convulſivis, commode datur.*

## SYRUPUS CINNAMOMI.

*REC.* Cinnamomi optimi, craſſiuſcule contuſi, uncias quinque;
Reponantur in cucurbitam vitream, addanturque
Aquæ Cinnamomi optimæ, cum vino deſtillatæ, libræ duæ,
Aquæ roſarum odoratiſſimæ unciæ duæ.
Stent in loco calido, bene obturato vaſe, ne quid exſpiret, horis viginti quatuor, atque, cum
Sacchari albiſſimi clarificati, ad conſiſtentiam tabularum cocti, libris tribus, unciis quatuor.
Fiat ſyrupus.
*Virtute gaudet analeptica, & ventriculum, nec non nervos roborante. Datur vel per ſe, vel cum aquis cordialibus.*

## SYRUPUS CITRI E TOTO.

*REC.* Corticum Citri exteriorum recentium uncias duas ſemis, inciſos infunde in
Succi Citri recentis unciis viginti duabus.
Poſt digeſtionem exprimantur, in expreſſo diſſolve
Sacchari albi uncias triginta.
Servetur uſui ſyrupus.
*In febribus malignis, exanthematicis, potionibus additur, malignitatem non ſolum arcere, ſed & vires reſtaurare compertus eſt.*

## SYRUPUS COCHLEARIÆ.

*REC.* Succi Cochleariæ recenter expreſſi libram unam ſemis.
Abſtrahantur lento igne, in cucurbita vitrea, unciæ ſex; reſiduum clarificetur & evaporetur ad remanentiam unciarum ſex, in quo diſſolve
Sacchari albi uncias octodecim, atque per pannum colato ſyrupo adde
Aquam abſtractitiam,
& ſerva.
*Cochlearia eſt antiſcorbutica planta; hinc ſyrupus inde confectus ſcorbuticis convenit.*

## SYRUPUS CONTRAYERVA.

*REC.* Radicum Contrayerva minutim inciſarum uncias quatuor.
Infundantur per noctem in
Aquæ fontanæ ferventis libris duabus,
mane leniter ebulliant, ad colaturæ, expreſſione forti factæ, remanentiam libræ unius, adde
Succi Citri uncias octo,
Sacchari albi uncias triginta duas.
Fiat, ſaccharum unica ebullitione ſolvendo,

vendo, ſyrupus, in vitreo vaſe reponendus.

*Laudatur in febribus malignis, variolis, morbillis & aliis exanthematicis, atque, ob vim blandam alexipharmacam, non adeo calidam, commendari meretur, potionibus & mixturis admiſcendus.*

## SYRUPUS CONTRAYERVA COMPOSITUS.

*REC.* Pomorum Citri integrorum numero ſex,
conciſis & cucurbitæ vitreæ injectis adde
Radicum Contrayerva unciam unam ſemis,
Serpentariæ Virginianæ unciam unam,
Seminum Cardui benedicti,
Mariæ ana unciam ſemis,
Granorum Chermes drachmas duas,
Succi Granatorum dulcium libras duas.

Digerantur per viginti quatuor horas, tum, facta expreſſione ac additis
Sacchari albi libris tribus,
fiat, in vaſe probe vitreato clauſo, ſyrupus, qui colatus ſervetur.

*Eſt alexipharmacus, malignitati & putredini reſiſtit, virtute analeptica vires reſtaurat, diuretica & diaphoretica vi materiam noxiam, tam per ſudorem, quam urinam, expellit.*

## SYRUPUS CORALLIORUM.

*REC.* Coralliorum rubrorum pulveriſatorum uncias duas,
Succi Berberum, perfectæ maturitatis, depurati libram unam.

Digerantur, calore moderato, per triduum, vel quousque corallia bullulas emittere ceſſant: dein ſuccus affuſus, per inclinationem, ſeparetur.

*REC.* Succi hujus, coralliorum ſolutione imprægnati, uncias decem, &
Sacchari uncias ſedecim,
lenta ebullitione, redigantur in formam ſyrupi.

*Virtutes ſunt refrigerantes, leniter adſtringentes, in fluxionibus quibuscunque cohibendis, ad abortum & hæmorrhagias uteri præcavendas mulierculæ utuntur.*

*Potionibus & electuariis additur, vel ſolus, ab uncia ſemis ad integram, ſumitur.*

## SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM.

*REC.* Corticum Aurantiorum recentium & extimorum uncias quatuor,
Vini albi generoſi libram unam.
Macerentur per viginti quatuor horas, in loco calido, bene obturato vaſe; poſtea vinum decantetur, filtretur, & cum
Sacchari clarificati, atque ad conſiſtentiam tabellarum cocti, unciis octodecim permiſcendo.
Fiat ſyrupus.

*Ventriculum roborat, flatus diſſipat, & virtute gaudet analeptica & carminativa.*

*Exhibetur in potionibus.*

## SYRUPUS CORTICUM CITRI.

*REC.* Corticum Citri recentium & extimorum uncias quatuor,
Granorum Chermes drachmas duas,
Vini albi generoſi libram unam.
Macerentur loco calido, vaſe bene tecto, per viginti quatuor horas; poſtea vinum decantetur, filtretur, atque, cum
Sacchari clarificati, & ultra conſiſtentiam tabellarum cocti, unciis octodecim.

Fiat

Fiat ſyrupus.

*Eſt cordialis, alexipharmacus & carminativus, ad febres epidemicas catarrhales, malignas laudatur. Addi etiam poteſt potionibus.*

## SYRUPUS CROCI.

*REC.* Croci Orientalis drachmas ſex, infunde in
Aquæ ferventis fontanæ unciis decem.

Stent, vaſe clauſo, in digeſtione per triduum, poſtea exprimantur. In colatura diſſolve
Sacchari albi uncias ſedecim, & poſt unicam ebullitionem, coletur ſyrupus per pannum.

*Lene & ſecurum præbet anodinum pueris; pectorale & alexipharmacum, in catarrhis utiliter adhibetur.*

*Uncia una hujus ſyrupi, Croci fere habet grana quindecim.*

*Pueris teneris, pro una doſi, ultra drachmam unam non dandus.*

## SYRUPUS DE CUCURBITA, MESUES.

*REC.* Cucurbitam ſativam magnam, paſta pro pane involutam, coque cum pane in clibano; e calente adhuc ſuccum exprime, & ex unciis duodecim, ad novem usque, & ſacchari evaporati & clarificati unciis ſedecim ſyrupum confice.

*Vires laudantur ad febres biliоſas & ardentes, ardorem urinæ, & ſitim mitigandam; ad pectoris affectus, pleuritidem & faucium aſperitatem.*

## SYRUPUS CYDONIORUM.

*REC.* Succi Cydoniorum, ad tertiæ partis conſumtionem evaporati, libram unam ſemis,
Sacchari albi libras duas ſemis.
Fiat diſſolutione & deſpumatione, unica ebullitione facta, ſyrupus.

*Gratus eſt ſtomacho, leniter adſtringit, & in nauſea, vomitu & fluxionibus alvi, & ad abortum præcavendum adhiberi poteſt. Electuarius & potionibus additur.*

*Doſis ad unciam unam & ultra.*

## SYRUPUS DIACODION, ſive DE CAPITIBUS PAPAVERIS, ſeu DIACODIUM LIQUIDUM MONTANI.

*REC.* Capitum Papaveris nondum plane maturorum, cum ſeminibus, uncias duas,
Siliquarum dulcium uncias duas ſemis;
inciſis affunde
Aquæ fontanæ libram unam ſemis.

Coquantur lento igne, ad colaturæ remanentiam unciarum decem, in fine coctionis addendo
Liquiritiæ recentis minutim inciſæ unciam unam ſemis;
in colatura diſſolve
Sacchari candi rubri uncias ſedecim.

Deſpumatus & colatus ſyrupus ſervetur.

*In tuſſi acri, ad materiam incraſſandam, a veteribus valde laudatur.*

*Dari poteſt infantibus lingendus, ad drachmam unam; adultis, ad unciam unam.*

## SYRUPUS, DIACODIUM CROCATUM.

Fit, ſyrupo antecedenti, ſive Diacodio ſimplici addendo
Croci optimi drachmam unam.

*Vires ſunt eædem, propter crocum tamen magis anodinæ & reſolventes.*

## SYRUPUS DOMESTICUS, ſive DE SPINA CERVINA.

*REC.* Baccarum fruticis, quem Spinam cervinam vocant, circa finem Septembris, aut Octobris initio collectarum, quantitatem ſufficientem;

Conquaſſatæ & calefactæ exprimantur.

Succi hujus colati unciis viginti addantur

Sacchari albi unciæ triginta duæ, ſolvantur & colentur, addendo, in petia ligata,

Aniſi,

Maſtiches ana drachmas tres,

Zinziberis,

Cinnamomi,

Caryophyllorum ana drachmam unam ſemis.

Fiat ſyrupus.

*Commendatur ad hydropem, cachexiam, arthritidem, nec non luem veneream. Sunt, qui etiam recens natis, ad expurgandum meconium, dare ſolent.*

*Datur drachma una ad unciam & ultra.*

## SYRUPUS EMETICUS.

*REC.* Vitri Antimonii hyacinthini, ſubtiliſſime pulveriſati, drachmas duas,

affunde

Vini albi Rhenani uncias duodecim.

Stent per triduum, leni calore in digeſtione; poſt per chartam bibulam filtratis, adde

Sacchari albi uncias triginta duas.

Sola diſſolutione & unica ebullitione, fiat ſyrupus, in vaſe vitreo reponendus.

*Delicatulis propinatur, ad vomitum ciendum.*

*Doſis eſt a drachma una ad drachmas quinque vel ſex.*

*In apoplexia & catarrho ſuffocativo etiam clyſteribus, ab uncia una ad unciam unam ſemis addi poteſt.*

## SYRUPUS EMETICUS ANGELI SALÆ.

*REC.* Vitri Antimonii optime triti unciam unam,

Cinnamomi electi,

Zedoariæ,

Seminis Angelicæ ana drachmas duas,

Sandali rubri unciam ſemis,

Croci Orientalis drachmam ſemis.

Infundantur in

Aceti roſati unciis viginti;

Macerentur per viginti quatuor horas, colentur & filtrentur, in filtrato liquore diſſolvantur

Sacchari albi unciæ viginti.

Fiat ſyrupus.

*Vires ſunt eædem, quæ præcedentis.*

*Doſis drachma una ad unciam dimidiam.*

## SYRUPUS ENULÆ.

*REC.* Succi radicis Enulæ defæcati libram unam ſemis,

Sacchari albi libras duas ſemis.

Solvantur & fiat ſyrupus, per pannum colandus.

*Reſolvit, & ad pectoris vitia adhibetur.*

## SYRUPUS DE ERYSIMO LOBELII.

*REC.* Eryſimi totius recentis uncias tres,

Radicum Helenii,

Tuſſilaginis ana uncias duas,

Herbarum Borraginis,

Cichorii,

Capillorum Veneris ana unciam ſemis,

Florum quatuor cordialium, Anthos,

Florum Stœchadis Arabicæ ana drachmas duas,

Se-

Seminis Aniſi drachmas ſex,
Paſſularum mundatarum uncias duas.

Inciſa & contuſa coquantur in
Aquæ fontanæ libris duabus & ſemis,
Succi Eryſimi unciis ſex,
ad remanentiam unciarum octodecim, in expreſſo liquore diſſolvantur
Sacchari albi unciæ triginta duæ.

Fiat ſyrupus.

*Ad raucedinem præcipue commendatur, & multis jam amiſſam vocem reſtituiſſe, exempla proſtant.*

*Datur ab uncia dimidia ad integram, ex infuſis, decoctis, ſero lactis, aliisque vehiculis.*

## SYRUPUS FARFARÆ E FLORIBUS.

*REC.* Florum Farfaræ, ſive Tuſſilaginis recentium libram unam ſemis,
affunde
Aquæ fontanæ ferventis libras duas.

Macerentur per viginti quatuor horas, exprimantur, & in
Colaturæ unciis novem
diſſolve
Sacchari albi uncias ſedecim.

Fiat ſyrupus.

*Ad pectoris vitia inſervit, materiam acrem ſalſam incraſſat, & expectorationem adjuvat.*

*Datur in decoctis pectoralibus.*

## SYRUPUS FRAGORUM.

*REC.* Succi Fragorum depurati uncias decem,
Sacchari uncias ſedecim.

Fiat lege artis ſyrupus, ad normam ſyrupi Berberum.

*Eſt analepticus & diureticus.*



## SYRUPUS DE FUMARIA.

Paratur e
Succi defæcati, & ad tertiæ partis conſumtionem inſpiſſati, unciis novem, &
Sacchari unciis ſedecim.

*Ad ſanguinem & lymphan corrigendam, ſcabiem & alia cutis vitia commendatur.*

*Addi poteſt electuariis & decoctis.*

## SYRUPUS GLYCYRRHIZÆ.

*REC.* Glycyrrhizæ uncias duas,
Capillorum Veneris unciam unam,
Hyſſopi unciam ſemis,
Aquæ libras duas.

Species prædictæ in aqua, prius fervefacta, horis viginti quatuor macerentur, deinde decoquantur ad dimidias, colaturæ addendo
Mellis deſpumati uncias octo,
Sacchari albi uncias ſedecim,
Aquæ roſarum uncias quatuor.

Fiat ſyrupus, ſecundum artem.

*Cum Syrupo Capillorum Veneris convenit; pectoralis eſt, & pro edulcoratione decoctorum pectoralium inſervire poteſt.*

## SYRUPUS GRANATORUM.

*REC.* Succi Granatorum acido-dulcium depurati uncias decem,
Sacchari albiſſimi uncias ſedecim.

Solvantur & colentur; ſyrupus in vaſe vitreo ſervetur.

*Eſt analepticus & leniter adſtringens; refrigerat, ſitim ſedat, bilem refrænat.*

*Datur in potionibus, mixturis & julapiis.*

## SYRUPUS GRANORUM KERMES.

*REC.* Coccinellæ unciam ſemis.
Optime trita in

Aquæ Roſarum &
Cinnamomi, ſine vino,
ana unciis duodecim,
Salis Tartari fixi granis duodecim.
Infundantur per noctem, addantur
Sacchari albi unciæ triginta duæ,
Succi granorum Kermes unciæ duodecim.
Unica ebullitione fiat ſyrupus liquidus, qui, per linteum colatus, reponatur.

*Analepticus eſt, diureticus & alexipharmacus; datur in variolis & morbillis, nec non febribus catarrhalibus. Cum Confectione Alkermes convenit.*

## SYRUPUS HEDERÆ TERRESTRIS.

Sicut Syrupus Betonicæ ex aqua deſtillata & herba ſicca paratur.

*Hedera terreſtris vulneraria eſt, & nephritica; Syrupus ad abſceſſus internos, ſputum cruentum famoſum phthiſicorum commendatur; conſolidat & mundificat, urinam & menſes promovet, ut & hydropicis utilis eſt.*

*In potionibus & electuariis propinari poteſt.*

## SYRUPUS HYPERICI.

*REC.* Florum Hyperici recentium libram unam ſemis,
Aquæ fontanæ ferventis libram unam.
Macerentur per diem integrum in loco calido; poſtea exprimantur, & ex
Infuſi clarificati unciis novem, cum
Sacchari albi unciis ſedecim.
Fiat ſyrupus.

*Easdem vires, quas flores, habet; vulneratis, calculoſis, ac renum doloribus vexatis auxiliatur.*

*Docente Quercetano, inſtar balſami omnibus reſiſtit corruptionibus ventriculi; ſpecificum eſt contra vermes.*

## SYRUPUS HYSSOPI.

*REC.* Hyſſopi ſiccatæ uncias duas,
Capillorum Veneris unciam ſemis,
Radicum Helenii unciam unam,
Apii unciam ſemis.
Coque radices & Capillum Veneris in
Aquæ libris duabus ſemis,
ad colaturæ remanentiam unciarum ſedecim, in qua infundatur Hyſſopus, & poſt digeſtionem in loco calido, infuſo expreſſo & clarificato adde
Sacchari albi libras duas, uncias octo.
Fiat ſyrupus.

*Viſcidos humores reſolvit, pulmones roborat, tuſſientibus & aſthmaticis commendatur, in potionibus & electuariis.*

## SYRUPUS DE JUJUBIS.

*REC.* Jujubarum recentium uncias tres,
Liquiritiæ drachmas ſex,
Capillorum Veneris,
Florum Violarum ana drachmas quinque,
Seminum Malvæ,
Cydoniorum,
Papaveris albi ana drachmas tres.
Inciſa coquantur, in
Aquæ fontanæ libris duabus ſemis, ad colaturæ remanentiam unciarum octodecim, in qua diſſolve
Tragacanthæ albæ electæ drachmam unam,
Sacchari albi uncias triginta duas.
Fiat ſyrupus, qui, per colatorium trajectus, ſervetur.

*Commendatur ad tuſſim ſiccam, ſputum tenue ſuo lentore maturat, incraſſat, glu-*

*glutinat & expectorationem adjuvat, idemque ad urinæ vitia confert.*

*Propter mucilaginosa semina & tragacantham, est consistentiæ spissioris, & potius linctus, quam Syrupus, vocari deberet; præstat etiam, illum per linctus, quam haustus, assumi, aut aquis dilutum hauriri.*

## SYRUPUS KINÆ KINÆ.

*REC.* Corticum Kinæ Kinæ pulverisatorum uncias quatuor,
Cinnamomi electi unciam unam,
Vini rubri generosi libras duas.
Macerentur, in vitro probe clauso, sæpius vitrum movendo, per biduum; postea exprimantur ac colentur, in colatura, unica ebullitione, dissolve
Sacchari albi uncias triginta duas.
Fiat syrupus, qui per pannum colatus, servetur.

*Pueris medicamenta reformidantibus dari potest; præter vim antifebrilem, etiam tonicam & stomachicam habet.*

*Dosis uncia semis ad integram.*

## SYRUPUS CASCARILLÆ, E CORTICIBUS LIGNI SASSAFRAS,

eodem modo, quo præcedens, parari possunt, scilicet
Cascarillæ, vel
Corticum ligni Saffafras uncias tres,
in
Vini albi unciis viginti duabus, infundendo, & cum
Sacchari unciis triginta duabus, in syrupum redigendo.

*Vires habent easdem, quas cortices, ex quibus parati sunt.*

## SYRUPUS DE MANNA LAXATIVUS.

*REC.* Radicis Polypodii unciam unam semis,
Specierum decocti florum & fructuum,
Passularum minorum ana uncias duas.
Macerentur, per noctem, in
Aquæ fontanæ ferventis libris duabus semis,
mane coquantur ad tertiæ partis consumtionem, colentur, in colatura infunde
Foliorum Sennæ electæ uncias quatuor,
Seminum Anisi,
Fœniculi,
Galangæ,
Macis,
Zinziberis ana drachmam unam.
Digerantur per viginti quatuor horas, in loco calido, exprimantur, expressum albumine ovi clarificetur, atque cum clarificato dissolvantur
Mannæ Calabrinæ unciæ sex,
Sacchari albi unciæ viginti duæ.
Fiat syrupus.

*Datur pueris, scopo laxativo, ad humores a pectore derivandos, & recens natis, ad meconium educendum.*

*Dosis scrupuli duo ad unciam semis.*

## SYRUPUS MASTICHINUS.

*REC.* Mastiches electæ, parum contusæ, uncias duas,
infunde in
Aquæ Mastichinæ unciis duodecim.
Stent in vase probe clauso, in digestione, per triduum; postea colentur; in colatura dissolve
Sacchari albi uncias sedecim.
Syrupus in vase probe munito servetur.

*Ad ventriculi vitia, a causa frigida orta, catarrhos, & ad cerebrum roborandum convenit.*

*Potionibus & electuariis additur; vel etiam, pro lubitu, ab uncia dimidia ad integram exhibetur.*

## SYRUPUS MENTHÆ.

*REC.* Herbæ Menthæ ſiccæ uncias quatuor,
Aquæ Menthæ libram unam.

Digerantur in vaſe clauſo, per biduum, exprimantur, & in colatura, unica ebullitione, diſſolvantur
Sacchari albi unciæ ſedecim.

*Ventriculum roborat, vomitus & nauſeam tollit; carminativus & hyſtericus eſt.*

## SYRUPUS MELISSÆ.

Eodem modo paratur.

*Adſcribuntur vires cordiales, nervinæ & uterinæ.*

## SYRUPUS MERCURIALIS, ſive PROPHYLACTICUS,

### *SYROP DE LONGUE VIE DICTUS.*

*REC.* Succorum Mercurialis libras quatuor,
Borraginis,
Buglolli ana libram unam,
Mellis optimi albi libras ſex.

Coquantur & deſpumentur; poſtea

*REC.* Radicum Gentianæ uncias duas,
Iridis noſtratis uncias tres,
Vini albi libram unam ſemis.

Radices inciſæ macerentur in vino, per viginti quatuor horas; poſtea exprimantur; cum ſuccis & melle permiſceantur, lenique igne ad ſyrupi conſiſtentiam coquantur, atque per pannum colatus ſyrupus ſervetur.

*Adſcribitur huic Syrupo virtus ſingularis prophylactica, ad vitam prolongandam, podagræ, hydropis, calculi, aliorumque morborum inſultus arcendos & mitigandos.*

*Doſis, jejuno ſtomacho, quotidie uncia dimidia, vel integra.*



## SYRUPUS MORORUM.

*REC.* Succi Mororum maturorum uncias viginti,
Sacchari albiſſimi uncias triginta duas.

Fiat ſyrupus.

*Cum ſyrupo ceraſorum convenit; præcipue autem ad oris & linguæ aſperitatem & inflammationem, aphthas & anginam laudatur.*

## SYRUPUS DE MUSCO QUERNO,

### *ad Tuſſim convulſivam.*

*REC.* Muſci querni barbati, Bryon dicti, uncias tres,
Herbæ Botryos, ſive Atriplicis Mexicanæ ſuaveolentis,
Paſſularum minorum ana unciam unam ſemis,
Radicum Symphyti majoris unciam unam,
Liquiritiæ unciam ſemis.

Infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis libra una ſemis;

digerantur per noctem, coquantur lento igne, ad colaturæ remanentiam unciarum decem, in qua clarificata diſſolve
Sacchari uncias ſedecim.

Fiat ſyrupus, cui refrigerato adde
Balſami Tolutani drachmam unam ſemis,
cum
Sacchari albi uncia una ſemis triti.

Miſce exacte, & ſerva.

*Celebris in Anglia & efficax eſt contra tuſſes clangoſas & convulſivas puerorum, ſi cochlear unum vel duo propinentur, ſæpe, in die, ante & poſt ſingulos tuſſiendi conatus.*

*Dari etiam poteſt in aqua hyſſopi, vel decocto pectorali, per aliquot dies.*

SY-

## SYRUPUS MYRTILLORUM.

E ſucco, ſicut Syrupus Mororum, paratur.

*Refrigerat & leniter adſtringit, in fluxionibus alvi & ſanguinis commendatur.*

## SYRUPUS DE NICOTIANA.

*REC.* Succi Nicotianæ libras duas,
Hydromellis ſimplicis libram unam ſemis,
Oxymellis ſimplicis uncias quatuor.
Digere in balneo, aut alio loco temperato, per duos vel tres dies, ut defæcetur; clarum, per declinationem vaſis, a fæcibus ſeparatum, denuo, per viginti quatuor horas, digere, donec ab omni fæculentia ſuccus depuratus ſit, adde
Sacchari albi libras tres.
Permiſce, & in ſyrupi conſiſtentiam redige.

Nota: Ad vehementiam Nicotianæ corrigendam, opus eſt, ut digeratur & quaſi fermentetur ſuccus, quæ vehementia poſtea per longiorem coctionem magis diminuitur; ſecundum deſcriptionem igitur præparanda eſt.

*Ad aſthmaticos affectus, ubi pulmones pituita craſſa ac viſcoſa infarcti, tuſſim humidam, ubi expectoratio difficulter ſuccedit, commendatur; cerebrum a catarrhis & fluxionibus ſeroſis & frigidis liberare, imo epilepſiam tollere perhibent; præter quod pectus mirifice per ſuperiora evacuet, per inferiora etiam potenter educit.*

*Pectorali ſcopo, modica quantitate, quæ vomitum excitare nequeat, ſed potius reſolvendo & anodyno effectu juvet, Syrupus hic exhiberi debet; quodſi vero vomitus vel nauſea excitetur, hauſto vino calido aromatiſato mox conquieſcet.*

*Doſis drachma una ad duas, tres, vel quatuor.*

## SYRUPUS NUCISTÆ.

*REC.* Nucis moſchatæ uncias duas;
Pulveriſatis affunde
Vini generoſi Burgundiaci libram unam.
Digerantur in vaſe clauſo, per tres dies; poſtea exprimantur, & in colatura diſſolvantur
Sacchari albi unciæ ſedecim.
Servetur ſyrupus.

*Eſt carminativus & ſtomachicus, alvi fluxiones & vomitus ſedat.*

*Datur in mixturis & electuariis.*

## SYRUPUS PAPAVERIS ALBI.

*REC.* Capitum Papaveris albi, cum ſeminibus, uncias octo,
Aquæ libras quatuor.
Decoquantur ad dimidium, clarificato decocto addantur
Sacchari albi libræ tres,
Fiat ſyrupus.

*Adhiberi ſolet in tuſſi acri, a materie tenui, humores inſpiſſat, demulcet, anodynus eſt, & ſomnum conciliat; datur etiam in ardore urinæ; exhibetur in emulſionibus, vel ſolus.*

*Doſis a drachmis duabus ad ſex.*

## SYRUPUS PAPAVERIS ERRATICI.

*REC.* Florum Papaveris erratici libras duas,
infundantur in
Aquæ ferventis puræ libris tribus.
Macerentur per viginti quatuor horas, exprimantur, & cum
Sacchari albiſſimi libris quinque, & unciis quatuor,
fiat ſyrupus.

*Specificum habetur in pleuritide: blandiſſimum eſt anodynum & demulcens; additur julepis & electuariis, nec non decoctis.*

## SYRUPUS FLORUM PARALYSEOS, sive PRIMULÆ VERIS.

*REC.* Florum Paralyſeos mundatorum recentium libram unam,
affunde
Aquæ ferventis fontanæ uncias decem.
Poſt ſufficientem macerationem exprimantur, in colatura, unica ebullitione, diſſolve
Sacchari albi uncias ſedecim.
Servetur ſyrupus per pannum colatus.

*Speciales floribus Paralyſeos adſcribuntur vires nervinæ; datur igitur etiam Syrupus convulſis, tremulis, & paralyticis; ulcera oris perſanare & tuſſientibus auxiliari creditur.*

## SYRUPUS PERSICORUM FLORUM.

*REC.* Florum Perſicorum recentium libram unam.
Macerentur horis duodecim in
Aquæ calentis libra una;
poſtea exprimantur, & in
Colaturæ depuratæ unciis novem,
ſolvendo
Sacchari albi uncias ſedecim,
fiat ſyrupus.

*Infantibus teneris vomitum movet; provectioris ætatis laxat alvum, bilem & lumbricos educit.*

*Datur a drachma una ad unciam dimidiam & integram.*

## SYRUPUS PÆONIÆ FLORUM.

*REC.* Florum Pæoniæ recentium libras tres ſemis,
Aquæ fontanæ ferventis libras quatuor.
Fiat infuſio per horas viginti quatuor, poſtea exprimantur.
*REC.* Expreſſi hujus uncias octodecim,
Sacchari albi uncias triginta duas.
Fiat ſyrupus.

*Epilepticis dicatus eſt, & vi ſua anodyna motus reſtinguere valet.*

*Datur in mixturis infantibus ad drachmas duas vel tres.*

## SYRUPUS DE RHABARBARO DEODATI.

*REC.* Rhabarbari veri,
Foliorum Sennæ ana unciam unam ſemis,
Cinnamomi drachmam unam ſemis,
Salis Tartari ſcrupulos duos,
Zinziberis drachmam ſemis.
Infunde inciſa in
Aquæ Cichorii unciis decem,
Roſarum unciis quatuor;
ſtent in digeſtione, per triduum, in loco calido, donec, unica ebullitione facta, exprimantur; in
Colaturæ, albumine ovi clarificatæ, unciis novem
diſſolve
Sacchari albi uncias ſedecim.
Fiat ſyrupus.

*Alvum leniter ſubducit, bilem evacuat, & præcipue recens natis, ad educendum meconium utiliter datur.*

*Doſis tenerrimis drachma ſemis, ſcrupuli duo ad drachmam unam; in adultioribus ad unciam unam aſcendere licet.*

## SYRUPUS RIBIUM.

*REC.* Succi Ribium depurati uncias decem,
Sacchari albiſſimi uncias ſedecim.

*Acidus eſt, & mitior ſyrupo Berberum; ſitim & æſtum mitigat, & biliosis convenit.*

## SYRUPUS RORELLÆ.

*REC.* Herbæ Rorellæ uncias duas,
Eryſimi drachmas ſex,
Pulmonariæ quercinæ unciam ſemis,

Flo-

Florum Farfaræ,
Radicum Curcumæ ana drachmas duas,
Liquiritiæ unciam unam,
Paſſularum minorum uncias duas,
Croci Orientalis drachmam unam.
Inciſa perfundantur
Aquæ fontanæ bullientis libris tribus.
Coquantur parum, exprimantur; in expreſſo diſſolvantur
Sacchari albi libræ duæ,
coquantur ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam.

*Commendatur ad raucedinem inveteratam, aſthmaticis, & tuſſim ferinam.*

*Doſis uncia ſemis ad integram.*

## SYRUPUS ROSATUS SOLUTIVUS.

*REC.* Florum Roſarum pallidarum libras quatuor.
Infundantur in
Aquæ fontanæ calidæ libris octo,
ſtent per viginti quatuor horas in digeſtione, poſtea colentur & exprimantur. In colatura denuo
Roſarum eadem quantitas
infundatur, idque tertium repetatur; tandem, in
Infuſi unciis novem,
ſolvendo
Sacchari albi uncias ſedecim,
Fiat ſyrupus.

*Alvum blande ſubducit, & neonatis atque tenerrimis ad drachmam unam datur; adultioribus ab uncia ſemis ad drachmas ſex porrigi poteſt.*

## SYRUPUS E ROSIS SICCIS.

*REC.* Florum Roſarum rubrarum ſiccorum, finiſſimorum libram ſemis,
Aquæ fontanæ ferventis libram unam ſemis.
Macerentur per viginti quatuor horas, exprimantur, & in
Colaturæ unciis novem
diſſolvantur
Sacchari albi unciæ ſedecim,
fiatque ſyrupus.

*Leniter adſtringit, atque in alvi fluxionibus utiliter adhibetur.*

## SYRUPUS ROSATUS SIMPLEX.

*REC.* Muchari Roſarum libram unam ſemis,
Sacchari albi uncias triginta duas.
Solvantur unica ebullitione, & per pannum colatus ſyrupus ſervetur.

*Alvum laxat leniter; Aphthis medetur, ac non ſine fructu decoctis pectoralibus additur.*

## SYRUPUS RUBI IDÆI.

*REC.* Succi baccarum rubi idæi depurati uncias viginti,
Sacchari albi uncias triginta duas.
Fiat ſyrupus.
Sunt, qui baccis rubi idæi acetum vini ad eminentiam digiti latitudinis affundunt, poſt quietem quinque vel ſex dierum ſuccum ex conquaſſatis & fervefactis baccis exprimunt, & cum ſaccharo in ſyrupum redigunt.

*Sapore & odore delectat, analepticus & refrigerans eſt; admiſcetur julapiis & mixturis cordialibus, & in febribus tam intermittentibus, quam continuis malignis, non ſine effectu exhibetur.*

## SYRUPUS SCELOTYRBICUS.

*REC.* Succi Naſturtii aquatici,
Beccabungæ ana libram ſemis,
Fumariæ,
Lupuli ana uncias tres.
Miſceantur & coquantur cum

Sacchari albi unciis ſedecim,
ad ſyrupi ſpiſſioris conſiſtentiam,
qui, per pannum colatus,
Aquæ Naſturtii,
vel
Cochleariæ uncia una, vel duabus
diluendus.

*Commendatur ſcorbuticis, & præſertim ejus uſus externus, ad oris & gingivarum exulcerationes.*

## SYRUPUS SCORDII.

*REC.* Herbæ Scordii, in umbra ſiccatæ, uncias quatuor,
infunde in
Aquæ fontanæ ferventis libra una.
Digerantur per noctem, poſtea exprimantur, & in
expreſſi clarificati unciis novem
diſſolve
Sacchari albi uncias ſedecim.
Fiat ſyrupus.

*Alexipharmacus & anthelminticus eſt.*

## SYRUPUS DE SCILLA, ſive OXYSACCHARUM SCILLITICUM LONDINENS.

*REC.* Aceti ſcillitici libram unam ſemis,
Cinnamomi acuti,
Zinziberis ana unciam unam.
Poſt digeſtionem per triduum colentur, addantur
Sacchari albi unciæ triginta,
& fiat unica ebullitione, in vaſe figulino probe vitreato, ſyrupus, qui colatus, in vitro, vel vaſe porcellano, ſervandus.

*Prodeſt aſthmaticis, reſolvit atque easdem, quas oxymel ſcilliticum, vires habet; gratior tamen eſt, & pro illis, qui mel tolerare nequeunt, parandus.*

*Doſis drachmæ duæ, uncia dimidia ad drachmas quinque.*



## SYRUPUS SEDI MAJORIS, ſive SEMPERVIVI.

*REC.* Succi Sempervivi majoris, ad dimidiæ partis conſumtionem, in vaſe terreo vitreato, evaporati, uncias decem,
Sacchari albi uncias ſedecim.
Miſce, fiat ſolvendo, ebulliendo & colando ſyrupus.

*Febrium æſtus potenter extinguit, præcipue vero ad linguæ & faucium ariditatem, aphthas, & inflammationem valet.*

*Datur cum mucilagine cydoniorum.*

## SYRUPUS DE STOECHADE.

*REC.* Florum Stœchadis Arabicæ uncias duas,
Rorismarini drachmas duas,
Calaminthæ montanæ,
Origani,
Thymi ana drachmas tres,
Betonicæ,
Salviæ ana drachmas duas,
Seminum Aniſi,
Pæoniæ ana drachmas duas ſemis,
Calami aromatici,
Cinnamomi,
Zinziberis ana drachmam unam.
Inciſa infundantur in
Aquæ ferventis libra una;
Macerentur per biduum in loco calido, poſtea exprimantur, & in expreſſi unciis novem,
diſſolve, unica ebullitione,
Sacchari albi uncias ſedecim.

Per pannum colatus ſyrupus fervetur.

*Cerebri atque nervorum morbis, a cauſa frigida, medetur, ventriculum corroborat, & concoctionem adjuvat.*

*Additur electuariis & potionibus.*

SY-

## SYRUPUS SULPHURIS, sive ARCANUM BECHICUM WILLISII.

*REC.* Epatis ſulphuris unciam ſemis.
Solve in
Aquæ fontanæ &
Fœniculi ana unciis quatuor ſemis,
adde
Sacchari albi uncias ſedecim.
Unica ebullitione coquantur in ſyrupum, qui, per pannum colatus, ſervetur.

*Laudatur a celeberrimo Auctore ad aſthma, tuſſim, phthiſin.*

*Doſis uncia ſemis ad integram.*

## SYRUPUS E SYMPHYTO FERNELII.

*REC.* Radicum & foliorum Symphyti majoris manipulos ſex,
Roſarum rubrarum,
Betonicæ,
Plantaginis,
Pimpinellæ,
Polygoni,
Scabioſæ,
Tuſſilaginis ana manipulos duos.
E contuſis omnibus recentibus exprimatur ſuccus, cujus, deſpumati vel defæcati, unciis novem adde
Sacchari uncias ſedecim.
Fiat ſyrupus.

*Auctor de hoc ſyrupo promittit, quod tabidorum & ulceratorum pulmonum ſaniem & pus blande expurget, ſine metu hæmorrhagiæ; ſubadſtringens eſt, & non minus ad omnis generis fluxus, tam alvinos, quam ſanguineos, utiliter adhiberi poteſt. Additur electuariis, potionibus & decoctis.*

## SYRUPUS TUNICÆ FLORUM.

*REC.* Infuſi florum Tunicæ ſaturati uncias novem,
Sacchari uncias ſedecim.
Fiat, lege artis, ſyrupus.

*Analepticus, ventriculo & nervis gratus eſt, leniterque adſtringit.*

## SYRUPUS VERONICÆ.

*REC.* Herbæ Veronicæ recentis ſiccatæ uncias ſex.
Macerentur in
Aquæ Veronicæ, cum vino deſtillatæ, libra una;
poſt ſufficientem extractionem, in loco calido, fortiter exprimantur, in expreſſo diſſolvantur
Sacchari albi unciæ ſedecim.
Fiat ſyrupus.

*Abſtergit & conſolidat, pulmonibus & renibus præcipue convenit.*

*Datur cum decoctis & electuariis; in tuſſi pulmonali etiam ſolus, vel per ſe, ad unciam dimidiam, vel integram, ſumi poteſt.*

## SYRUPUS VIOLARUM.

*REC.* Florum Violarum recentium, mundatorum, libram unam.
Contundantur in mortario lapideo, & ſuperaffundantur, in vaſe figulino, optime vitreato,
Aquæ fontanæ ferventis puriſſimæ unciæ octodecim;
poſt digeſtionem, per aliquot horas, exprimantur & colentur.

*REC.* Infuſi hujus colati uncias viginti,
adde
Sacchari albiſſimi Canarienſis uncias triginta duas.
Leni ac unica ebullitione, in ſtanneo vel figulino vaſe facta, fiat ſyrupus, qui, per pannum colatus, ſervetur.
Sunt, qui, ob meliorem conſervationem coloris,
Succi Citri unciam unam, quin &
Spiritus ſalis drachmam
addunt. Tum vero ſyrupus virtu-

tem reagentem erga acidum et alcali minus exerit.

*Teneræ ætati potiſſimum dicatus eſt, & ad aphthas, tuſſim, pectoris infarctus, ardorem urinæ, & calorem præter naturam temperandum, commendatur.*

*Cum aqua ceraſorum plerumque adhibetur, vel cum oleo amygdalarum dulcium lingendus propinatur.*

## SYRUPUS VIOLARUM SOLUTIVUS.

*REC.* Florum Violarum mundatorum uncias quatuor,
Foliorum Sennæ electæ uncias duas,
infunde in
Aquæ fontanæ ferventis libra una.
Digerantur per noctem, in loco calido, mane exprimantur; ad expreſſi uncias novem,
adde
Sacchari albi uncias ſedecim.

Colata ſerventur.

*Leniter alvum ſubducit, & pueris delicatioribus, qui alia medicamenta reformidant, datur.*

*Doſis a drachmis duabus ad ſex, vel unciam unam.*

## TARTARI OLEUM PER DELIQUIUM.

Fit, ſal Tartari, in manica, aëri humido in cella exponendo, ut enſim in vitrum ſuppoſitum deſtillet; liquor ſalinus, per chartam filtratus, ſervetur.

Citius autem parari poteſt:
Salis tartari libram unam in
Aquæ calidæ fontanæ unciis quatuor, vel quinque,
ſolvendo & filtrando.

*Uſibus pharmaceuticis & chemicis inſervit.*



## TARTARI TERRA FOLIATA.

Videatur ARCANUM TARTARI.

## TARTARUS CHALYBEATUS.

*REC.* Tartari albi crudi, pulveriſati, libram unam,
Limaturæ ferri uncias quatuor.
Coque cum
Aquæ fontanæ libris duodecim, ad remanentiam quartæ partis; liquorem colatum per chartam emporeticam filtra, atque ad cryſtalliſandum, in cellam vel locum frigidum repone.

Cryſtallos a liquore ſalino, rurſus evaporando, & ad cryſtalliſationem reponendo, ſepara ac ſicca.

*Ictericis, cachecticis & hypochondriacis, febre quartana laborantibus convenit.*

*Doſis a granis decem ad quindecim.*

*In majori quantitate exhibitus, nauſeam & vomitus excitare ſolet.*

## TARTARUS EMETICUS.

*REC.* Croci metallorum,
Cryſtallorum tartari ana uncias ſex.
Affundantur
Aquæ fontanæ libræ duæ ſemis; ſtent per unum alterumque diem, pro lubitu.

Hinc leni igne, in vaſe figulino, probe vitreato, coquantur, ad ſufficientem ſolutionem & impræg nationem tartari. Liquor fervens filtretur, filtratus evaporetur leniſſimo igne, ſub perpetua agitatione, fere ad ſiccitatem; & poſtquam leni calore tartarus penitus exſiccatus fuerit, in pulverem teratur, non ita quidem albidum futurum, ac ille cryſtalliſatus, ſed efficaciorem.

*Eſt emeticum univerſale, & datur tenerioribus a grano dimidio ad unum & ſemis; robuſtiores grana duo, tria, vel quatuor perferre poſſunt. Optimus modus, tartarum hunc exhibendi*

*di eſt, cum grana tria in unciis tribus vel quantitate, pro lubitu, majore aquæ ſolvuntur, hujusque ſolutionis hauriat æger dimidiam partem, vel duas tertias; ſi effectus voto non reſpondeat, reliqua portio dari poteſt. Ita hyperemeſis periculoſa evitatur.*

## TARTARUS TARTARISATUS, *SAL VEGETABILE* dictus.

*REC.* Salis Tartari libram unam, vel quantum lubet.

Diſſolvatur in

Aquæ fontanæ libris tribus, vel quatuor.

Ebullienti injiciantur per vices

Cryſtalli Tartari, in pulverem triti, quantum ad ſaturationem ſalis alcali ſufficit, & usque dum a novis cryſtallis adjectis nulla ulterius excitetur efferveſcentia.

Liquor ſaturatus per chartam bibulam filtretur, atque ad ſiccitatem evaporetur.

*Ex hac combinatione acidi & alcalini tartari reſurgit novum ſalis medii genus, propter oleoſas, quas Tartarus continet partes, ſaponaceam indolem habens; Virtute gaudet leniter purgante, reſolvente & diuretica. Maniacis quoque larga doſi & continuato uſu datum, perquam utile obſervatum eſt.*

*Dari poteſt ſcopo laxandi, a drachmis duabus ad quatuor, in ſufficiente quantitate aquæ dilutus; ſcopo digeſtivo & diuretico ſufficit drachma dimidia vel integra. Externe ulceribus ſordeſcentibus mundificandis prodeſt.*

## TARTARUS VITRIOLATUS.

*REC.* Salis Tartari, per deliquium, vel in aqua fontana ſoluti & purificati, uncias quatuor.

Huic ſpiritus Vitrioli guttatim inſtilletur tantum, donec efferveſcentia ceſſet, poſtea humiditate lento calore evocata, exſiccentur.



## TARTARUS VITRIOLATUS TACKENII.

*REC.* Cinerum clavellatorum,
Vitrioli Hungarici ana libras duas.

Utrumque ſeparatim in aqua calida ſolvendum eſt; deinde ſolutiones ſucceſſive confundantur, & quidem tam diu, donec non amplius efferveſcant, vel ſibilent. Præſtat autem, plus ſalis alcali, ut omne vitriolum ſaturetur, addere. Reponantur commixti liquores ad ſubſidentiam, a qua limpidus humor decantetur; maſſæ vero ſubſidenti ſuperfunditur denuo aqua calida, & ſpatula agitatur; poſt ſubſidentiam rurſus limpidior humor decantandus, atque hoc modo omnis ſalſedo extrahenda eſt.

Poſtea in vaſe vitreo humor, ad tertiam partem, evaporandus, & in locum frigidum ad cryſtalliſationem reponendus. Cryſtallis ſupernatans humor, decantatus, rurſus evaporetur, & ad cryſtalliſandum reponatur; cryſtalli collectæ probe exſiccandæ ſunt.

*Eſt ſal medium, ex acido vitrioli & alcali enatum, & revera digeſtivum univerſale, ad ſolvendos & emendandos ſpiſſos lentosque humores. Conducit hypochondriacis, lienoſis, cachecticis, ictero & hydrope laborantibus; in febribus maximi eſt uſus.*

*Dari poteſt a ſcrupulo uno ad quatuor, imo, ſcopo laxativo & diuretico, ad drachmas duas, in aqua dilutus.*

*Præmiſſa tam de tartaro vitriolato e ſpiritu vitrioli, & e tartaro parato, quam de Tacheniano, intelligi volumus; qui poſterior, præter dictos effectus, etiam excellit in ulceribus repurgandis, atque in carne gingivarum*

*luxuriante, & quæ in vulneribus capitis e meningibus pullulat, inſperſus, præſtantiſſimam fert opem.*

## TEREBINTHINA COCTA.

Coquitur Terebinthina Veneta, in ſufficienti quantitate aquæ fontanæ, ad ſpiſſitudinem, quæ cum refrigeſcit, duritiem acquirit.

*Inſervit pro conficiendis pilulis de Terebinthina. Oleo æthereo ſuo ex parte orbata, ſecure interne datur, in Gonorrhœa, ulceribus internis; &c.*

*Datur drachma ſemis ad ſcrupulos duos.*

## TERRA VITRIOLI DULCIS.

vid. VITRIOLI TERRA.

## TESTES EQUI PRÆPARATI.

E vivo equo exemti, vino albo abluendi, atque in clibano exſiccati, in pulverem terantur.

*In epilepſia, calculo, colica, fœtu mortuo pellendo, partu difficili & lochiis ſuppreſſis commendantur.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad duos.*

## THERIACA.

Videantur ELECTUARIA.

## THERIACA COELESTIS WIRTENBERGICA.

*Compoſitionem jam olim magnis ſumtibus conciliavit ſibi Sereniſſima Domus Wirtenbergica, inter arcana hactenus ſervatam, ſeniori Archiatrorum & Pharmacopœo aulico ſolis cognitam.*

*Uſu apud nos dudum invaluit, ſeque laudatiſſimis viribus anodynis, ſedativis, antiſpaſmodicis, bezoardicis & analepticis ita commendavit, ut in vulgus innotuerit, ceu polychreſtum, medicisque etiam non conſultis expetatur frequentiſſime.*

*Doſis eſt infanti a grano dimidio ad unum, adulto a granis duobus ad quatuor.*

## TINCTURA ALOES.

*REC.* Aloës Succotrinæ uncias duas,
Spiritus vini rectificati uncias decem,

Stent in leni digeſtione, ad ſufficientem extractionem; poſtea filtrata tinctura ſervetur.

*Excellens eſt vulnerarium & mundificans, ac a Chirurgis expetitur. Uſus internus rarus.*

## TINCTURA AMARA LONDINENS.

*REC.* Radicum Gentianæ uncias duas,
Flavedinis Aurantiorum unciam unam,
Cardamomi minoris unciam dimidiam,
Spiritus Vini libram unam ſemis.

Digerantur, & poſt extractionem ſufficientem exprimantur & filtrentur.

*Stomachica & tonica eſt.*

*Doſis guttæ quinquaginta & ultra.*

## TINCTURA ANODINA.

Videatur ESSENTIA ANODINA.

## TINCTURA ANTIMONII ACRIS HOFFMANNI.

*REC.* Reguli Antimonii martialis uncias quatuor,
Nitri puriſſimi uncias viginti, vel plures.

Pulveriſata & mixta detonentur in crucibulo, & operculo tecta, fortiter per aliquot horas calcinentur, atque, dum adhuc calet materia, in mortario calefacto illico contundatur, vitroque digeſtorio, itidem calefacto, immittatur;
Spiritusque Vini rectificatiſſimi libra una ſemis
affundatur, atque, ope caloris, tinctura rubicunda extrahatur.

*Eſt potentiſſimum reſolvens, & in affectibus lymphæ rebellibus, tumoribus hydropicis*

*hydropicis, ſuppreſſione urinæ & venerea lue, non ſine inſigni fructu, datur.*

*Doſis, propter acrimoniam, non temere larga nimis ſit; in vehiculo etiam aquoſo exhibenda; ſufficiunt guttæ triginta ad quadraginta quinque.*

## TINCTURA ANTIMONII TARTARISATA.

*REC.* Salis Tartari libram unam,
Antimonii electi libram ſemis.
Pulveriſata & mixta fluant in crucibulo, valido igne, per horam; poſtea maſſa in mortarium calidum effunditur citiſſime, & ignita adhuc, in pulverem contunditur. Pulveri, in phiola,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libra una
affunditur, & ad digeſtionem reponitur. Liquor, rubineo colore tinctus, a fæcibus ſeparatur, atque reſiduo
Spiritus Vini rectificatiſſimi libra ſemis
denuo affunditur, qui tinctus, uti prior, decantetur.

E reſiduo ſulphur Antimonii parari poteſt.

*Reſolvit, ſanguinem purificat, attenuat, urinam movet, ictericis, hypochondriacis & lienoſis prodeſt.*

*Doſis guttæ quadraginta ad ſeptuaginta.*

## TINCTURA ANTIPHTHISICA GARMANNI.

*REC.* Sacchari Saturni unciam ſemis,
Vitrioli Martis drachmas tres,
Aceti vini boni non deſtillati,
Spiritus vini rectificati ana uncias duas,
Aquæ Roſarum drachmas ſex.

Solvatur Saccharum Saturni aceto, in vaſe ferreo, leni igne, admiſceatur Vitriolum Martis tritum, invicem ſolutis addatur ſpiritus vini rectificatus, Aqua Roſarum permixtus; reponantur in locum temperatum.

Aqua Roſarum additur, ut phlegma ſpiritui vini, alias huc non rectificato expetito, reſtituatur, præcipitatio evitetur, tinctura ſaturatior atque ideo gratior obtineatur, ſimulque fœtor empyrevmaticus, qui ſpiritui vini non rectificato inhæret, evitetur.

*Eſt mixtura ſaturnino-martialis, valde adſtringens; hinc vix in phthiſi, niſi ſymptomatibus urgentibus, ſudoribus ſcilicet colliquativis, ſuadenda eſt; laudatur etiam ad ſiſtendam gonorrhœam, & pollutiones nocturnas; caute tamen ubique, vel nunquam, adhibendam eſſe, cenſemus.*

*Doſis guttæ viginti ad triginta.*

## TINCTURA AROMATICA LONDINENS.

*REC.* Cinnamomi acuti drachmas ſex,
Cardamomi minoris drachmas tres,
Piperis longi,
Zinziberis ana drachmas duas,
Spiritus Vini libram unam.

Miſceantur, atque poſt digeſtionem exprimantur et filtrentur.

*Datur ad ventriculum roborandum, atque phlegmaticis convenit.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad ſexaginta usque.*

## TINCTURA BELLIDIS FLORUM.

*REC.* Florum Bellidis hortenſis, colore rubro, a capitulis ſuis decerptorum & exſiccatorum, unciam ſemis,
Spiritus Vitrioli drachmam unam,
Aquæ florum Bellidis uncias quatuor.

Stent in digeſtione per diem & noctem; poſtea exprimantur & filtrentur.

Pari modo parantur:

## TINCTURA FLORUM AQUILEGIÆ, PAPAVERIS, ROSARUM.

*Ad fervorem & æſtum ſanguinis temperandum commendatur.*

*Doſis a dimidia uncia ad integram. Julapiis & potionibus admiſceri poſſunt.*

## TINCTURA BEZOARDICA LUDOVICI.

*REC.* Radicum Angelicæ,
Carlinæ,
Enulæ,
Fraxinellæ ana unciam unam,
Myrrhæ electæ drachmas ſex,
Croci Orientalis drachmas duas,
Caſtorei drachmam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificati uncias quadraginta.

Stent in digeſtione ad ſufficientem extractionem, exprimantur, & in expreſſo diſſolvatur
Opii thebaici drachma una ſemis.

Filtretur tinctura & ſervetur.

*Vires ſunt eædem, ac tincturæ bezoardicæ officinalis; magis tamen propter opium, cujus uncia una ultra duo grana continet: anodyna & ſudorifera eſt.*

*Doſis guttæ quadraginta ad quinquaginta.*

NB. Aliam etiam deſcriptionem hujus tincturæ circumferunt, quæ largiorem opii doſin continet; cum vero hæc, quam dedimus, jam a longo tempore in officina noſtra aulica in uſu eſt, illam merito præferre voluimus.

## TINCTURA BEZOARDICA MICHAELIS.

*REC.* Radicum Zedoariæ uncias duas,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Valerianæ veræ,
Vincetoxici,
Calami aromatici ana unciam unam,
Coſti electi,
Corticum Citri exteriorum recentium,
Baccarum Juniperi ana uncias duas,
Myrrhæ uncias tres,
Herbarum Scordii unciam unam ſemis,
Meliſſæ,
Milleſolii,
Rutæ ana unciam ſemis,
Camphoræ unciam unam,
Theriacæ optimæ libram unam,
Spiritus vini rectificati libras ſex.

Poſt octiduanam digeſtionem adde
Aquæ fontanæ libras duas;
abſtrahatur ſpiritus, cujus
*REC.* libras duas,
Spiritus Tartari genuini libram ſemis,
Spiritus Vitrioli uncias tres.

Miſceantur & tingantur cum fructu Solani quadrifolii, quod vulgo Herba Paris dicitur, ac filtrentur.

*Propter exteros libuit, tam Tincturam bezoardicam Michaëlis, quæ ob longum uſum in officinis plurimis proſtat, & nil niſi Mixtura ſimplex tincta eſt, quam Wedelii apponere, quibus ambabus officinalem noſtram virtute nullo modo cedere, ſed palmam ſimplicitate præripere, cenſemus.*

## TINCTURA BEZOARDICA OFFICINALIS ORDINARIA.

*REC.* Radicum Zedoariæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Herbarum Scordii,
Dictamni Cretici,
Baccarum Juniperi,

Cor-

Corticum citri,
Myrrhæ ana drachmas ſex,
Sandali rubri unciam unam.
Inciſis & contuſis affunde
Spiritus florum Sambuci rectificati libram unam.
Poſt ſufficientem extractionem exprimantur; expreſſo adde
Spiritus Tartari uncias ſex,
Vitrioli uncias duas,
Camphoræ unciam ſemis.
Miſce, poſt digeſtionem filtrentur, & ad uſum reponantur.

*Vires ſunt alexiteriæ, ſudoriferæ; hinc in eryſipelate, febribus, quas vocant, malignis & continuis, bono cum effectu adhibetur: flatus etiam diſſipat, & urinam movet.*

*Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.*

## TINCTURA BEZOARDICA WEDELII.

*REC.* Radicum Zedoariæ,
Gentianæ veræ,
Angelicæ,
Anthoræ,
Contrayervæ,
Carlinæ,
Biſtortæ,
Dictamni albi,
Tormentillæ,
Scorzoneræ Italicæ montanæ,
Vincetoxici,
Olsnitii ana unciam unam,
Florum Galegæ,
Ulmariæ,
Calendulæ,
Scabioſæ,
Rutæ ana unciam ſemis,
Seminum Fraxini,
Cardui benedicti,
Aquilegiæ,
Rutæ ana drachmas duas,
Baccarum Paridis unciam unam ſemis,
Cubebarum,
Granorum Chermes,
Opobalſami ana unciam ſemis,
Corticum citri drachmas ſex,
Camphoræ,
Myrrhæ electæ ana unciam unam,
Croci drachmam unam.
Conciſis & contuſis, groſſo modo, affundantur
Spiritus ſambuci citrati rectificati libræ tres;
Cum per aliquot dies ſteterint, in leni digeſtione, addantur
Spiritus ſalis volatilis unciæ duæ,
Sandali rubri uncia una ſemis.
Tinctura ſaturata exprimatur, & filtrata ſervetur.

*Vires, quæ ordinariæ officinalis.*
*Doſis eadem.*

## TINCTURA CANTHARIDUM PHARM. EDINBURG.

*REC.* Cantharidum drachmas duas,
Coccinellæ drachmam ſemis.
In pulverem tritis ſuperaffundantur
Spiritus vini rectificatiſſimi unciæ octodecim,
Digerantur leniſſimo calore per biduum, addatur
Reſinæ Guajaci uncia ſemis,
Balſami de Copaiva uncia una,
Camphoræ drachmæ duæ,
Olei Juniperi drachma una.
Poſt ſufficientem digeſtionem ad ſolutionem reſinæ & balſami, clarum a ſpiſſo per inclinationem vaſis ſeparetur.

*Commendari ſolet ad gonorrhœam pertinacem; circumſpectionem tamen adhibendam eſſe cenſemus.*

*Doſis guttæ viginti ad viginti quinque.*

## TINCTURA CORALLIORUM.

*REC.* Coralliorum rubrorum, pulveriſatorum, uncias duas,
affunde
Aceti

Aceti deſtillati libram unam.

Stent in digeſtione, per triduum, ebulliant aliquoties, ad coralliorum ſufficientem ſolutionem; refrigerata ſolutio per chartam bibulam filtretur, atque in vaſe figulino, vel vitreo, ad ſiccitatem evaporetur.

*REC.* Solutionis hujus ſiccæ unciam unam,

ſolve in

Aquæ cinnamomi cydoniatæ unciis tribus,

ſolutioni adde

Spiritus vini rectificati unciam unam ſemis,

Tincturæ ſacchari unciam ſemis.

Digerantur per aliquot dies; poſtea, per chartam bibulam filtrata tinctura ſervetur.

*Leniter adſtringit, roborat, ſudorem & urinam movet.*

*Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.*

## TINCTURA CROCI.

*REC.* Croci Auſtriaci drachmas decem.

In Spiritus vini rectificati libra ſemis

macerentur, & poſt digeſtionem exprimantur, atque Tinctura, per chartam bibulam filtrata, ſervetur.

*Anodynæ, cordialis & antiſpaſmodicæ eſt virtutis; menſtrua movet, atque ad icterum laudatur.*

*Doſis guttæ triginta ad quadraginta.*

## TINCTURA CROCI VINOSA.

*REC.* Croci Auſtriaci unciam unam,

Micæ panis ſimilaginei uncias duas.

Contundantur ſimul in mortario lapideo, ſenſim affundendo vini boni Canarienſis quantitatem ſufficientem, ut fiat puls mollis, omniaque ſtamina croci ſint comminuta. Pulti huic porro affunde vini ejusdem uncias ſex, & in vitro probe clauſo aliquandiu relinque ac digere.

Tinctura ſanguinis inſtar rubicunda a fecibus ſeparetur, & loco frigido ſervetur.

*Roborare, excretiones ſine violentia ſtimulare, animam exhilarare, lithiaſin cohibere, & ad vitam longam ac ſanam procurandam, utiliſſime adhiberi, B. Schulzius cenſet.*

*Doſis guttæ decem, viginti, triginta, usque quinquaginta.*

NB. Eſſentiæ & Tincturæ, menſtruo vinoſo paratæ, vel aceſcunt, vel mox ſitu corrumpuntur. Igitur vel parva in quantitate parandæ, vel parum ſpiritus vini rectificati addi debet.

## TINCTURA GINGIVALIS BALSAMICA.

*REC.* Terræ Japonicæ,

Myrrhæ electæ ana unciam unam.

In pulverem trita irrorentur

Balſami Peruviani drachma una.

Superfundantur

Spiritus Cochleariæ,

Vini rectificati ana unciæ tres.

Digerantur, & per chartam filtrata tinctura ſervetur.

*Commendatur ad ſtomacacem, ſeu ſcorbutum oris, laxitatem & purulentam affectionem gingivarum, atque, cum melle roſato mixta, applicari ſolet.*

## TINCTURA HELLEBORI COMPOSITA.

*REC.* Fibrarum Hellebori nigri unciam unam ſemis,

Squinanthi unciam unam,

Galangæ minoris unciam ſemis,

Cardamomi minoris drachmas tres,

Croci

Croci drachmam unam ſemis,
Vini Canarienſis,
Spiritus vini ana libram unam.

Stent in digeſtione, poſt ſufficientem extractionem, exprimantur atque filtrentur.

*Commendatur in affectibus hypochondriacis, obſtructione menſium. Datur maniacis & melancholicis.*

*Doſis drachma una vel una ſemis.*

## TINCTURA LACCÆ.

*REC.* Gummi Laccæ, quod baculis adhæret, & cui tinctura nondum extracta, unciam unam,
Aluminis crudi drachmam unam ſemis,
Aquæ Salviæ,
Roſarum,
Cochleariæ ana unciam unam ſemis.

Lento igne, in vaſe fictili, ebulliant, & colata uſui aſſerventur.

*Ad laxitatem & cruentationem, a ſcorbutica ulceratione gingivarum adhibetur; locum etiam invenit in tonſillarum & uvulæ relaxatione, quæ ſub ſalivatione, a mercurio excitata, exoriri ſolet.*

## TINCTURA MARTIS ADSTRINGENS.

*REC.* Limaturæ Martis puriſſimæ uncias quatuor,
Aceti vini albi uncias novem.

Stent in digeſtione, ad ſufficientem extractionem; poſtea in vaſe ferreo acetum, ad quartæ partis remanentiam, ſub continua agitatione, ſpatula ferrea, evaporetur, & reſiduo magmati, in vitro,
Spiritus cydoniorum unciæ quatuor
affundantur, & per digeſtionem probe unitis, clarum a ſpiſſo, per chartam bibulam colando, ſeparetur.

*Omnes quidem tincturæ martiales ſunt adſtringentes, pro ratione vero menſtrui, quo extractæ ſunt, plus aut minus. Hæc tinctura, aceto parata, magis adſtringit, reliquis, & in fluxionibus quibuscunque inhibendis, & ubi adſtrictione opus eſt, adhibetur.*

## TINCTURA MARTIS APERITIVA, ſive AROPH PARACELSI.

*REC.* Florum Salis Ammoniaci Martialium unciam unam,
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias quatuor.

Miſce exacte, & lentiſſimo igne tincturam, aurei coloris, extrahe, quæ filtrata reponatur.

*Hæc tinctura præ aliis ſe commendat, quod, ſine alteratione pelluciditatis cum aliis eſſentiis ac tincturis ſpirituoſis commiſceri poſſit. Suavitate odoris, & virtute leniter adſtringente ac anodyna alias præcellit; in atonia viſcerum, & ex illa natis morbis, cachexia, hypochondriaco malo, ictero, & poſt febres intermittentes, ea, bono cum ſucceſſu, uti licet.*

*Doſis guttæ triginta quinque ad quadraginta.*

## TINCTURA MARTIS APERITIVA, TARTARISATA LUDOVICI.

*REC.* Vitrioli Martis unciam unam,
Cremoris Tartari uncias quatuor.

Coque, in vaſe ferreo, cum
Aquæ fontanæ libris ſex,
ſub continua agitatione, fere ad ſiccitatem, exponatur per aliquot dies aëri, ut humiditatem attrahat. Maſſæ griſeæ vel quaſi ochreæ
adde
Aquæ Cinnamomi, ſine vino, uncias quatuor, &
Spiritus Vini rectificati uncias octo.

In phiala alta ebulliant ſimul, ſpatio horæu nius; poſt refrigerationem liquorem tinctum decanta, & percolatum ſerva.

Reſiduum cum novo ſpiritu, aqua Cinamomi diluto, tartari poteſt.

*Tonica eſt, roborat, & appetitum excitandi gratia, poſt diuturnos morbos, in refracta doſi exhibetur.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad octoginta.*

## TINCTURA MARTIS COERULEA ETTNERI.

*REC.* Limaturæ Martis puriſſimæ,
Salis Ammoniaci ana quantum vis.

Probe mixta deſtillentur, & ſi flores aſcendere incipiunt, deſiſtatur a deſtillatione. Maſſa vero relicta ſtet adhuc, per tempus, ſupra fornacem hypocauſti calidi, ut hoc fotu magis magisque aperiatur limatura Martis. Tunc adde
Salis Tartari,
vel
Cinerum clavellatorum ana,
&
Aquæ fontanæ tantundem,
inde deſtilletur ſpiritus.

E reſiduo vero ſal elixivietur, & ad ſiccitatem iterum evaporetur, cui ſali affundatur ſpiritus prolectus, qui, colore cœruleo inde tinctus, ſervetur.

*Magis curioſa, quam utilis eſt hæc tinctura, & colorem a particulis venereis, marti adhærentibus, habet.*

*Commendatur ab auctore hypochondriacis & melancholicis; quæ virtus potius ſpiritui ſalis ammoniaci adſcribenda videtur.*

*Doſis guttæ viginti ad triginta.*

## TINCTURA MARTIS CYDONIATA.

*REC.* Limaturæ Martis puriſſimæ libram unam,
affunde
Succi cydoniorum, recens expreſſi, libras tres.

Stent per aliquot dies in digeſtione, poſtea lento igne, in cacabo ferreo, ad dimidiæ partis conſumtionem, coquitur; ab igne remotis adde
Aquæ cinnamomi ſpirituoſæ uncias tres.

Probe mixta filtrentur & ſerventur.

NB. Aquam cinnamomi addimus, ut gratior ſtomacho exiſtat, & ne ſitu corrumpatur tinctura.

*Vires habet, cum aliis martialibus, adſtringentes, tonum viſcerum roborat, atque in cachexia, hypochondriaco affectu, anomaliis menſium, utiliter dari poteſt.*

*Doſis eſt ſcrupulus unus ad ſcrupulum unum ſemis, in convenienti vehiculo.*

## TINCTURA MARTIS ELLEBORATA.

*REC.* Tincturæ Martis Ludovici uncias quatuor,
Extracti Ellebori nigri drachmas duas.

Mixta digerantur & filtrentur.

*Commendatur in affectibus hypochondriacis & melancholicis, & febre quartana inveterata, expugnandis.*

*Doſis guttæ quadraginta & ſexaginta; majori alvum laxat.*

## TINCTURA MARTIS POMATA.

*Eodem modo paratur, quo Tinctura Martis cydoniata, atque easdem cum illa virtutes habet, eademque doſi exhibetur.*

## TINCTURA MARTIS, CUM VINO MALVATICO ET POMIS AURANTIIS.

*REC.* Limaturæ Martis puriſſimæ uncias quatuor,
Pomorum Aurantiorum ama-

re-

rorum, succulentorum, numero quatuor.

Excorticentur poma Aurantia, & a fungosa albedine & seminibus liberentur; postea cortices & succulenta caro, in mortario lapideo, cum limatura Martis impastentur; pasta reponatur in vitro, ampliore collo, ad digerendum per biduum; donec affundantur

Vini Malvatici unciæ decem,
Spiritus corticum Aurantiorum unciæ duæ.

Digesta & expressa filtrentur.

*Cum reliquis tincturis martialibus, virtute leniter adstrictoria, tonica convenit; præter hanc etiam gaudet viribus balsamicis, stomachicis & carminativis, atque hypochondriacis, flatibus & ructibus vexatis, & post febres diuturnas, exhibetur.*

*Dosis drachma semis ad scrupulos duos.*

## TINCTURA MARTIS, E VITRIOLO, ZWOELFFERI.

*REC.* Vitrioli Martis,
Arcani, sive Terræ foliatæ Tartari ana unciam unam.

Vitriolum Martis pulverisatum immittatur patinæ terreæ, calefiat leniſſimo igne, spatula agitando, immisceatur Terra foliata Tartari, & ab igne remota repone in locum temperatum, usque dum floresce-re cœperint; deinde dissolve in

Aquæ Cinnamomi, sine vino, unciis tribus,
Spiritus Vini rectificati unciis quinque.

Serva ad usum in loco frigido.

*Cum reliquis martialibus tincturis, usu & viribus convenit, &, ob virtutem blandam resolventem conjunctam, prærogativam meretur.*

*Dosis guttæ triginta ad quinquaginta.*

## TINCTURA METALLORUM.

*REC.* Reguli Antimonii martialis uncias duas,
Cupri,
Stanni Anglici ana unciam unam;

fundantur violento igne, fusa effundantur.

Reguli hujus, in pulverem redacti, recipe uncias duas,
Nitri optimi crystallisati, siccissimi, pulverisati, uncias duodecim.

Commisceantur exacte, & paulatim in crucibulum probe candens injiciantur; detonatione peracta, tegatur crucibulum tegula, ignisque adhibeatur vehemens, in quo detineatur, donec massa in scorias cœruleas, virideſcentes redacta sit. Tum in mortarium effundatur calefactum, pulverisetur statim, & vitro immissæ superaffundatur

Spiritus vini rectificatissimi libra una semis.

Digerantur, donec tinctura sit extracta pulcherrime rubens.

*Cum Tinctura Antimonii acri convenit, & ad viscidos & lentos humores resolvendos utilis; adeoque in humorum impuritatibus, obstructionibus, & infarctibus viscerum & glandularum adhibetur.*

*Dosis, propter acrimoniam, parca sit, & in vehiculo adhibeatur aquoso; sufficiunt guttæ triginta ad quadraginta.*

## TINCTURA ODONTALGICA MAURIT. HOFFMANNI.

*REC.* Rasuræ ligni sancti uncias duas,
Corticum ligni Sassafras unciam semis,
Seminis hyoscyami,
Radicis pyrethri ana drachmas duas,
Caryophyllorum,

Piperis longi ana drachmam unam,
Camphoræ,
Opii ana drachmam ſemis,
Sandali rubri drachmas duas,
Spiritus vini rectificati uncias quindecim.

Digerantur, & poſt ſufficientem extractionem filtrentur.

*Efficaciſſimum remedium contra dolores dentium, vel goſſypio denti dolenti ſuperimpoſitum, vel parum calefactum in ore detentum.*

## TINCTURA PROPRIETATIS MYNSICHTI.

*REC.* Spiritus Aniſi uncias ſedecim,
Elixirii proprietatis unciam unam,
Confectionis Alkermes unciam ſemis,
Florum Tunicæ rubrorum drachmam unam.

Stent in digeſtione, donec perfecte tingantur, poſtea ſpiritum tinctum & filtratum ad uſum ſerva.

*Auctor eam laudat, pro more ſuo, in melancholia, hemicrania, vertigine, paralyſi, catarrho, aſthmate, tuſſi, cardialgia & cæteris morbis.*

*Nobis eſt ſtomachicum, carminativum & pectorale remedium non contemnendum.*

*Doſis drachma una ad unam ſemis.*

## TINCTURA RHABARBARI, ſive ANIMA RHABARBARI.

*REC.* Pulveris Rhabarbari optimi unciam unam,
Salis tartari drachmas duas,
Aquæ Cichorii,
Cinnamomi buglossatæ ana uncias ſex.

Infuſa ſtent loco calido, per horas viginti quatuor; poſtea per bibulam colentur.

NB. Situi valde obnoxia eſt hæc tinctura; parari igitur debet extempore, igne leni: ſi vero Rhabarbarum aqua fervida infunditur, ſex vel octo dies conſervari poteſt.

*Hypochondriacis & ictericis conducit, reſolvit, & majori doſi exhibita, alvum laxat, quo ſcopo ad unciam integram, imo duas, dari poteſt; ſcopo alterante ſufficiunt drachmæ duæ.*

## TINCTURA RHABARBARI COMPOSITA.

*REC.* Rhabarbari unciam unam,
Gentianæ drachmam unam ſemis,
Serpentariæ Virginianæ drachmam unam,
Spiritus vini,
Vini generoſi ana libram ſemis.

Miſceantur, & extrahatur Tinctura.

*Laudatur in affectibus biliosis, febribus; & ipſa dyſenteria.*

*Doſis guttæ quinquaginta ad octoginta.*

## TINCTURA STOMACHICA AROMATICA.

*REC.* Cinnamomi acuti unciam unam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Nucum moſchatarum,
Croci Orientalis ana unciam ſemis,
Calami aromatici drachmas ſex,
Macis drachmas duas,
Corticum Citri recentium ex duobus pomis,
Aurantiorum recent. unius pomi.

Inciſa & contuſa infundantur
Spiritus vini rectificati libra una ſemis.

Poſt digeſtionem exprimantur, & per chartam filtrentur.

*Ori & ſtomacho grata eſt, atque vel ſola, vel cum aliis Eſſentiis amaris mixta, ad guttas quinquaginta vel octoginta exhiberi poteſt.*

TIN-

## TINCTURA STOMACHICA MARTIALIS EDINBURGENS.

*REC.* Radicum Calami aromatici,
Galangæ,
Gentianæ,
Zedoariæ,
Corticum Aurantiorum,
Peruvianor. ana unciam ſemis,
Herbarum Abſinthii,
Centaurii minoris,
Florum Chamomillæ Romanæ ana drachmas duas,
Limaturæ ferri unciam unam ſemis,
Vini albi generoſi uncias ſedecim,
Spiritus vini rectificati uncias duas.

Digerantur per plures dies, & poſt extractionem ſufficientem exprimantur, atque filtrentur.

*Ad tonum ventriculi & viſcerum reſtaurandum poſt febres diuturnas, imo in febribus intermittentibus, cachexia, ictero, menſium vitiis, commendabilis eſt.*

## TINCTURA STOMACHICA LIPSIENSIS.

*REC.* Spiritus Salis armoniaci vinoſi uncias duas,
Vini rectificatiſſimi unciam unam,
Olei deſtillati veri Abſinthii drachmas tres,
Caryophyllorum aromaticorum drachmam ſemis.

Miſceantur & digerantur, addatur
Tincturæ Sandali rubri uncia una.

*Efficaciſſima eſt in affectibus ventriculi, ſic dictis frigidis, tonum reſtaurat, digeſtionem promovet, flatus diſcutit, & anthelmintica cenſetur.*

*Doſis guttæ viginti ad triginta.*

## TINCTURA SULPHURIS.

*REC.* Sulphuris citrini unciam unam ſemis.

Fluat lento igne, in patina terrea, admiſce ſucceſſive
Salis Tartari,
vel
Cinerum clavellatorum ſiccorum uncias tres;

Auge ignem, ut materia fluat, cui, in mortarium calidum effuſæ atque pulveriſatæ, in vitro,
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias decem
affunde, & extrahe tincturam.

*Ad pectoris affectus, ſcabiem, ulcera ſcorbutica, commendatur.*

*Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta, in vehiculo idoneo.*

## TINCTURA TARTARI ACRIS.

*REC.* Salis Tartari uncias ſex,
Pulveris carbonum unciam unam ſemis.

Miſceantur, & calcinentur fortiſſimo igne, per horam integram. Maſſæ ſalinæ ſuperaffunde
Spiritus Vini rectificati libram unam.

Digerantur leni calore, & tinctura, per inclinationem vaſis a fecibus ſeparata, ſervetur.

*Magis ignea eſt tinctura ordinaria tartari, atque cum Tinctura Antimonii acri convenit, & eadem doſi exhibetur.*

## TINCTURA TARTARI.

*REC.* Salis Tartari depurati libram ſemis.

Fundatur in valido crucibulo, igne intenſo, atque in fluore tam diu

conſervetur, donec in colorem e rubro cœruleum tranſierit; effuſum in mortarium calefactum cito pulveriſetur, & calens, ne aërem attrahat, in phialam ſiccam, itidem prius calefactam, immittatur, ſuperfundatur

Spiritus vini rectificatiſſimi libra una;

digerantur, per aliquot dies, in arena, interdum agitando, donec ſpiritus vini rubicundo colore tingatur, qui decantatus, pro tinctura Tartari, ſervetur.

*Eſt tinctura alcalina, ideo, quæ de tinctura antimonii & metallorum diximus, huc referenda. Reſolvens eſt & egregium diureticum, illis etiam utiliter adhibetur, in quibus acidum in primis viis peccat.*

*Doſis guttæ triginta ad ſeptuaginta.*

## TRAGEA AROMATICA GABELKOVERI.

*REC.* Cinnamomi drachmam unam,
Zinziberis drachmam ſemis,
Caryophyllorum aromaticorum,
Galangæ minoris,
Granorum Paradiſi,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana grana quindecim,
Sandali albi,
rubri ana drachmam ſemis,
Sacchari albi uncias octo.

Miſce, fiat pulvis.

*Concoctionem adjuvat, & tam grato ſapore, quam virtute roborante, ſtomachica & carminativa ſe commendat.*

*Sumitur cum pane toſto & vino, vel per ſe, ad drachmas ſex.*

## TRAGEA AROMATICA OFFICINALIS.

*REC.* Cinnamomi acuti unciam unam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Nucis moſchatæ ana drachmas tres,
Macis drachmas duas,
Zinziberis drachmas tres,
Sandali rubri unciam ſemis,
Sacchari albi uncias triginta duas.

Miſce, fiat pulvis.

*Vires ſunt eædem, quæ præcedentis.*

## TRAGEA GRANORUM ACTES.

*REC.* Succi baccarum Sambuci, quantum placet,
Farinæ ſecalinæ, quantum ſufficit.

Miſceantur, fiat paſta, ex qua formentur panes parvi, in clibano ad duritiem coquendi. Cocti denuo in pulverem terantur, & ſucco ſambuci imprægnati, rurſus exſiccentur, laborque tertia vice repetatur.

Tandem
Maſſæ hujus, in pulverem tritæ, ſingulis unciis
addatur
Nucis moſchatæ drachma una.

*Egregium celebratur antidyſentericum, & a drachma una ad drachmas duas exhibetur.*

## TRAGEA OPHTHALMICA.

*REC.* Euphraſiæ drachmas decem,
Millepedum præparatorum unciam ſemis,
Macis,
Cubebarum ana drachmam unam,
Fœniculi drachmas tres,
Cinnamomi acuti drachmam unam ſemis,
Sacchari albi uncias tres.

Trita ſerventur.

*Præter uſum ad viſus debilitatem, etiam confert ad capitis dolores, urinam movet, & chylificationem adjuvat, emendat.*

*Doſis*

*Dosis a drachmis duabus ad unciam semis, bis de die sumenda.*

## TROCHISCI ALHANDAL.

Fructus Colocynthidis, a corticibus exterioribus & seminibus mundatus, cum mucilaginis Tragacanthæ & Gummi arabici sufficiente quantitate, in mortario contunditur; postea massa, leni calore exsiccata, in pulverem teritur, & vel in forma pulveris servatur, vel in trochiscos, ope mucilaginis tragacanthæ, formatur, sic enim melius vires integræ conservari creduntur, quam, si aër omnes pulveris atomos subire & vires auferre, vel alterare potest.

*Sunt vehementer purgantes, & pilulis, pro stimulo, adduntur.*
*Dosis grana duo ad quinque.*

## TROCHISCI ALIPTÆ MOSCHATÆ.

*REC.* Styracis calamitæ uncias quatuor,
Ladani,
Benzoës ana unciam unam,
Ligni Aloës, subtilissime pulverisati, drachmas sex,
Sacchari albissimi unciam unam semis,
Moschi Orientalis scrupulum unum,
Ambræ griseæ drachmam unam.

Omnibus subtilissime pulverisatis, fiat, sufficiente quantitate mucilaginis tragacanthæ, aqua rosarum paratæ, massa, ex qua formentur trochisci minores.

*Trochiscorum horum usus plerumque est ad suffitus, vel suffimigia pretiosa, cucuphas, aliasque res odore imbuendas.*

*Interne commendatur pueris, asthmate & constrictione pectoris laborantibus, & lac revomentibus, quibus pauca grana, unum, duo vel tria sufficiunt.*

## TROCHISCI ALKEKENGI.

*REC.* Baccarum Alkekengi,
Seminum Papaveris albi ana unciam unam,
Apii,
Hyoscyami ana drachmas duas,
Gummi Arabici,
Amyli,
Tragacanthæ,
Radicis Altheæ,
Succi Liquiritiæ inspissati ana unciam unam semis,
Boli Armenæ,
Thuris,
Sanguinis draconis ana drachmas undecim,
Succini præparati,
Terræ sigillatæ ana drachmas duas.

Pulverisata aqua rosarum, vel alkekengi humectentur, & in massam cogantur, ex qua formentur trochisci.

Si præcedentibus opii drachmæ duæ adduntur, fiunt:

## TROCHISCI ALKEKENGI, CUM OPIO.

*Commendantur ad renum & vesicæ ulcera, ac natam inde dysuriam; acrimoniam urinæ temperant, & ardorem mitigant.*

*Quælibet drachma habet opii granum unum.*

*Dosis est a scrupulis duobus ad drachmam unam; sed, cum continuari debeant, præstat sine opio sumere.*

*Sumuntur autem in Syrupo dialtheæ, aqua alkekengi, vel alia diluto, quibus, pro lubitu, oleum amygdalarum dulcium addi potest.*

## TROCHISCI ALKERMES COMPLETI.

*REC.* Confectionis Alkermes completæ unciam unam semis,

Laccæ Florentinæ drachmas tres,
Ambræ,
Moſchi ana ſcrupulum ſemis,
Sacchari albi uncias ſedecim,
Mucilaginis Tragacanthæ, aqua roſarum factæ, quantum ſatis.

Fiant trochiſci minores.

*Ad bonum halitum conciliandum, & caput confortandum, ſumuntur.*

## TROCHISCI DE AMBRA.

*REC.* Ambræ griſeæ ſcrupulum ſemis,
Olei Cinnamomi deſtillati guttas ſex,
Moſchi grana quatuor,
Sacchari albiſſimi uncias ſedecim,
Mucilaginis Tragacanthæ, quantum ſatis.

Fiant trochiſci minores.

*Sunt cephalici, & bonum halitum conciliant.*

## TROCHISCI ANTHELMINTICI, ſive HERMETICI SCRETÆ.

*REC.* Mercurii dulcis unciam ſemis,
Cornu cervi, philoſophice præparati, ſcrupulos duos,
Cinnamomi acuti ſcrupulum unum,
Diacrydii ſulphurati drachmam unam,
Sacchari albi unciam unam,
Conſervæ Roſarum rubrarum drachmas duas.

Cum mucilagine Tragacanthæ, in aqua roſarum ſolutæ, fiant trochiſci, numero ſexaginta quatuor.

*Adverſus vermes, & inde ortos morbos, utiliter adhibentur.*

*Pendet trochiſcus grana quindecim, & continet mercurii dulcis grana quatuor, diacrydii granum unum.*

*Doſis, pro ratione ætatis, unus vel duo.*

## TROCHISCI BECHICI ALBI.

*REC.* Sacchari albiſſimi libram unam, uncias octo,
Radicum Ireos Florentinæ unciam unam ſemis,
Amyli uncias duas ſemis,
Mucilaginis Tragacanthæ albiſſimæ, aqua roſarum factæ, quantum ſatis.

Fiat maſſa, ex qua formentur trochiſci parvi.

## TROCHISCI BECHICI CITRINI.

*REC.* Sacchari albi libram unam,
Radicis Ireos Florentinæ, Liquiritiæ ana unciam unam,
Croci ſcrupulos duos,
Mucilaginis Tragacanthæ, quantum ſufficit.

Fiant maſſa & trochiſci.

## TROCHISCI BECHICI NIGRI.

*REC.* Pulveris Radicum Ireos Florentinæ,
Liquiritiæ,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Succi Liquiritiæ, in Aqua Hyſſopi ſoluti, uncias quatuor,
Sacchari albi uncias ſedecim,
Mucilaginis Tragacanthæ,
Aqua Roſarum ſolutæ, quantum ſufficit.

Miſce, fiant ex arte trochiſci.

## TROCHISCI BECHICI RUBRI.

*REC.* Specierum Diatragacanthæ,
Boli Armenæ ana unciam unam,
Sacchari albi libram unam.

Fiat, cum mucilagine Tragacanthæ, maſſa, ex qua formentur trochiſci minores.

*Trochiſci bechici tam albi, quam nigri*

&

*& reliqui, ad tussim acrem, raucedinem & defluxiones acres, catarrhales inserviunt, & tam resolvendo, quam demulcendo opem ferunt.*

## TROCHISCI DE CARABE.

*REC.* Carabe, id est, Succini drachmas sex,
Cornu cervi usti,
Corallii rubri,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Mastiches,
Gummi Laccæ,
Succi Acaciæ,
Hypocistidis,
Balaustiorum,
Seminis Papaveris nigri ana drachmas duas,
Thuris,
Croci,
Opii ana drachmam unam, grana quindecim,
Mucilaginis Psyllii quantum satis.

Formentur trochisci.

*Sunt adstringentes & opiati. Commendantur ab auctore* Mesua *ad hæmorrhagias, & in specie ad sputum cruentum & uteri fluxum; diarrhœas & hæmorrhoides nimium fluentes sistunt.*

*Drachma continet grana tria opii; hinc in dosi, nisi urgente necessitate, non ultra scrupulum excedendum.*

## TROCHISCI CATECHU, sive MUSCERDÆ.

*REC.* Terræ Catechu unciam unam,
Sacchari candi albi uncias duas,
Ambræ gryseæ,
Mosci Orientalis ana scrupulum semis,
Mucilaginis Tragacanthæ quantum satis.

Fiant trochisci, instar muscerdarum.

*Ad laxitatem gingivarum corrigendam, & bonum halitum conciliandum, in ore detinentur.*

## TROCHISCI DE TERRA CATECHU, AD SPUTUM CRUENTUM.

*REC.* Terræ Catechu pulverisatæ unciam unam,
Succi Liquiritiæ uncias tres,
Specierum diatragacanthæ unciam semis.

*Misce, fiant trochisci minores; qui, in ore liquefacti, acrimoniam salsam mitigant, & hæmoptoicis mire prosunt.*

## TROCHISCI DE CREMORE TARTARI.

*REC.* Cremoris Tartari unciam unam semis.
Sacchari albissimi uncias sex,
Mucilaginis Tragacanthæ quantum satis,

Fiat massa, ex qua formentur trochisci.

*Ad æstum febrilem temperandum, & sitim mitiganda n commendantur.*

## TROCHISCI ESCHAROTICI.

*REC.* Mercurii sublimati corrosivi unciam semis,
Amyli albi,
Panis triticei ana unciam unam,
Minii rubri unciam semis,
Mucilaginis Tragacanthæ quantum sufficit.

Fiant trochisci.

*Inserviunt Chirurgis, ad mundificanda ulcera, & carnem luxuriantem extirpandam.*

## TROCHISCI GALLIÆ MOSCHATÆ.

*REC.* Ambræ gryseæ drachmas tres,
Ligni Aloës drachmas quinque,
Moschi drachmam unam,
Sacchari albi unciam unam,

Mucilaginis gummi tragacanthæ, quantum ſufficit.

Miſce, fiant trochiſci.

*Adduntur ſpeciebus & pulveribus, atque aliis medicamentis, ut odorem gratum ipſis tribuant.*

## TROCHISCI DE MYRRHA.

*REC.* Myrrhæ electæ drachmas tres,
Aſæ fœtidæ,
Sagapeni,
Opoponacis,
Rubiæ tinctorum,
Foliorum Rutæ,
Menthaſtri,
Seminis Cymini,
Lupinorum ana drachmas duas.

Myrrha, Aſa fœtida, Sagapenum & Opoponax vino humectantur, quibus reliqua pulveriſata adjiciuntur, ut fiat maſſa, ex qua formentur trochiſci.

*Menſtrua ſuppreſſa, fœtum mortuum, & ſecundinas retentas promovent.*

*Dantur a drachma ſemis ad integram.*

## TROCHISCI DE SCILLA.

*REC.* Scillam albam ponderoſam.

Cortice exteriori detracto, & parte inferiori duriore, cui fibroſæ radices adhærent, adjecta, maſſæ panis, e farina & aqua, involve, atque in clibano, donec maſſa panis in cruſtam abierit, coque, quam ſeparabis, atque medulloſam vel carnoſam ſcillæ partem, in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, quam optime in pultem contunde; ad

Scillæ libram unam, vel uncias duodecim,

adde

Farinæ Orobi, vel lupinorum uncias octo,

atque contundendo in maſſam redige, ex qua formentur trochiſci, pondere drachmarum duarum, qui leni calore ſiccandi.

*Sunt ingrediens Theriacæ; vim habent reſolvendi, alexipharmacam, diureticam, & in majori doſi exhibiti, emeticam.*

*Doſis grana quinque ad octo.*

## TROCHISCI DE VIPERA.

*REC.* Viperas, detractis exuviis, capitibus & caudis, truncatas, atque exenteratas, quantum voles.

Coquantur in ſufficiente quantitate aquæ fontanæ, ſale & anetho conditæ, donec caro a ſpinis ſecedat.

Recipiantur Carnis hujus, aliquantum a nimia humiditate ſiccatæ, uncias octo,

Panis triticei albiſſimi, bis cocti & in pollinem redacti, unciæ duæ,

contundantur in mortario marmoreo, in maſſam, ex qua trochiſci formentur tenues, in umbra ſiccandi, & ne ſitum contrahant, ſæpius vertendi, poſtea in vitro, in loco temperato ſicco ſervandi.

*Quamvis trochiſci de viperis plerumque ex Italia petantur, tamen deſcriptionem præparationis apponere libuit; nam dubium non eſt, quin viperæ noſtræ indigenæ eandem fere virtutem habeant, & cum ad Theriacæ confectionem expetantur, præſtaret, iſtos recentes confectos adhibere, quam inveteratos ex Italia conquirere. Raro præſcribuntur, ſed potius pulvere viperarum ex Italia allato, vel noſtrarum viperarum utimur.*

## TURPETHUM MINERALE.

*REC.* Argenti vivi puri,
Olei Vitrioli rectificati ana uncias quatuor.

Abſtrahatur a Mercurio ex retorta Oleum Vitrioli, quod ſub forma ſpi-

ſpiritus ſulphuris tranſtillat. Continuetur ignis, donec ad ſiccitatem perveniat, & non amplius ſumet materies, ſed in maſſam albam ſalinam abeat. Huic affundatur aqua fervida, & ſecedet ad fundum pulvis citrinus, qui ſatis edulcoratus, & exſiccatus *Turpethi Mineralis* nomine ſervetur.

*Apud veteranos nonnullos Chirurgos in uſu eſt, ad ſalivationem excitandam; exhibent grana tria ad quinque, pro doſi. Non raro ſurſum ac deorſum purgat; præſtat igitur, ab ejus uſu abſtinere, cum alia minus violenta & ſecuriora mercurialia proſtent. Noviter tanquam ſpecificum contra Hydrophobiam, vel rabiem caninam, ab Anglis commendatur.*

*Doſis grana tria. Videant. Collect. Lipſienſ. Tom. IV.*

Not. In aqua, cum qua edulcoratio inſtituta fuit, quædam portio Mercurii, ope acidi, ſolvitur: qua evaporata, ſal obtinetur, qui in cella repoſitus deliquium patitur, & tum *Oleum Mercuriale* appellatur.

## TUTIA PRÆPARATA.

Aliquoties, vel ad minimum ter, in crucibulo candefiat, ſingulis vicibus in aqua extinguatur, tum demum trita in marmore lævigetur.

*Uſus eſt in collyriis, unguentis & emplaſtris exſiccantibus.*

## VENTRICULORUM GALLINARUM PRÆPARATIO.

Mundatæ pelliculæ vino laventur, & leni calore exſiccatæ ſerventur.

*Commendantur ob vim leniter adſtringentem, ad ventriculum roborandum, alvi fluxum, & vomitus compeſcendos.*

*Dantur in trageis a drachma dimidia ad integram.*

## VINUM CYDONIORUM. GRANATORUM. RUBI IDÆI.

Adæquata proportio eſt, ut in libra una ſucci diſſolvantur unciæ tres ſacchari. Colentur, ſerventur, ſuperfuſo oleo olivarum.

*Julapiis & mixturis adduntur.*

## VITRIOLI GILLA THEOPHRASTI.

Videatur GILLA.

## VITRIOLI ROS, ſive PHLEGMA.

Eſt phlegma acidulum, primo in deſtillatione vitrioli deſtillans.

*Adſcribitur illi vis roborans ventriculum, & expellendi lumbricos.*

*Doſis guttæ viginti ad triginta.*

## VITRIOLI TERRA DULCIS.

Eſt edulcoratum caput mortuum, ab olei vitrioli deſtillatione, in retorta relictum, vel Colcothar edulcoratum.

*Vires ſunt exſiccantes, uſus in emplaſtris.*

## VITRIOLUM MARTIS.

*REC.* Limaturæ Martis libram unam.
Superfundatur
Spiritus vitrioli, tripla aquæ fontanæ quantitate diluti, libra una;
digerantur in loco calido, usque dum efferveſcere deſinant, liquor filtratus ultra dimidium, vel eo usque, dum in ſummitate pelliculam contrahat, lento igne exhalet, ſic in frigido concreſcent cryſtalli viridiuſculæ, quæ exſiccentur, remanens vero liquor ulterius, pro vitriolo exin colligendo, debite exhalet.

*Ad nonnullas præparationes pharmaceuticas requiritur; datur vero etiam*

*in ſubſtantia, aliis pulveribus mixtum, uti in pulvere abſorbente Wedelii. Adſtringit, roborat, lumbricis, præſertim latis, adverſatur; utiliter datur cachecticis, & menſium vitiis laborantibus; ſpecifice laudatur ad vias lymphaticas iterum conſolidandas, in hydropicis, poſt aquarum evacuationem, ubi, pro ſingulis diebus, granum unum vitrioli martis, in pauxillo ſacchari, ex vino vel aqua, hora una ante prandium, præbere jubent, & per triginta vel quadraginta dies continuare ſuadent.*

*Doſis ſit parcior, ſufficiunt grana duo, vel tria.*

## VITRUM ANTIMONII CERATUM.

*REC.* Ceræ flavæ drachmam unam,
cui in cochleari ferreo fuſæ
Vitri Antimonii in pulverem tenuiſſimum redacti uncia una
additur, totum leni igne liquatur, & ſpatula continuo actum, per ſemi horam, in pulverem, tabaco hiſpanico æmulum, redigitur.

*In dyſenteriis omnibus ſpecificus, & omni ætati utilis venditatur a medicis Edimburg. In aliis quoque evacuationibus nimiis & hæmorrhagiis varii varie laudant.*

*Doſis a granis duobus ad decem, duodecim.*

## VITRUM ANTIMONII HYACINTHINUM.

*REC.* Antimonii crudi pulveriſati, quantum lubet.

Calcinetur in patina terrea non vitreata, rutabulo vitreo, vel fiſtula tabaci Colonienſi, perpetuo, ne in grumos abeat, agitando, leniſſimo igne, donec fumare ceſſat; ſi forſan in grumos concreſcat, denuo pulveriſandum eſt Antimonium, atque iterum, ſub agitatione perpetua, in calcem gryſei coloris, quæ ſulphur non redolet, redigendum.

Calx hæc Antimonii crucibulo inditur, atque igne forti, in furno anemio, liquatur, &, ubi colorem pellucidum, hyacinthinum acquiſiverit, pauxilium Antimonii crudi, vel Sulphuris, adjicitur, & in pelvim vel laminam cupream effunditur.

*Vinum, vitro huic affuſum,* Huxham, *longa edoctus praxi, præparatis antimonialibus plurimis præfert. Suadet nimirum unciam ſemis vitri pulveriſati cum vini boni hiſpanici libra una, per decem, duodecim dies digerere, interdum concutere, tandem a ſubſidentibus partibus decantare, filtrare, & vaſe clauſo ſervare.*

*Doſis pro infantibus, ſcopo alterante, aperiente & ſudorifero, guttæ ſex, decem, viginti; adultis a guttis viginti ad quinquaginta, in potu theiformi, bis terve de die. In morbis cutaneis, inteſtinorum, viarum urinæ, aſthmate, ictero, cephalalgiis rebellibus, epilepſia, mania, febribus intermittentibus, chronicis, catarrhalibus, pulmonum ſuppreſſis ſputis.*

*Scopo vomitorio adultis uncia ſemis, una, ad duas.*

*Ex vitro antimonii & tartari cryſtallis nonnulli parare ſolent tartarum emeticum, qui efficacior illo, e croco metallorum parato, creditur.*

## UNGUENTUM ÆGYPTIACUM.

*REC.* Æruginis uncias tres,
Mellis puri uncias octo,
Aceti Vini acerrimi uncias quatuor.

Ærugo in pulverem teritur, aceto diluitur, mellique permixta, lento igne, ad mellis conſiſtentiam reducitur.

*Vim habet deſiccandi & mundificandi,*

*ſe-*

*ſepticam; hinc in ulceribus malignis, ſinuoſis & Sphacelo utiliter Chirurgi adhibent; cum melle roſato mixtum gingivis putridis & ulceroſis conducit.*

## UNGUENTUM AGRIPPÆ.

*REC.* Radicum Bryoniæ libras duas,
Cucumeris aſinini libram unam,
Ebuli,
Filicis,
Ireos noſtratis ana uncias tres,
Scillæ libram ſemis.
Tribulorum aquaticorum uncias duas.

Radices omnes recentes, conciſæ & contuſæ, cum tribulis macerentur, per octiduum, in
Olei olivarum libris ſex, poſtea lento igne coctis & expreſſis, addatur
Ceræ flavæ libra una.

Colliquata & mixta colentur; fiat unguentum.

*Confert lienoſis, alvi obſtructione & duritie laborantibus, hydropicis & ædematoſis, tumoribus duris, ſcirrhoſis.*

## UNGUENTUM ALABASTRINUM.

*REC.* Flor. & Herbar. Chamæmeli,
Rutæ ana uncias tres,
Roſarum,
Sambuci,
Betonicæ ana unciam unam ſemis,
Radicis Altheæ uncias duas,
Olei roſati libram unam ſemis.

Contundantur, & ad humiditatis exhalationem coquantur, poſtea colentur, & exprimantur. E colatura, cum
Alabaſtri puri, optime lævigati, unciis tribus,



&
Ceræ albæ unciis quinque.

Fiat unguentum.

*Temporibus, fronti, ſpinæ dorſi, & plantis pedum illinitur, & lintea, illo imbuta, imponuntur; refrigerat, dolores mitigat, & ſomnum conciliat.*

## UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

*REC.* Axungiæ porcinæ libram unam,
Ceruſſæ Venetæ pulveriſatæ uncias octo,
Camphoræ drachmas ſex.

Miſce.

*Deſiccat, refrigerat, & levioribus inflammationibus medetur. Cave vero, in eryſipelate applices.*

## UNGUENTUM ALBUM SIMPLEX.

*REC.* Axungiæ porcinæ libram unam,
Ceruſſæ albæ, ſubtiliſſime pulveriſatæ, uncias octo.

Miſceantur exacte, & agitentur piſtillo ligneo.

*Deſiccat atque refrigerat; ad ſcabiem & reliqua cutis vitia, a ſero acri enata, ut & ambuſta conducit.*

## UNGUENTUM ALTHEÆ.

*REC.* Mucilaginis Radicum Altheæ libram unam,
Fœni græci,
Lini ana libram ſemis,
Butyri libras quatuor,
Ceræ libram unam,
Terebinthinæ uncias duas,
Reſinæ uncias ſex.

Mucilagines coquantur cum butyro, & cum aquoſum conſumtum fuerit, addatur
Pulveris radicum Curcumæ uncia una;
denique cera & reſina.

His liquatis & colatis, terebinthina admiſceatur, unguentum ſervetur.

*Usitatissimum ac celeberrimum hoc unguentum emollit, calefacit, & resolvit; commendatur in pleuritide, nephritide, retentione urinæ, ad mammarum tumores resolvendos, & membra rigida.*

## UNGUENTUM AD AMBUSTA.

*REC.* Corticum mediorum succulentorum Sambuci,
Tiliæ ana unciam unam semis,
Succi Plantaginis recens expressi uncias duas,
Sempervivi majoris unciam unam,
Olei lini expressi uncias sex,
Sevi cervini unciam unam.

Bulliant leni igne, ad consumtionem humiditatis, oleo colato immisceantur exacte, in mortario plumbeo,
Cerussæ Venetæ, minutissime tritæ, ac Aqua Rosarum lotæ, uncia una,
Sacchari drachmæ duæ,
Olei ovorum recens parati uncia semis.

Fiat, secundum artem, unguentum.

*Ad ambusta, uti titulus docet, adhibetur; paregoricum & refrigerans est.*

## UNGUENTUM ANODYNUM.

*REC.* Florum recent. Chamomillæ libras duas,
Malvæ,
Meliloti,
Verbasci,
Anethi,
Folior. recent. Hyoscyami ana unciam unam,
Radicum recent. Altheæ uncias duas,
Seminis Fœni græci,
Lini ana drachmas tres.

Flores, herbæ & radices recentes, cum seminibus probe contusis, macerentur in
Olei Olivarum libris duabus,
per diem & noctem, postea leni igne coquantur, ad humiditatis omnis consumtionem, in colatura colliqua
Ceræ flavæ recentis uncias quatuor.

Fiat sic, lege artis, unguentum.

*Dolores a rigida fibrarum tensione mitigat, convenit in cephalalgia, & lumborum doloribus ex nephritide & febre.*

## UNGUENTUM APOSTOLORUM.

*REC.* Terebinthinæ,
Resinæ,
Ceræ citrinæ ana uncias duas,
Aristolochiæ longæ,
Thuris,
Bdellii,
Myrrhæ,
Galbani ana unciam semis,
Opopanacis præparati,
Æruginis ana drachmas duas,
Lithargyrii unciam unam,
Olei communis libras tres.

Oleum cum Lithargyrio coquatur, lento igne, inter coctionem
Aceti vini albi uncias duas addendo;

Postea immisceatur cera, cum resina, liquefacta & colata, atque his, ab igne remotis, & nonnihil refrigeratis, terebinthina ac reliqua in pulverem contrita addantur.

Fiat unguentum.

*Mundificat, detergit, maturat & consolidat; utplurimum ad ulcerum curam adhibetur.*

## UNGUENTUM DE ARTHANITA.

*REC.* Succi radicum Cyclaminis, vel, in ejus defectu,
Bryoniæ libras tres,
Cucumeris agrestis,
Butyri recentis ana libram unam,

Olei

Olei Olivarum libras duas,
Polypodii querni uncias ſex,
Pulpæ Colocynthidis uncias quatuor.

Polypodium & Colocynthis, minutim inciſa, contundantur cum ſucco; & macerentur per viginti quatuor horas; poſtea, additis oleo & butyro, coquantur, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & colentur, in colatura diſſolvantur

Ceræ flavæ unciæ quinque, refrigeſcant, & ſub continua agitatione, pulverem e ſequentibus inſperge:

Pulveris Aloës epaticæ,
Baccarum Mezerei,
Colocynthidis, vel trochiſcorum Alhandal,
Scammonei,
Turbethi ana unciam unam,
Euphorbii drachmas ſeptem,
Salis gemmæ,
Florum Chamomillæ,
Myrrhæ,
Piperis longi,
Zinziberis ana unciam ſemis;

tandem adde

Fellis tauri, ad mellis conſiſtentiam inſpiſſati,
Sagapeni in aceto ſoluti ana unciam unam.

Exactiſſime uniantur, reponatur unguentum.

*Ob multa, quæ ad hoc unguentum concinnandum accedunt, purgantia fortiſſima, abdomini illitum, alvum clauſam reſerandi virtutem accipit, tumores œdematoſos diſcutit, aquas hydropicorum expellit, menſes retentos & ſuppreſſos provocat, vermes, abdomini applicitum, expellit; ſed cave, ne pueris delicatioribus, ſub emplaſtri ſpecie, imponas, euphorbium*





*enim rubefaciendi vim habet, & excoriationem excitat.*

*Sufficit, inunxiſſe abdomini unguentum ſemel in die.*

## UNGUENTUM AUREUM.

*REC.* Olei communis libras duas ſemis,
Ceræ citrinæ libram ſemis,
Terebinthinæ uncias duas,
Colophonii,
Reſinæ pini ana unciam ſemis.

Lento igne colliquatis, colatis, & nonnihil refrigeratis, inſpergantur

Pulveris Maſtiches,
Thuris ana uncia una,
Croci drachma una.

Miſce, fiat unguentum.

*Vulnerarium eſt, & per excellentiam vocatur aureum, conducit in vulneribus, ubi nulla adeſt inflammatio, & præſertim membranoſarum & nervearum partium vulneribus ſanandis inſervit.*

## UNGUENTUM BASILICUM.

*REC.* Ceræ flavæ,
Sevi arietini,
Reſinæ pini,
Picis navalis,
Terebinthinæ ana uncias tres,
Olei communis olivarum libram unam.

Fundantur, lento igne, cera, ſevum, reſina & pix cum oleo, quibus liquatis additur terebinthina, & per ſtupam colatis, adde

Pulveris Olibani unciam unam ſemis.

Miſce.

*Digerit, maturat, ſuppurationem promovet.*

## UNGUENTUM CALENDULÆ FLORUM.

*REC.* Florum Calendulæ recenti-

 um,

um, excerptorum, uncias quatuor,
Butyri recentis, non ſaliti, libram unam.

Inciſi flores coquantur cum butyro, ad humiditatis conſumtionem, expreſſum, & colatum unguentum reponatur.

*Emolliente & diſcutiente vi pollet, tumores mammarum lactantium reſolvit, & a mulierculis ad ambuſta, aliasve leves inflammationes adhibetur.*

## UNGUENTUM CARMINATIVUM.

*REC.* Florum recent. Chamomillæ uncias tres,
Meliloti,
Herbarum rec. Abrotani,
Hederæ terreſtris,
Rutæ,
Menthæ criſpæ,
Tanaceti ana unciam unam.

Contuſis & conquaſſatis addatur
Olei Olivarum,
Adipis porcini recentis ana libra una;

Macerentur per dies aliquot, dein leniter ebulliant, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & colentur, adde
Ceræ citrinæ uncias duas,
Olei deſtillati Aniſi,
Carvi,
Menthæ ana drachmam unam,
Lauri expreſſi uncias duas.

Miſce pro unguento.

*In colica, torminibus infantum & flatulentia, diſtenſione abdominis, utiliter abdomini illinitur.*

## UNGUENTUM CLYSMATICUM.

*REC.* Radicum Altheæ recentium,
Radicum Liliorum alborum ana uncias duas,
Herbarum Parietariæ,
Malvæ,
Mercurialis ana unciam unam ſemis,
Altheæ,
Violariæ,
Florum Chamæmeli,
Meliloti, omnium recentium, ana unciam unam.

Coquantur in
Butyri recentis, non ſaliti, libris duabus,
ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & colentur.

*Abdomini illitum alvum emollit, & clyſteribus, eodem ſcopo, additur ad unciam ſemis, usque ad uncias tres.*

## UNGUENTUM COMITISSÆ.

*REC.* Corticum mediorum Glandium, Caſtanearum, Quercus arboris junioris,
Baccarum Myrti,
Gallarum,
Acinorum uvarum,
Calicum glandium,
Sorborum immaturorum ſiccorum,
Meſpilorum acerborum ſiccatorum,
Foliorum Plantaginis,
Quercus,
Equiſeti,
Pruni ſilveſtris,
Radicis Tormentillæ ana unciam unam ſemis.

Contundantur aliquantulum, coquantur in
Aquæ fontanæ
&
Vini rubri ana libra una, donec media pars conſumta fuerit.

Co-

Colatura ulterius coquatur, cum
Olei Myrtillorum libra una ſemis, ad humiditatis aquoſæ conſumtionem; poſtea in ea diſſolvantur
Ceræ novæ unciæ octo ſemis; ab igne repoſitis addatur
Olei maſtichini libra una ſemis, atque inſpergatur ſequentium tenuiſſimus pulvis:

*REC.* Corticum Quercus arboris unciam unam,
Sanguinis Draconis,
Nucis Moſchatæ,
Gallarum,
Succi hypociſtidis,
Baccarum myrti,
Acinorum uvarum,
Sorborum immaturorum ana unciam ſemis,
Trochiſcorum de carabe uncias duas.

Miſce, fiat unguentum.

*Unguentum hoc e meris adſtringentibus & ſiccantibus paratum, laudatur ad abortum probibendum, uteri, alvi & renum laxitatem, ad hernias, ani & uteri procidentias.*

*Applicatur lumbis, abdomini & femoribus, vel illinendo, vel linteis illitum imponendo.*

## UNGUENTUM DIGESTIVUM.

*REC.* Terebinthinæ Venetæ libram ſemis,
ſolve ac miſce cum
Vitellis ovorum, numero quatuor,
adde
Olei Hyperici unciam unam ſemis,
Pulveris Olibani,
Myrrhæ ana drachmas tres.

Miſce.

*Digerit & ſuppurationem promovet, in vulneribus ac abſceſſibus.*



## UNGUENTUM DIGITALIS.

*REC.* Florum Digitalis purpureæ vulgaris uncias quatuor,
Adipis Suillæ libram unam.

Macerentur per aliquot dies, poſtea coquantur lento igne ad humiditatis conſumtionem, coletur & ſervetur in vaſe vitreo unguentum.

*Commendatur ad ulcera ſcrophuloſa humida, pure manantia. De digitali Itali dicere ſolent:* Aralda tutte le piaghe ſalda. *h. e. Digitalis ſanat omnia vulnera.*

## UNGUENTUM ENULATUM.

*REC.* Radicum Enulæ recentium libram unam,
Pinguedinis porcinæ libram ſemis,
Olei Olivarum puriſſimi uncias quatuor.

Pinſantur in mortario lapideo, coquantur leni igne, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & colentur; colaturæ adde
Ceræ flavæ,
Terebinthinæ puræ ana unciam unam.

Optime commixta fiant unguentum.

*Laudatur ad ſcabiem & tineam, & bono cum effectu adhibetur, ubi mercurio & metallicis præparatis mixta unguenta locum non habent.*

## UNGUENTUM FUSCUM.

*REC.* Olei communis libram unam ſemis,
in quo diſſolve
Ceræ flavæ recentis uncias quatuor,
Colophonii,
Picis navalis ana uncias duas,
Maſtiches electæ,
Terebinthinæ ana unciam unam.

Colentur, atque colaturæ refrigeratæ admiſce
Gummi Galbani,
Sagapeni,
Thuris electi ana unciam unam,
Ariſtolochiæ rotundæ unciam ſemis.

Miſce, fiat unguentum.

*Eſt vulnerarium, emolliens, & mundificans; digerit & carnem generat.*

## UNGUENTUM DE HYOSCYAMO.

*REC.* Foliorum Hyoſcyami recentium libram unam.

Contundantur cum
Axungiæ porcinæ unciis decem;

coquantur ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & expreſſo addantur
Olei Hyoſcyami, e ſemine expreſſi, unciæ duæ.

Mixta ſerventur.

*Anodynum eſt, & egregium emolliens; cum unguento linariæ, hæmorrhoidum dolores ſedat.*

## UNGUENTUM INFRIGIDANS GALENI.

*REC.* Olei roſati libram unam,
Ceræ albæ uncias tres.

Cera liquetur, & oleo permiſceatur, ut fiat unguentum.

*Nephriticis & hecticis, dorſo & renum regioni inunctum commendatur.*

## UNGUENTUM DE LINARIA.

*REC.* Herbæ Linariæ, cum floribus,
Pinguedinis porcinæ ana libram unam.

Contundantur, coquantur ad humiditatis conſumtionem, & exprimantur.

*Specificum creditur eſſe ad hæmorrhoides dolentes, quibus plumaceolo, vitello ovi mixtum, applicatur.*



## UNGUENTUM DE LIQUIRITIA.

*REC.* Radicum Liquiritiæ recentis & ſucculentæ, inciſarum,
Butyri recentis ana libram unam.

Pinſantur ſimul in mortario, poſtea frixentur in ſartagine, ad humiditatis conſumtionem, & prelo exprimantur, expreſſo adde
Pompholygos drachmas ſex,
Ceruſſæ ſubtiliſſime tritæ uncias tres,
Camphoræ ſcrupulos duos.

Fiat unguentum.

*Inflammationes partium leviores, vel potius excoriationes, a ſero ſalſo productas, ut & fiſſuras papillarum in mammis lactantium, ſanat.*

## UNGUENTUM DE LITHARGYRIO.

*REC.* Lithargyrii libram ſemis,
Ceruſſæ unciam unam ſemis,
Aceti libram ſemis,
Olei roſati libram unam.

Fiat in mortario plumbeo, optime agitando, unguentum.

*Epuloticum & ſarcoticum eſt, adverſus ſcabiem, pruritum & alia cutis vitia, utiliter adhibetur.*

## UNGUENTUM MALVÆ.

*REC.* Herbæ Malvæ recentis libram unam ſemis,
Butyri recentis libras duas.

Contundantur inſimul, & coquantur leni igne, ad humiditatis conſumtionem, colentur cum expreſſione, & unguentum ad uſum reponatur.

*Cum Unguento Clyſmatico convenit, & eisdem uſibus inſervit.*

## UNGUENTUM MAJORANÆ.

*REC.* Herbæ recentis Majoranæ,
Butyri recentis ana libram unam.

Contu-

Contuſa & probe mixta coquantur leniſſimo igne, ad humiditatis exhalationem, exprimantur & colentur, colaturæ adde

Olei deſtillati Majoranæ guttas triginta.

*In narium infantum obſtructione, a muco viſcido, expetitur; loco unguenti carminativi etiam abdomini illini poteſt.*

## UNGUENTUM MARTIATUM.

*REC.* Foliorum Lauri recentium libram unam,
Rutæ hortenſis uncias decem,
Majoranæ uncias octo,
Rorismarini uncias ſex,
Myrti veræ,
Ebuli,
Menthæ,
Baſilici ana uncias duas.

Herbæ & folia recentia, minutim inciſa, macerentur in

Vini albi libra dimidia, &
Olei Olivarum libris duabus, per aliquot dies digeſtis adde

Butyri recentis,
Axungiæ Urſi,
Gallinæ,
Medullæ Cervi ana unciam unam ſemis.

Coquantur leniſſimo igne, ad humiditatis conſumtionem, colentur & exprimantur; in expreſſo diſſolvantur

Ceræ flavæ unciæ quindecim, refrigerato unguento admiſceantur

Styracis drachmæ decem,
Maſtiches uncia una,
Thuris drachmæ quinque,

omnia in ſubtilem pulverem trita.

*Cum unguento nervino convenit, & ad nervorum reſolutionem, tumores a cauſa frigida ortos, infantum tormina & hydropem commendari ſolet.*

## UNGUENTUM DE MINIO CAMPHORATUM.

*REC.* Olei roſati libram unam ſemis,
Lithargyrii uncias duas,
Minii uncias tres,
Ceruſſæ unciam unam ſemis,
Tutiæ præparatæ,
Camphoræ ana drachmas tres,
Ceræ albæ uncias duas.

Liquatam lento igne ceram, oleum, & reliqua tenuiſſime trita, additis

Aceti deſtillati unciis tribus,

commiſce, ſub finem addendo camphoram ſpiritu vini ſolutam.

*Refrigerantis & exſiccantis virtutis eſt, & ad ulcera, quæ ob humorum acrimoniam ſerpunt, conducit, & ambuſtis medetur.*

## UNGUENTUM MUNDIFICANS STAHLII.

*REC.* Mercurii vivi,
Saturni ana unciam unam.

Fluat plumbum in tigillo, cui adde mercurium, & ſpatula agita, quo uniantur, & fiat amalgama, quod, cum

Terræ Tripolitanæ uncia una,

ſubtiliſſime teratur. Qui pulvis

Unguenti albi camphorati unciis octo

optime permiſceatur.

*Ad efflorescentias cutis ſcabioſas, præſertim ſiccas & pruriginoſas, præmiſſis præmittendis, utile eſt, ſi vel immediate loco affecto inducatur, vel articulationibus manuum & brachiorum ſubinde affricetur.*

## UNGUENTUM NEAPOLITANUM.

*REC.* Mercurii crudi uncias quatuor,
Terebinthinæ claræ unciam unam ſemis.

Probe miſceantur, ut Mercurius extinguatur, adde

Axungiæ porcinæ lotæ uncias decem,

Olei Spicæ drachmam unam.

*Uſus eſt in lue venerea, ad ſalivationem excitandam; modus applicandi e practicorum libris petendus.*

## UNGUENTUM NERVINUM.

*REC.* Herbarum Salviæ,
Chamæpytis,
Majoranæ,
Rorismarini,
Menthæ,
Rutæ,
Lavendulæ,
Hyperici,
Paralyſeos, cum flore,
Florum Chamæmeli,
Meliloti,
Hyperici,
Summitatum Anethi,
Baccarum Lauri,
Juniperi viridium
ana drachmas ſex.

Inciſa & contuſa macerentur in Olei Olivarum libra una, per aliquot dies; poſtea lento igne, ad humiditatis conſumtionem, coquantur, exprimantur & colentur. Colaturæ adde

Terebinthinæ Venetæ uncias duas,

Ceræ citrinæ uncias quatuor & ſemis,

Olei Terebinthinæ unciam unam,
Lumbricorum cocti,
Laurini ana uncias duas,

Benzoës, in unciis tribus ſpiritus vini rectificatiſſimi ſoluti, unciam unam.

Fiat unguentum.

*Ad frigidos nervorum affectus, paralyſin & ſimiles commendatur.*



## UNGUENTUM DE NICOTIANA.

*REC.* Foliorum Nicotianæ libras duas,
Succi Nicotianæ libram ſemis,
Axungiæ vel pinguedinis porci libram unam.

Herba inciſa & contuſa, cum ſucco & adipe ſuillo, per noctem maceretur; mane lento igne, ad humiditatis conſumtionem, coquantur, exprimantur, & colentur, addantur

Reſinæ unciæ duæ,

Ceræ uncia una,

Ariſtolochiæ rotundæ, ſubtiliſſime tritæ, unciæ duæ.

Fiat unguentum.

*Auctor Laurentius Joubertus miram huic unguento, in ſcrophulis diſſipandis, vim adſcribit; laudatur etiam ad ulcera, ad morphœam & tineam capitis; cutim a ſcabie ſanat.*

## UNGUENTUM NIGRUM.

*REC.* Olei olivarum libram unam,
Butyri recentis,
Sevi vervecini,
Axungiæ porci,
Ceræ citrinæ,
Lithargyrii ana uncias quatuor.

Oleo & reliquis lento igne liquatis lithargyrium tenuiſſime tritum addatur, omnia deinde ſub perpetua agitatione ad nigredinem & conſiſtentiam unguenti coquantur.

*Tanquam digerens, maturans & ſuppurationem promovens in* Pharmacopœa Pariſienſi *deſcribitur, in noſodochiis uſitatum, titulo: UNGUENTI DE LA MERE.*

## UNGUENTUM NIHILI AD OCULOS.

*REC.* Tutiæ præparatæ,
Nihili albi ana unciam unam,
Coralliorum rubrorum præparatorum,

Matris

Matris perlarum anâ unciam ſemis,
Camphoræ drachmam unam,
Pinguedinis porcinæ mundatæ libram unam.
Fiat miſcendo unguentum.
*Ad ophthalmiam, a ſero acri ſalſo, & dolores inde natos, conducit.*

## UNGUENTUM NUTRITUM.

*REC.* Aceti Lithargyrii libram unam.
adde, ſub perpetua agitatione,
Olei roſati libram dimidiam, quantum ſufficit ad formam linimenti vel unguenti.
*Vires. Præſtans eſt ad inflammationes, & convenit cum* Unguento de Lithargyrio, & de Minio.
*Ad ophthalmiam, a ſero acri ſalſo, & dolores inde natos, conducit.*

## UNGUENTUM PECTORALE.

*REC.* Olei Amygdalarum dulcium uncias quatuor,
Chamæmelini,
Violati ana uncias tres,
Butyri recentis uncias ſex,
Pinguedinis Gallinæ,
Anatis ana uncias duas,
Ireos Florentinæ drachmas duas,
Croci drachmam ſemis,
Ceræ albæ uncias tres.
Cera & pinguedine in oleis liquatis, poſtea addito Ireos & croci pulvere, fiat unguentum.
*Commendatur in pleuritide, ad tuſſim & difficilem reſpirationem infantum.*

## UNGUENTUM PEDICULORUM.

*REC.* Seminis Staphidis agriæ uncias duas,
Hellebori albi unciam unam,
Argenti vivi uncias duas,
Pinguedinis porcinæ libras tres,
Olei laurini uncias ſex,
Saponis Veneti uncias tres.
Sapo in lixivio ſolutus, cum pinguedine coquatur, ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, poſtea oleum Laurinum & pulveres, tandem Mercurius cum
Terebinthinæ Venetæ uncia una, extinctus
addatur.
Fiat unguentum.
*Uſum titulus indicat.*

## UNGUENTUM ſive POMATUM FLORUM NAPHÆ, PHARM. PARIS.

*REC.* Adipis ſuilli, puri, libras quinque,
Florum Aurantiorum recentium & integrorum, libras ſex.
Indantur fictili vaſi, probe vitreato, atque Balneo Mariæ per unam aut alteram horam, ad digeſtionem, committantur. Exprimantur, &, ut cito citius refrigeſcant, & adeps concreſcat, in cellam reponantur.
Repetatur proceſſus tertia vice, adipi recentes flores addendo; ultima tamen unciæ quatuor florum ſufficiunt. Tandem fæces ab unguento, vel pomato ſeparentur, & aquæ florum Naphæ fragrantiſſimæ unciæ octo addantur, liquatum cum aqua unguentum ſupernatans, caute ſeparetur, atque ab omni humiditate liberum, reponatur.
Pari methodo ex aliis floribus odoratis, Jaſmino, Lavendula, Roſis &c. unguenta fragrantia parari poſſunt.
*Uſus omnibus eſt notus, coſmeticus, & ad capillamenta & capillos inungendos.*

## UNGUENTUM DIAPOMPHOLYGOS.

*REC.* Olei Roſarum uncias ſex,
Ceræ albæ,
Succi baccarum Solani ana uncias quatuor,
Ceruſſæ optime tritæ uncias duas,
Plumbi uſti,
Pompholygos, ſive Nihili albi,
Thuris electi ana unciam unam.
Oleum roſarum, cum ſucco baccarum

ſolani, ad humiditatis conſumtionem, coquitur, & in colatura cera diſſolvitur, quibus refrigeratis, reliqua, in ſubtiliſſimum pollinem trita, admiſcentur.

*Commendatur ad ulcera exſiccanda atque conſolidanda. A nonnullis etiam ad ophthalmiam adhiberi ſolet.*

## UNGUENTUM POPULEUM.

*REC.* Oculorum, ſive gemmarum,
Populi arboris recentium libram unam ſemis,
Pinguedinis porcinæ depuratæ libras quatuor.

Oculi contundantur & macerentur in pinguedine, donec ſequentes herbæ per æſtatem colligi queant, ſcilicet

Cymarum rubi tenerrimarum,
Foliorum Papaveris albi,
Hyoſcyami,
Bardanæ, cum radicibus,
Solani,
Lactucæ,
Herbarum Violariæ ana uncias tres,
Sempervivi majoris uncias quatuor,
Sempervivi minoris uncias tres.

Herbæ contundantur, & miſceantur cum Oculis Populi & pinguedine, deinde coquantur lento igne, ad humiditatis aqueæ conſumtionem, colentur & exprimantur.

*Eſt paregoricum, refrigerans & emolliens; commendatur ad hæmorrhoidum dolores, ambuſta, lac in mammis coagulatum diſſolvendum, linteis impoſitum, & in febribus, ſi temporibus, plantis pedum & pulſibus manuum applicetur, ſomnum conciliare perhibent.*

## UNGUENTUM PURPUREUM WURZII.

*REC.* Terræ Vitrioli dulcis uncias duas,
Viridis Æris drachmas decem,
Acéti vini,
in quo
Radices Scrophulariæ,
Folia Plantaginis, &
Chelidonii majoris, recentia, ſingulorum drachmæ tres,
per aliquot dies macerata, ac poſtea expreſſa fuerint, uncias quinque,
Mellis deſpumati uncias octo.

Inſpiſſentur leni igne, continuo agitando, ad mellis conſiſtentiam.

*Convenit cum Ægyptiaco unguento; commendatur ad gangrænam & ſphacelum, ulcera putrida ſinuoſa, & carnem luxuriantem auferendam.*

## UNGUENTUM RESOLVENS MAMMARUM TUMORES.

*REC.* Olei olivarum quantum lubet.
huic exacte miſce in mortario lapideo
Spiritus Salis ammoniaci cum calce viva parati, quantum ſufficit pro componendo Linimento, debitæ conſiſtentiæ.

*Vires titulus docet. Tempore uſus recens paretur.*

P.N. *Butyrum recens, cum ſale volatili Cornu Cervi mixtum, eosdem proſperos edit effectus.*

## UNGUENTUM RESUMTIVUM.

*REC.* Seminum Lini,
Altheæ,
Fœni græci,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ ana drachmas duas.

Macerentur & bulliant in
Aquæ ſimplicis libra ſemis, eliciatur mucilago, quæ cum
Butyri recentis libra dimidia,
Pinguedinis ſuillæ,
Gallinæ,
Anſeris,
Anatis ana unciis duabus,
coquantur, ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, poſtea addantur
Sevi hircini uncia ſemis,

Olei Violarum,
Chamæmeli,
Amygdalarum dulcium
ana unciæ duæ,
Medullæ vituli libra ſemis.
Fiat ſecundum artem unguentum.

*Hecticis, pleuriticis & tabidis, e longo morbo reſurgentibus, membris a luxatione, vulneratione & fractura rigidis conducit.*

## UNGUENTUM ROSATUM.

*REC.* Axungiæ porcinæ albiſſimæ libram unam.

Lavetur aliquoties Aqua roſarum fragrantiſſima, adde
Florum roſarum albarum, contuſarum, uncias quindecim; coque lento igne, ad humiditatis conſumtionem, colentur & addantur
Olei roſarum veri deſtillati grana tria.

Miſce.

*Ad hæmorrhoidum dolores, & unguento infrigidanti & anodyno ſubſtitui poteſt.*

## UNGUENTUM ROSATUM SIMPLEX.

*REC.* Axungiæ porci albiſſimæ libram unam.

Lavetur ſæpius aqua roſarum odoratiſſima, donec albiſſimum & odoratum fuerit unguentum; adde
Olei ligni Rhodii guttas duodecim.

